
CLOTO
ARS
FINIS VI TÆ
LACHESIS
NATVRA
MICROCOSMVS
HYPOCHONDRIACVS
SIVE
DE
MELANCHOLIA
HYPOCHONDRIACA
TRACTATVS
Omnibus cuiuscunque conditionis
Hominibus perutilis et necessarius
DESCRIPTVS
A
MALACHIA GEIGERO
ELECT: METROPOLIS MONACHIENSIS & ELE:
nosocomiorum Medico et Chirurgo
ORDINARIO
MEDICINA
PHYSICA
HINC SANITAS
HELLEBORVS NIGER.
MARS
DVBIA
PRVDEN-
TER
MEDICORV CRVX ET OPPROBRIVM
MELAN
CHOLIA
HYPOCON
DRIACA
MONACHII.
ANNO M. DC. LI.
QVOD PRODEST NOCET
QVOD NOCET PRODEST.

MICROCOSMVS HYPOCHONDRIACVS

Siue

DE MELANCHOLIA HYPOCHONDRIACA

TRACTATVS

In quo non solùm physicè, sed etiam practicè, de illius essentiâ & naturâ, omnia, pro vt moderno tempore & seculo, in Macrocosmo & Microcosmo deprehenduntur, significantur.

CVRATIO HVIVS AFFECTVS, IN QVANTVM SANABILIS ET CVRABILIS EST, EX TRIPLICI CVRATIONIS FONTE, DIÆTETICO, Chirurgico, & Pharmaceutico desumpta, non minùs jucundè quàm vtiliter proponitur, tàm secundùm communem & consuetum, quàm inassuetum & extraordinarium vitæ nostræ vsum.

QVIBVS EMBLEMATA VARIA, TAM GALENICA QVAM HERMETICA, ORNATVS ET VTILItatis gratiâ, cum explicationibus suis addita sunt, intermixtis controuersijs, obseruationibus, historijs, & politicis doctrinis: remedijs etiam selectissimis tùm Galenicis, cùm Chymicis, & moralibus: omnibus cuiuscunque conditionis Microcosmis, vti spero, acceptabilibus, vtilibus, & scitu necessarijs.



CONCINNATVS

A

MALACHIA GEIGERO, ELECTORAlis Metropolis Monachiensis, nec non Electoralium Nosocomiorum ibidem, Medico & Chirurgo ordinario.

MONACHII, Apud LVCAM STRAVB.

ANNO *M. DC. LII.*

SERENISSIMO ET POTENTISSIMO PRINCIPI AC DOMINO, DOMINO

FERDINANDO

VTRIVSQVE BAVARIÆ, ET SVPERIORIS PALATINATVS DVCI, S. R. I. Archidapifero, & Electori, Comiti Palatino Rheni, Leuchtenbergiæ Landgrauio.

Principi ac Domino meo Clementißimo,



DIV multúmque cogitanti mihi, Serenißsime Elector, quem libri huius adoptarem Patronum, non occurrit, cui magis vellem, cui magis deberem, quàm S^ti. V^æ. Vellem, quia litera-

turam amare ſcio & literatos. Debe-
rem autem, propter eximias virtutes,
quibus tàm publicè quàm priuatim
nobis clientibus jam eminet; vt non
immeritò quis dubitare poſsit, proſa-
piâne maior, an virtute melior ſit S[tas]
V[a]: ſuperat enim cæleſti ingenio &
eruditione, adoleſcens viros, clemen-
tiâ benigniſsimos, humanitate infi-
mos, tanquàm Muſarum Hercules,
Gratiarum Heros, Virtutum Deliciū.
Quod igitur adoleſcentia promitte,
hoc ætas plenior continuabit: nam vt
à matutina cæli facie, reliquum diem
conijcimus, ſic à juuenili magnani-
mitate ac benignitate, reliquam vi-
tam. O ætas verè aurea, & felix tem-
pus, in quo Principem ad Maiorum
virtutes, regnare cōtinget, quem om-
nes tàm ſupra ſe eſſe, quā pro ſe ſcient,
qui non præeſſe ſolùm, ſed prodeſſe,
cu-

cupiet, qui non ſibi tantùm ciues & ſubditos datos eſſe cogitabit, ſed ſe etiam ciuibus & ſubditis: curas enim omnes, & cogitationes ſuas, in populi ſalute defigere; ſubditorum tranquillitatem tueri; ciuium opes & fortunas defendere; lites dirimere; diſſidia componere; ſtatuta Maiorum, leges, jura, vectigalia, tributa, non ad popularem ſolùm rationem, ſed ad maximam quoque Patriæ vtilitatem dirigere; juſtitiam adminiſtrare; pupillorum facultates tutari, dum impuberes adhuc & minorennes; afflictos à fortuna, releuare; bonos prouehere; & ægrorum publicis valetudinarijs, curam gerere, ne aut inediâ pereant, aut medicationis incuriâ; maius quid eſt, quàm multi cenſeant; nec niſi indefeſsi Herculis labor.

Exortus itaque, qui nobis tranquil-

litatis nostræ Sol es, Serenissime Elector, sub lucidissimis tutelę tuę radijs, nobis apricari, & variarum calamitatum nebulas, Serenitate tuâ dispellere liceat, quò spiritus liberiùs meare, & ad hilaritatem, pulsis melancholicis & hypochondriacis omnibus passionibus, nos componere possimus. Quapropter, ad S^tis V^æ aras, opusculum hoc de Microcosmo Hypochondriaco, velut votiuam tabellam appendo, vt pretium quod ex se non habet, possit comparare. Hoc etsi exiguum, deuotissimæ tamen meę mentis, in S^tis V^æ obseruantiam, certissimū signum, sereno vultu accipiat, & à calumniantium, quibus cerebrum in lingua est, furibunda dicacitate, agnatâ suâ beneuolentiâ & benignitate, tueatur ac defendat. Quod si fecerit, Monstra, quæ in horum maledicen-

tium

tium impijs viſceribus habitant, vt pernicioſæ Gorgones, inſanientes Furiæ, fœdæ Harpyiæ, improbę Sirenes, Scyllæ biformes, horrendi Struthiones, rapaces Gryphi, auidi Dracones, & quidquid fatalium Monſtrorum vſpiam, aut infelicis portenti coacta Natura abhorret, à quibus omne virtutum genus, ſuos patitur carnifices atque tyrannos, ex Vngue cognoſcent Leonem, & noſtræ ętatis fortiſſimum Atlantem.

Vota interim addo. Serua ô Deus, Spem, Firmamentum, & ingens Pignus Bauaricę Domûs, Delicium & Amorem Procerum & Populi; vt Patriæ præſit, qui Patrię natus & educatus eſt Princeps & Regens, Auguſto felicior, Traiano melior; & longo interuallo, famam Maiorum, facinorum ſuorum eminentiâ ſuperet; antiquam

tiquam etiam illam Boicæ Virtutis indolem, ſeculis deponat, conſecratam Annalium perennitati. Datæ Monachij in ipſo bono & feliciſsimo Noui Anni Auſpicio M, DC, LII.

Serenitatis Veſtræ

Humillimus ac Deuotiſſimus

MALACHIAS GEIGER
Medicus & Chirurgus.

FRONTISPICII
Emblematici Explicatio.

MOrs terrestri globo *insidens, minacibus manibus, terribile suum* jaculum, *librat vibrátque in* Microcosmi hypochondriaci *decumbentis, vitæ destructionem,* staminá que *eiusdem, quæ* Cloto, *id est, prima vitæ nostræ valida constitutio, circùm* colum *suam inuoluit, & * Lachesis, *vitæ duratio, dierúmq; inuicem successio, longè diúque nendo producit,* forficibus *præproperè abscindere tentat, per morbos, miserias, calamitates, & casus varios (quæ* forficibus *significantur)* colûs stamina, *i. e. successionem dierum vitæ, identidem abscindere satagit, & abbreuiare. Verùm, quia* Mors *suum per* jaculum, *per mortiferas morborũ causas, per morbos infinitos, & per accidentia alia innumera, indesinenter instans, breui vitam pessundaret, nisi huic strenuè* Natura *&* Ars *auxilium ferrent.* Natura *siuè* Physica *i. e. Cœli, Solique, ac corporis bona constitutio (Medico perito probè cognita) vnâ ex parte hæc impedit, & remoratur. Vtiq;* Natura (Cœli *quod manu gestat, &* Terræ, *cuius* Globum *calcat, arcana perscrutans & vsurpans)* Mortis *manus inhibet, & prouidet, ne stamina ista abscindantur, ne successio ista dierum vitæ, abbreuietur ante tempus: dum laqueum,* Mortis *peruicacis manibus inijcit, quo (conatus ipsius irritos reddens)* forfices *retrahit, & arcet à* staminibus. *Altera ex parte,* Ars, *i. e.* Medicina, *vitæ conseruationi inuigilans (quod per*

)(Gal-

Gallum *manu gestatum satis indicatur) instructa* Herbis, Serpente, *&* Marte, *tanquam appropriatis remedijs, ad morbum hypochondriacum, & accidentia eius melancholica pellenda (quæ sine huius artis ope superare* Natura *quantumcunque bona minime potest) diligenter repellens, expellens, & curans;* Mortis jaculum *similiter eius in manibus colligatis, retinet, impedit, & auertit: dum nimirum, causas morbi agnoscit & remouet, morbum ipsum curat, & calamitates varias auerruncat: remedia insuper huic morbo conuenientia, vti* Helleborum nigrum, *vsum* Viperarum, Chalybem, *& alia, alias deleteria, si male, antidota verò & panaceæ, si benè & legitimè præparata sint, applicare docet. Vt* Medicinæ *subsidio, vitæ suæ numeros, juxta modulum constitutionis, quam ob ortu adeptus est, vnusquisque diuturnius protelare, & fusos suos, juxta colùs onerationem, filatim,* Lachesis, *longius protrahere queat. Quandoquidem verò,* Hypochondriacus, *subinde malis agitetur inspirationibus, quod malus indicat* Genius, *è latere se ægro associans:* Sanitatē *tamē, vt* preciosissimā gem̄am, *à* manu Dei, *tanquam* Auctore Naturę, *primariò prouenire,* Medicus, *Naturæ minister, & causa instrumentalis secundaria, rectè & fideliter, malè habenti persuadet, rationibúsque demonstrat, simul vnâ manu pulsum explorando, alterâ verò medicinam exhibendo, malum hoc, naturalibus remedijs, prudenter, & non præcipitanter, aut inhibendū, aut expugnandum esse.*

CAR-

APPLAVSVS AMICORVM

IN

NOBILIS ET EXCELLENTISSIMI DOMINI MALACHIÆ GEIGER, VTRIVSque Medicinæ Doctoris, librum de Melancholia Hypochondriaca, & imaginem libro præfixam, Programma.

Amicus Amico.

Herbæ medentes, fertile Auroræ genus,
Fauoniorum filiæ;
Vosque uniones veris, & blandi breuis
Anni iuuentus flosculi;
Et quidquid Hyblâ, quidquid Appulis procul
Viret beatum cautibus:
Quod fusca Memphis, Indus, & molles Sinæ
Morbis amicum proferunt:
Huc ite in orbem: textilique nobilem
Librum coronâ stringite,
Geigeriana Musa quem dignum edidit
Æternitatis annulo,
Librum fugandis febribus natum, at magis
Natum fugandis nubibus,
Quas officinas inter atri sanguinis
Melancholia trux coquit,
Nubes timendas, vel sereno cum fauens
Phœbus renidet æthere,

En ipsa vinctas sæua mors præbet manus
Parata vobis obsequi,
Et Insolente retrahit clementiâ
Quod penè telum torserat.
Vtcunque Lachesis sponte currentem suâ
Vitam colu perurgeat,
Et jam secando stamini intendat trucem
Armata Parca forficem;
Natura mater, nam benigna, barbaram
Aget retrò nouaculam,
Et Ars serenæ pulchra mentis filia
Ac sæpe naturâ magis
Potens, peritam commodabit dexteram
Faustis grauem successibus,
Humoribúsque corporis rebellibus
Pacem imperabit mitior;
Discordiámque temperabit, auream
Mediocritatis ad libram.
At tu trementem, tetra cui nox sanguinem
Angoribus bilis nigræ,
Et æstuosa mille curarum cohors
Vanis flagellat fluctibus,
Tumultuosæ mitte tristitiæ chaos
Trans æquor audax Thracium,
Et sanitatis vnionem cælitum
Raro fauore pendulum,

Desideratam sæpius gemmam tibi,
Sperare fortis occipe.
Quodsi medenti pertinax pelli malum
Melancholia deneget;
Geigeriana lætiore pharmaco
Venam serenabit chelys.

De Melancholia Hypochondriaca.

PRæcipitis funesta lues, atque vltima mundi!
Quæ te dira Soror, vel si quod Tartara monstrum
Maius habent Furijs; tristi sub nocte silentis
Edidit Imperij? cùm infaustam territa fugit
Ipsa parens sobolem, rapidúmque per ignea voluit
Saxa vadum metuens, Stygio nil mitior amne,
Flammiuomus Phlegeton. Iterúmne reuulsa profundi
Regna patent Ditis, dominúmque adamanta momordit
Non vnum illatrans immanis Ianitor Aulæ?
Cogimur heu! crudele nefas, noxámque sereni
Ætheris immeriti sentire: nec vnius atrâ
Morte riget crater Pellæi Herois. in omnes
Effera gliscenti rabies despumat hiatu,
Et manat sanies populos. Hinc sidera labem
Traxêre, & nulli bibitur jam innoxius aër;
Plurima mortales sed habet contagio; & imis
Nescia depelli Stygij vis cruda veneni
Visceribus sedit, lassátque Machaonis artes
Multa laborantis necquicquam, & multa mouentis;
Concilium si fortè animi, mentísque senatum
Aduocat auxilio, atque iram consumit in vngues;
Non minùs immitis, trepidam quàm cùm Annibal Vrbem
Victor obît curru, transcensísque Alpibus vnum
Infremuit murum victrici obsistere Palmæ.
Ille quidem sudat; sed Pestis fœta malorum
Non segni petit ima gradu: penitúsque medullas

Pectoris expugnat, tacitísque meatibus omnem
Latè hominem populata, suo præcordia complet
Milite. Nil sanum, dominóque fidele priori
Linquitur. Heu! placidæ turbantur mollia pacis
Otia, & indomiti passim per compita Martis
Signa volant, furiæque leues, rixæque vagantur,
Perpetuúsque Æris trepidâ sonat vrbe tumultus,
Bellorúmque minæ perflant. Quis sæua cruenti
Enumeret documenta Hostis? quis spectet, & ipsa
Possit ferre miser? Quoties occulta per artus
Serra migrat, Mugilque asper; quo Simia maius
Nil habet, & Serpens? Quoties sub pondere lassum
Pectus anhelantem suspirat Sisyphon; aut quo
Pressus Atlas ferre Orbem optat? cùm arctata fatiscit
Carcere duro anima; astrictámque per ilia Zonam
Torquet, & angusta tenuat spiramina vitæ
Lictor. Quid miseris, nisi jam vixisse relictum est?
Et pretium mors tanta ferat; si copia detur
Crudeles longo gemitu exorare Sorores.
Sed vita in pœnam trahitur. Tum scilicet armis
Fœdera jucundæ possis discernere pacis,
Tristis & imbelli quid Enyo distet Oliuæ.
At, quanquam innumeris, nondum satiata nocendi
Dira libido malis; nescit desistere cœptis,
Quà semel est aggressa nefas. Sed turbinis instar,
Torrentísque vnda, quam Alpinis aucta procellis
Raptat in obnixum indignata ferocia pontem;
Emicat, & celsam molitur verticis Arcem
Debellare ferox, ferro, flammísque paratur
Exitium. plus flamma potest. Hinc tristè tuentûm
Exanimi vultus, & mœsto buxus in ore,
Vmbráque spirantûm. Soliti non sæuia risus;
Nec vigor est oculis; animosus naribus ignis
Emoritur, turpíque genæ ferrugine liuent,
Temporáque in sese fugiunt. Nil fata relictum,
Quod peragant, habitura putes: viuósque timebis
Spectra velut, functúmque Vmbras, manésque diurnos.

Sed restant maiora animi tormenta necésque,
Quàm quas corpus habet. Possis fors cætera ferre;
Hæc narrare nequis, licet hinc agnoscere fontem
Criminis, & quali sit origine, discere, natum.
O felix Maiorum Ætas, nondum Africa quondam
Opprobria, infaméſque lues; quas classe petisse,
Militéque armato peregrinam ducere mercem
Tanti nempe fuit; felix! non dira furentûm
Prælia, & immanes ærato fulmine strages
Experta. In miseros genus incubat omne nepotes,
Seu pestis, seu dira venit quacunque nefandi
Forma mali: sempérque recens in funera monstrum
Nostra oritur, fatíſque gradum properantibus addit.
Ergo tuos, Grynae, Arcus, & nescia falli
Spicula, quêis animam fatálem lethifer anguis
Impendit, jam pridem Orbi, jam debita Matri
Victima, diuinis audax opponere cunis
Insidias; docuítque tuas impunè lacessi
Ne pueri potuisse iras. Iam, qualis in altos,
Anguipedum deforme genus, Titanas aperto
Vertice conspicuus, neruum torquere sonantem
Visus; vbi insolitam Pythonis ab osse sagittam
Pectore Porphyrion transmissam detulit Orco;
Centimanũ flammata Gygen sed Arundo per Oetam,
Impositámque Ossæ Rhodopen, Pindíque niualis
Culmina deiecit. medium vix corpore bustum
E tanto, Genitrix gelido sopiuit Anauro.
Talis Cerbeream jam nunc rege certus in Hydram
Spicula. plus Phœbo, fac, mœstus debeat Orbis,
Quàm quondam Alcidæ. Cur nostra in vota moraris
Ambiguus? ne differ opem; non vana rogemus.
Namque tibi voluêre Dij, propriúmque dedere,
Fata hominum regere, & morbos, Dominámque potentis
Arbitrium, & cultros jugulis auertere nostris.
Tu sæuas cohibere manus, hastáſque nocentes
Detorsisse potens. Hoc te gens debita cædi
Poscimus heu! miseri. Tu nostræ stamina vitæ

Auspex alter habes, & jus in fata secundum.
Nec gratis Superi. Medicis hoc Artibus Ille,
Omnia qui nutu torquet, terrásque, polúmque;
Ille dedit; jussítque necis dispellere causas,
Orsáque Naturæ ingenio, studióque tueri.
Aude aliquid, dignúmque Deo, miserísque: nec Orbis
Dici sperne Pater. tua sic tibi vixerit vsque,
Floreat & Daphne. Nec te tua fama silebit,
Quà per Erythræas surgit tibi mane procellas
Phosphorus, & roseas argenteus euocat Horas;
Vel Tartessiacum deuexus in æquor habenas
Præcipitat: cum Magna Thetis, liquidæque Sorores
Ardentem excipiunt: puro sed cærula surgit
Nox Cœlo interea, & rutilæ per signa cohortes.

AD LECTOREM,

In Laudem Medicæ artis.

NAturam ars sequitur (sic sunt prouerbia) præsens
Hoc liber, & libri, Lector, imago negat.
Pallidus in lecto, jacet æger, anhelat, & omnes
Incusat partes corporis, atque dolet:
Tristis at in summo, collectis cruribus, orbe,
Mors sedet, extremos vrget adesse dies;
Ossea fatales intentat dextra sagittas,
Forfice diductâ, læua secare parat:
Quid moriture facis? audes sperare salutem?
Imminet armatâ, Mors inimica, manu:
Effugies nusquam; Medicus ni fortè salutem,
Et Medicina ferat, Ars tibi nulla feret.

Omni-

Omnibus imposuit finem Natura, morique
Constituit: contrà sed Medicina vetat.
Nempe intentatam prohibet jaculare sagittam,
Et Lachesis filum longiùs ire docet:
Artem, oblita sui, Natura imitata, paratas
Vincit funiculis, Arte docente, manus.
Ergo, vides, Artem sequitur Natura: sed illam
Solùm, quâ certam fert Podalyrus opem:
Sola Artes inter (reliquarum dixero pace)
Quod Natura jubet, pernegat Ars Medica.
Theiologi nolunt Mortem vitare; per illam
Tendit ad obiectum Theiologia suum.
Protrahit in longum Iurisprudentia lites,
Quódque bonum est hodie, cras, ait, esse malum.
Scilicet hoc illis Prudentia dicitur: haud est
Tam prudens, Mortem fallere vt illa queat:
Grammatici casus declinant, nomina, verba;
Ex his, qui Mortem, nemo repertus adhuc.
Mollijt Orator durißima corda Tyrannis,
Commouit Siluas Orpheus atque feras,
Mortis ad obtutum mutescit Rhetor, & Orpheûs,
Qui priùs attraxit saxa, fit ipse lapis.
Omnia vim Mortis metuunt: si falce minatur
Fatali, Ars, ictum sistere, nulla potest.

Sola tamen contrà Medicina audentior ibit.
Et si non poterit vincere, vincit eam.
Ecclesiastici 38. c. *Insolita hæc, dic, vnde venit reuerentia Morti?*
Debetur Medico (sic Deus inquit) honor.

In Zoilum.

Quidquid agis (vox est Sapientis) respice finem:
Vis causam? finis nempe coronat opus.
Zoile, si librum vis carpere, respice finem,
Et caue; sub finem vipera tecta latet.

Aliud in eundem.

Dicitur à Medicis, prudentum, Hypochondria, morbus,
Et paßim doctos occupat ille viros:
Hinc docti metuunt; vix est medicabilis aiunt.
Ne metue; à morbo hoc, Zoile, liber eris.

IN FRONTISPICIVM AVCTORIS

Nobilis & Clarissimi Viri Domini MALACHIÆ GEIGER, Vtriusque Medicinæ Doctoris Excellentissimi, &c.

PROLVSIO.

Oßea Mortis
Larua gementem
Quid premis Orbem?
Atque feroci

Præ-

Prædita telo
Dextra minatur?
Scindere ductæ
Stamina vitæ
Quid fera tentat
Forfice Læua?
Vmbra fugaces
Contrahe vires:
Lux dominatur.
Mortis inanes
Cedite Manes:
Ars nemoratur.
Vos quoque cœpta
Voluere pensa
Pergite Parcæ;
Dum Microcosmum
Astra tuentur,
Prata medentur,
Pergite Parcæ.
Quid miser hæres
Sanguinis atri
Percitus œstro?
Mitte per auras,
Quas tibi muscas
Inflat ad aures

Iste susurrus.
Hem ! cape pôcla
Plena Salutis.
Sed latet Anguis,
Inquis, in Herba;
Nec furibundi
Noxia desunt
Prælia Martis.
Mitte timores.
Gallus ad istas
Excubat oras,
Peruigil Almæ
Nuntius Artis:
Missáque Cœlo
Gemma renidet
Integritatis,
Ergo beatæ
Portio Mentis,
Et pretiosi
Gratia Libri;
Quâ leuis arces
Funera Mortis,
Tetrica Sanas
Vulnera Mentis
Nobilis Auctor!

ELENCHVS CAPITVM.

FRONTISPICII Emblematici Explicatio.
Prolusio Prooemialis.
CAPVT. I. De Etymologia, Definitione, Subiecto, & Differentia huius affectus. Fol. 1
CAP. II. De causa Coniuncta & Proxima Melancholiæ Hypochondriacæ. 9
CAP. III. De causa Antecedente Affectus Hypochondriaci. 12
CAP. IV. Continuatio causæ Antecedentis. 16
CAP. V. In quo responderur ad oppositiones quasdam pro capite præcedẽte causę Antecedentis. 25
CAP. VI. Quorundam Autorum opiniones, de causa proxima & efficiente, præcipuè verò de causis huius mali in Foeminis. 32
CAP. VII. De Procatarcticis siue Impulsiuis & externis huius affectus causis. 41
CAP. VIII. Continuatio causarum externarum Melancholię Hypochondriacæ. 51
CAP. IX. De Signis tàm Diagnosticis quàm Pathognomonicis Affectionis hypochondriacæ; insuper de symptomatibus eiusdem & symptomatum causis. 67
CAP. X. In quo per Exemplum practicum, proponuntur signa & symptomata, cum eorundem causis, pro maiore & meliore enodatione & intelligentia huius affectus hypochondriaci. Quibus etiam adduntur signa & symptomata melancholiæ hypochondriacæ in foeminis. 84
CAP. XI. De Prognosticis signis Melancholię hypochondriacæ, quibus pro additamento additur, quomodò, & an, morbus iste, in corpus humanum, permittente Deo, à dæmone immitti possit. 95

*3 Inter-

Interpretatio Primi Emblematis. 117
CAP. XII. De Curatione Affectionis Hypochondriacæ, & primò per Diætam, qualis in illa Aër sit obseruãdus & eligendus. 119
CAP. XIII. De Cibo & modo Cibationis, Potúque in morbo hoc conueniẽte. 132
CAP. XIV. In quo defenduntur R. Patris Hieremiæ Drexelij Societatis IESV, piæ memoriæ, & Medicorum Monacensiũ de vino lymphando aut diluendo opiniones. 151
CAPVT. XV. Continuatio Præcedentis Capitis contra Matthæũ Clauss. 165
CAPVT. XVI. De Motu & Quiete in Melancholia hypochondriaca. 181
CAP. XVII. De Somno & Vigilijs, Excretione & Retentione, & Animi Affectionibus in morbo isto obseruandis. 193
Explanatio secundi Emblematis. 213
CAP. XVIII. De Curatione per Chirurgiam Melancholię Hypochondriacę, & primò per venæ sectionem. 214
CAP. XIX. De applicatione Cucurbitularum, Hirudinum, & Fonticulorum inustione. 224
Tertij Emblematis Declaratio. 241
CAP. XX. De Curatione Affectus Hypochondriaci per Pharmaciam, & primò de philosophatione quorundam hypochondriacorum medicinas respuentium, de chymicis quibusdam rebus, & indicationibus curatiuis melancholiæ hypochondriacæ. 249
CAP. XXI. De Curatione per Lenientia, Aperientia, Incidentia, & Digestiua medicamenta. 260
CAP. XXII. De Curatione Affectus Hypochondriaci per Purgantia medicamenta. 270
CAP. XXIII. In quo proponun-

nuntur medicamentorũ purgãtiũ formulæ in hoc affectu exhibendæ. 280

CAP. XXIV. De vsu seri Lactis & Chalybis in Melãcholia Hypochondriaca. 310

CAP. XXV. De vsu Acidularum in Affectu Hypochõdriaco per Potũ. 331

CAP. XXVI. De vsu Lotionum & Thermarum in Affectu Hypochondriaco. 342

CAP. XXVII. De Curatione Melancholię hypochondriacæ per partium Principum & aliarũ malè affectarũ corroborationem, tàm per Galenica, quàm per Chymica medicamẽta, præcipuè per Aurum potabile. 354

Significatio Quarti & Quinti Emblematis. 394

CAP. XXVIII. De Topicis quibusdam Medicamentis, & de vsu Nicotianæ potus in Affectu Hypochondriaco. 423

CAP. XXIX. An & quomodo conueniat in hoc affectu Puluis Bezoarticus animalis, & quales in se habeant qualitates viperæ. 434

CAP. XXX. De Curatione Melancholię Hypochondrio-Hystericæ in fœminis cum mẽsium obstructione, & in Vtroque sexu ex seminis redundantia & retentione, cum stimulis amorosis & venereis. 451

CAP. XXXI. De Hypochondriacorum & Hystericarum Ecstasi siuè Melancholia attonita. 460

CAP. XXXII. De symptomatum correctione in Melancholia Hypochondriaca. 470

CAP. XXXIII. De ingeniosissimis quorundam Medicorum curis in deprauata imaginatione. 481

CAP. XXXIV. De Curatione Melancholiæ Hypochondriacæ à causis externis quæ geruntur progenitæ. 495

CAP. XXXV. In quo Appendicis loco secundùm Directorium Medico-Practicum Matthiæ Moroni, Authores enarrantur, qui de hac Affectione Hypochondriaca, mira & varia scripserunt, publiciq; juris fecerunt. 513

Conclusio. 523

❧(?)❧

Die beygelegte Kupferstich müssen folgender gestalt zugebunden werden.

1. Das Frontispicium, darinnen der Tittel deß Buchs / muß das allererste Blat seyn.
2. Die Bildtnuß der Adern / oder Ramificatio Venæ Portæ, muß zwischen dem Num. 4. vnd N°. 5. eingelegt werden.
3. Das Emblema Diætæ mit N°. 1. verzaichnet / gehöret zwischen das 116. vnd 117. Blat hinein.
4. Cheirurgia mit N°. 2. solle zum 212. vnnd für das 213. Blat gesetzt werden.
5. Das dritte Emblema der Pharmaciæ mit N°. 3. solle zwischen dem 240. vnd 241. Blat stehn.
6. Das vierdte Emblema die Sphæra Mundi, solle zwischen dem 394. vnd 395. Blat accomodirt werden.
7. Endtlich die sibende Figur / muß zwischen das 422. vnnd 423. Blat gebunden werden.

Vnnd dises denn Buchbindern zur Nachricht.

PRO-



PROLVSIO PROOEMIALIS.

VITAM vix esse vitalem in corpore ægro, animæque vigorem non raro à morbis aut impediri, aut etiam extingui, nemo est qui dubitet. Nam cum Medicinæ subiectum sit non corpus solum, sed homo ipse constans animo & corpore: sanitas completa esse non potest, nisi quæ prouenit ex vtriusque incolumitate, præsertim cum neque sine animo corpus, neque sine corpore animus rectè valere possit. Tanta enim est inter vtrumque societas & sympathia, vt suas virtutes & vitia sibi inuicem communicent. Sic corpus onustum cibis vel humoribus, prægrauat animum, mentémque deprimit, atque affigit humo diuinæ particulam auræ.

Quod si graui aliquo morbo detineatur, vel prauis humoribus inficiatur, non aliter obscurat lumen ipsum rationis & intellectus, quàm densa nubes solis radijs tenebras offundit. Quod apparet euidentissimè in ijs qui hoc af-

fectu hypochondriaco vexantur. Nam licet anima cœlitùs demiſſa per ſe ſit impatibilis & immortalis, tamen quamdiu corporis ergaſtulo concluditur, eius affectibus ſubijcitur, propter communia vincula & inſtrumenta, quibus anima corpori alligata vtitur ad ſuas functiones obeundas. Neque ſolum ipſa corpori affecto compatitur, verum etiam ſi vel aliquo pathemate agitetur, vel prauis moribus inquinetur, corpus ipſum in mutuum diſcrimen, pertrahit, paríque malo inuoluit: Philoſophiæ enim ſummam, in hoc verti cardine, ſtatuunt Plato & alij, ſi nempe rationi pareant affectus, qui quamdiu renituntur, fruſtrà tenet habenas animus, ſed equum ferocientem in præcipitia ſequi cogitur.

At vt auſcultent rationi, egregius ad hanc rem adiutor eſt Medicus, hoc agens, vt ea pars hominis vigeat ſapiátque, cuius arbitrio honeſta ac magna geruntur. Quis enim æquè pertinax vitæ abſtemiæ, & ſobrietatis ſuaſor? quis fidelior iræ moderandæ, triſtitiæ fugiendæ, vitandæ crapulæ author, quàm Medicus? Quis niſi faſtidita Machaon, fercla parat, dubiáſque docet dediſcere cœnas? Aut Curij præſcribit

olus?

olus? accedit, quod quidquid in homine eximium eſt, artes, ſcientiæ, diſciplinæ, quidquid in eo virtutis, aut eruditionis, id omne medicæ facultati nos debere, quis non videt? quatenus id ſeruat, ſine quo ne reliqua quidem queant conſiſtere. Quid enim hæc vita, ſi perpetuis conflictetur morbis? Certè viuere dici non poſſunt, qui mortuam hic vitam trahunt. Quam ſi ſalubrem reddat, aut tueatur Medicus, quid rationi magis, aut æquitati conſentaneum, quam eum vitæ tuæ parentem agnoſcere, à quo vitam, hoc eſt valetudinem acceperis? Imò ſi parentibus gratiam habemus quod vitam ſemel dedêre, quantò maiorem ijs, qui dant ſæpiùs? Nec alio certè nomine vetus ſuperſtitio, Æſculapium cœlo dicauit, & adſcripſit choro diuorum. Etenim ſi dare vitam, proprium Dei munus eſt, certè datam tueri, & jam oppreſſam penè reſtaurare, aut fugientem retinere, Deo proximum fateamur oportet. Neque enim corporis tantum quæ vilior hominis pars eſt, curam gerit, ſed & animi, imò & animæ. Quæ quia in hoc corporis tugurio, labem ſæpè trahit à ſitu, non alia certior atque efficacior, eius curandæ ratio eſt, quàm ſi corporis morbis oc-

curratur tempestiuè. Theologus efficit vt homines à vitijs resipiscant; at Medicus, vt sit qui possit resipiscere: frustrà enim ille Medicus sit animæ, si jam fugerit anima, cui paratur medicina: frustrà lethargico suadeat, si suadentem non audiat: frustrà melancholicum moneat, nisi primum ab atrabile, ipsa melancholiæ causa, à medico sit liberatus.

Licet itaque Plato, in libro de legibus, tria vitæ ponat Bona; Bonam valetudinem; Formam corporis honestam; & Diuitias haud cœcas. Vnam tamen (in Gorgia docet) & solam sanitatem, rem profectò inæstimabilem, quam mortales absentem votis omnibus expetunt, præsentem rebus omnibus anteponunt; esse omnium præstantissimam, dicens: quàm benè valere, meliùs in vita nihil. Quin imò alibi: non viuere, sed valere, vitam esse asserit. Vnde Athenæus alicubi de sanitatis laudibus, sic exclamasse visus est. O sanitas diua, tecum florent omnia, ac renidet gratiarum ver, absque te verò nemo felix, &c. Ad quid enim diuitiæ, & rerum omnium affluentiæ, aut qualis fuerit in corpore elegantia, si corpus langueat. Valeat, inquit Horatius, possessor, oportet, vt possit potiri,

quod

quod amat. Non est census (inquit sapiens ille Hebræus Ecclesiast. cap. 30.) supra censum salutis corporis. Qua ratione pauper sanus & fortis, felicior est, diuite infirmo: nam vt ait Cælius cap. 24. lib. 7. lect. antiq. Si toto sinu sese affundat fortunæ afflatus, absit autem bona valetudo, nullum illinc profluit emolumentum, quod juuet. Corporis ergò cymbula nostra, cum languore, tristitiâ, multum onerata, in vado morbosarum indispositionum jactatur & conquassatur, naufragium denique aut valetudinis, aut vitæ præsagiens & minitans, prouidi Naucleri, hoc est Æsculapij alicuius, morbosos & fluctuosos hos insultus, studio, curâ, & machaonicâ arte declinare potentis & enauigantis, opus habet, vnde fluctibus euitatis, ad saluum sanitatis portum, tandem reducatur, lapsáque corporis & animi œconomia, non solum restauretur, sed etiam, inposterum, sarta tecta seruetur & protrahatur.

Quare dissipatis nocentissimorum bellorum nebulis, cum jam, diu exoptato sereno tranquillitatis & pacis (vtinam stabilis & illacessitæ) sole, illuminemur, vt ab eodem in bona valetudine incaleamus, necesse est: nam generi hu-

mano quid prodeſt, aureâ pace frui, interim verò, fame, peſte, & inopiâ perimi, aut diuturnis continuò corpus laceſſentibus morbis, & quidem melancholicis premi. Sed quid mirum? Belli hæc ſunt reliquiæ, non tam facilè ex mentibus & corporibus noſtris eliminandæ: nam (vt taceam alios) quam durum & perniciosum mihi fuerit, communi & continuò contributionum onere, cum reliquis aggrauari incolis, & quaſi ouis à lupis non modo tonderi, ſed penè deglubi, inde colligere licet, quod ab exordio præteritarum bellicarum calamitatum, ope meâ machaonicâ per mille ægritudinum etiam peſtiferarum mala & pericula, ex orci faucibus eripuerim illos, ſub quorum præda & rapina tanquam cymbula in fluctibus oceani agitatus & concuſſus ſum. Facultatum enim mearum direptionem, pecuniarum expilationem, optimi prædioli deprædationem, deuaſtationem, & omnimodam exuſtionem, fugarum & exiliorum inutiles ſumptus, aliáſque perditiones, ſi conſidero? quid aliud, quàm aliquot millium florenorum damnum inuenio & deſidero.

In proximi, aut communitatis bonum, ſi ceſſiſſent, nõ dolerem! quum verò Martis quibuſdam

dam alumnis, ſchytis ipſis, & ſauromatis immanioribus, hæc mea applicata fuerint: quid aliud, quàm vt malè illis ceſſura ſint ominari poſſum. Erat maior pars ad lanienam facta & carnificinam, crudelitatis artifices, ſatores, ſartoréſque ſcelerum, Auerni pabula, & domus Plutoniæ purgamenta, quibus impuriùs nihil ex orci faucibus tota furiarum cohors, exhalare potuiſſet. Nunquam ſic Oreſtes inſaniuit, nunquam ſic ſæuijt Aiax in porcos, nunquam ſic Hercules in terrarum quæ domuit monſtra, vt iſti Ruſticomaſtices in noſtros miſeros compatriotas. Quorum tamen morientium putores, putreſcentium fœtores, qui ſpectantium non oculos tantum, ſed ſtomachos etiam auerterunt & euerterunt, manibus contrectaui, naribus hauſi, oculis luſtraui: dum fœda horum impiorum hominum vulnera & vlcera tractare, ſcatentem ex corporibus illorum ſaniem exprimere, olentes vomicas, putreſcentes abſceſſus, horridas gangrænas, ſerpentes phagedænas, feram pſoræ ſcabiem & impetigines, ſordidos lichenes, mentagras, abſtergere, aliáſque id genus peſtes curare, obligare, conſanare, permulcere, non grauatus ſum. Prætereo internos, contagioſos

&

& pestiferos illorum morbos, quibus secundum merita à justo Deo subinde puniti sunt.

Quantas autem hæc Dei flagella, (excipio illos Martis asseclas, qui strenuitate, & constantiâ suâ, fidem Principi & Patriæ, pro aris & focis, egregiè probauêre, immortali inde laude & famâ celebrandos) incolis & ciuibus nostris reliquerint, antehac inusitatas & incognitas ægritudines, hoc Xenodochia quæ peregrinis, Nosocomia quæ ægris, Pædotrophia quæ pupillis, Gerontodochia quæ senectæ ætati, Adelphotrophia & Orphanotrophia quę Ciuibus nostris pauperioribus, inopiâ consumptis, & liberis eorum, in nostra vrbe ex Christiana Principum & aliorum benignitate, liberalitate, charitate, & misericordiâ, fundata patent, & quorum curationibus, ego tanquam Medicus & Chirurgus, jam per viginti annos continuos, cũ amanuensibus paucis, tàm in medicis, quàm in chirurgicis, & lithotomicis casibus, tanquam Nauclerus inter nautas, Architectus inter operarios & opifices, Dux inter milites, non solum imperando, sed sæpiùs ipsemet manum administrando, pręfui, & adhuc pręsum, cognoscenda cuilibet illa visitanti dabunt. De reliqua priuata

nata praxi mea, circa religioſos, nobiles, ciues, & plebeios, nihil commemoro: nam his omnibus non aliter alligatus ſum, quam Andromeda ſuo ſcopulo, & patiētiâ ſępè impatiētiſſimos vinco.

Omnes autem hos meos moleſtiſſimos labores, quandoquidem alio fine, niſi ad gloriam DEI, & vtilitatem charitatémq; proximi (nam vt alij propter nos, ſic & nos propter alios creati ſumus) neque ſuſceperim, neque peregerim, & propter hanc meam vti ſpero optimam intentionem, à tempore turbulentiſſimo exulceratiſſimóque (in quo Iupiter ollas deſpumare videbatur) praxis meæ, inter mille imminentia, tàm fortunæ quàm vitæ pericula, & contagionum labes, per DEI gratiam taliter præſeruatus ſim, vt tandem ad portum pacis & ſecuræ tranquillitatis appellere licuerit. Reliquum eſt, vt in cœpto curſu pergam, finémque qui opus coronat, deſideratum, tandem in bona pace attingam: bonorum enim vita nihil aliud eſt, quàm vitæ immortalis meditatio, in qua, præmij illius aliquando guſtus, aut odor aliquis ſentitur. Id, tametſi minutiſſima quędam ſtillula eſt ad fontem illum æternæ felicitatis, tamen longè ſuperat vniuerſas corporis voluptates, etiamſi omnes omnium mortalium deliciæ in vnum con-

ferantur, ita vt aliâ ratione, homo felix futurus nõ sit, nisi quod extra sese positus patiatur quiddam ineffabile à summo illo bono, omnia in se rapiente: vsque adeò præstant spiritualia corporalibus, inuisibilia visibilibus. Hoc nimirum est, quod pollicetur Propheta? oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt, quæ præparauit DEVS diligentibus se.

Quod verò jam pacis tempore, quo exhilarantia expetuntur mera, tristem & morosum hunc concinnauerim tractatum; causa est prima; quod jam apud plurimos, cuiuscúnq; status & cõditionis homines, affectus hypochondriaci grassentur; maximè etiam literati & religiosi ab illis infestentur; nec corpora incolarum nostrorum, à fæcibus bellicosis, oneribus, & inopiâ, in tantùm adhuc defecata & liberata sint, in quantùm ad mentis exhilarationem, & corporis purgationem refectionémque desideratur; ex alienis etiam ærumnis, Medici proprios metunt angores, nec vllam, melancholicorum importunitate, crucem habent molestiorem. Altera causa est, quod in dignotione causarum huius morbi, multæ & magnæ inter Medicos legantur controuersiæ; plures verò adhuc in curatione exoriantur; dum quidam,

mali

mali huius causam, primę concoctionis, alij verò secundæ concoctionis visceribus, vitiatis, intemperatis, obstructis, &c. attribuunt, alij alias causas recensent. Curam etiam quidam per exquisitam diætam, alij per alterantia, alij per euacuantia instituunt: vbi quidam inediam, alij vinum meracum, aliqui probè dilutum, aquam etiam puram, commendant. Hinc multi vsum chalybis, non pauci acidulas, serum etiam lactis caprini, thermas, & alia, proponunt. Quas omnes controuersias breuiter enodare, beneuolóque lectori, de ijs, in tenui praxi, experientias & obseruationes proprias, fidelissimè communicare volo: non furioso contradicendi spiritu, ad imitationem Doctoris Matthæi Clauss, qui in sua Oenohydromachia Oeniponti edita, tanquam suffenus Musarum Hercules, & præ alijs in nubibus Aquila, pijssimum, paritérque tum temporis celebratissimum Patrem Drexelium, vnà cum Medicis Monacensibus nominatissimis, ob assertiones quasdam & theoremata, ab ipsis mutuata, libellóque suo de Ieiunio inserta, petulantis stili sui cotem esse voluit, & scopum, in quem acerbitatis suæ tela vibraret: cuius hydram lernæam capitibus obtruncatam, in capite, vbi de

potu hypochondriacorum tractauero, reuiuiſcere faciam, & efferueſcentes, furioſas, ebrioſaſque illius Herculis, veritatem impugnantis, phantaſias & deliria hypochondriaca, veritatis Elleboro expellere, & optimo rationis opio ſopire omnibus modis conabor.

Hoc fateor, ſine labore non fiet, quia ſcribentis curam ferè omnem poſtulat. Quippe rarò accidit benè fieri, quod occupato fit animo: certum enim eſt, nihil æquè judicio, vel potiùs memoriæ officere, quàm varias animi cogitationes. Non conualeſcit planta, quæ ſæpiùs transfertur: neque ad cicatricem vulnus perducitur, in quo crebra medicamenta tentantur. Quid ergò de me ſperari poteſt, quem tot curæ, & in curandis ægris occupationes non ſinunt ſtudio diutiùs immorari? ſequar tamen quò ducit animus, & in negotio captabo aliquod otium, tùm vt bono publico ſatisfaciam, cùm vt tædulam medicinæ praxim, gratâ laboris intermiſſione, ſiue potiùs mutatione, deliniam. Quod dum molior, nec breuitati admodum, nec prolixitati ſtudendum eſſe judico, ne lectorem vel inopiâ ſuſpenſum teneam, vel copiâ verborum opprimam.

CAPVT

CAPVT I.

De Etymologia, Definitione, Subiecto, & Differentia huius affectus.

AFFECTVS itaque morbosus iste, Arabibus & Barbaris tanquam à subiecto Mirachialis, à vocabulo Mirach, quod apud illos abdomen significat, appellitatur, eo quod humor adustus in hypochondrijs & abdomine coaceruari, & ibidem velut anguis in herba latere, postea exhalationibus suis fumosis cerebrum & caput molestare ac perturbare soleat. Nobis verò rectiùs & veriùs Affectio Hypochondriaca, id est, subcartilaginea, aut quasi dicas sub cartilaginibus posita, siue à causa, Melancholia, nominatur: quod sit affectus ex sanguine bilioso, humoreuè atro (pituitosis tamen in mesenterio delitescentibus non exclusis) illo quidem in epate, hoc verò in liene primùm abundante, postmodúmque vi caloris præternaturalis vtrumque viscus in hoc affectu obsidentis supercalefacto & propemodum assato mixtus. Græcis φυσώδης, & vulgò etiam flatulenta melancholia nuncupatur: quòd, qui ea labo-

Etymologia Nominis.

rant, flatibus abundant. Chymici, tartarum hypochondriorum appellant. Latiùs autem patet affectio & passio hypochondriaca, quàm melancholia hypochondriaca: nō solum enim melancholia, sed & alia mala plurima ex materia vitiosa in hisce locis cumulata, oriri possunt: neque semper cum affectu hypochondriaco, melancholia coniungitur, sed tum demum, cum cerebro, vapores peculiari modo dispositi, ex materia illa exhalantes, communicantur, spiritibúsque animalibus miscentur.

Definitio. Vnde definitur. *Affectio præter naturam, vt plurimùm flatulenta, cum intemperie sicca viscerum primæ concoctionis, & calida viscerum secundæ concoctionis: cum colluuie vitiosorum humorum, inprimis melancholicorum, sæpè etiam pituitosorum & biliosorum, in venæ portæ & arteriæ cœliacæ ac mesentericæ ramis, in hypochondrijs, præcipuè sinistro, inter ventriculum & lienem, maximè ijs locis, vbi plures maioresque venæ portæ & arteriæ huic coniunctæ rami sunt, præcipuè ob læsam lienis coctionem collecta, absque putredine; è qua vapores horum naturam obtinentes, vt & ipsius humoris aliquid ad alias partes transmissi, varia symptomata excitant: præcipuè verò delirium melancholicum non continuum, ex vapore eleuato, & cerebro communicato, spiritúsque animales in-*

qui-


quinante, &, vt melancholicum phantasma generetur, faciente. Dicitur autem affectio, hoc mali genus, ad differentiam aliarum melancholiarum: neque enim hæc melancholia symptoma est, vt aliæ impropriè ita dictę, sed morbus, & quidem non solum intemperiei materialis, in quo ipsa partium intemperies materiam cumulat, materies verò intemperiem fouet, pars quędam mandat, quędam recipit, (vnde etiam si putredo accedat, febres quandóq; cum hoc affectu complicari, nonnunquam etiam illas, in hunc transire posse verisimile est) verùm etiam meatuum obstructio scilicet, vt experientia declarat.

Subiectum huius affectus, meritò quęcunque pars in hypochondrijs contenta, in qua sanguis potest incalescere, & eiusmodi atras euaporationes efficere, tanquam pars primariò laborans, constitui potest. Doctissimus Sennertus, talem constituendum locum putat, in quo affectionis hypochondriacæ causa contineatur, è quo humores hinc inde fluere possint. Atque ipsum statuit esse ramos venæ portæ, & arteriæ cœliacæ ac mesentericæ, qui ab epate & liene ad ventriculum & vicina loca tendunt: & certè ea mesenterij, omenti, & pancreatis loca, è Subiectum

qui-

quibus in hæc vaſa humores vitioſi facilè recurrere poſſunt. Ex ipſo nimirum venę portę trunco, ventriculus habet ramum vulgò gaſtricum dictum, quem Adrianus Spigelius pyloricum appellat. Poſtquam verò truncus in duos inſignes ramos, alterum ſiniſtrum ſplenicum dictum, alterum dextrum meſentericum nominatum diſpeſcitur; à ſplenico quidem ramo accipit gaſtricum, à quo coronaria naſcitur, gaſtroepiploidem ſiniſtram, & vas breue aut venoſum dictum; à ramo verò meſenterico gaſtroepiploidem dextram. Arterias autem accipit ventriculus, ab arteriæ magnæ ramo cœliaco dicto, qui ad κοιλίαν, id eſt, ventriculum, ramos tranſmittit; ramum pyloricum, gaſtroepiploidem ſiniſtram, & vas breue arterioſum. Ab eadem vena portę, & arteria cœliaca, etiam vaſa accipiunt, lien, epar, omentum, meſenterium; vt ita facilis inter has partes conſenſus, & humorum communicatio eſſe poſſit; vt meritò in ramis venę portæ & arteriæ cœliacę maioribus, ſedem cauſæ mali hypochondriaci conſiſtere, ſtatuendum ſit. Cum enim vaſorum horum officium ſit, ad ventriculum & vicinas partes, ſanguinem, quo nutriuntur, deferre, & prętereà hiſce

AD PAG. 4.



PRO FACILIORI REI INTELLIGENTIA PLACVIT HAC ICONE EXprimere ſubiectum melancholiæ hypochondriacæ, quatenus in venæ Portæ vaſis, per ramificationem hepar egreſsis, conſiſtit.

AA &c. *Propagines venæ portæ per hepar.*
1.2.3.4.5. *Numerus ramorum in quos vena portæ divaricatur.*
B . *Vena portæ iuxta hepar.*
CC. *Cyſticæ gemellæ.*
D . *Vena gaſtrica dextra ad pylorum.*
E . *Venæ portæ divaricatio.*
F . *Ramus ſplenicus.*
G . *Ramus Meſentericus.*
H . *Gaſtroepiplois dextra.*
I . *Duodena.*
K. *Gaſtrica minor.*
L . *Epiplois dextra.*
M. *Rami e ſplenico ad pancreas.*
N . *Gaſtrica maior.*
OO. *Eius rami poſteriora ventriculi adeuntes.*
PQR. *Coronaria ſtomachica.*
S . *Epiplois poſtica.*
TT. *Diuiſio rami ſplenici in liene.*
V. *Epiplois ſiniſtra.*
XY. *Vaſa breuia.*
Z . *Gaſtro epiplois ſiniſtra.*
aa. *Diuiſio rami ſplenici in liene.*
bb. *Meſenterica dextra.*
cc. *Coli inteſtini veã.*
dd. *Venæ recti inteſtini.*
ee. *Venæ hæmorrhoidales.*

hisce vasis natura abutatur, quasi ad humorum vitiosorum è toto corpore expurgationem, siue illa spontè, siue medicamentorum opera instituatur, & ad intestina, quæ inter loca conferentia 1. aph. 20. nominantur, humores vitiosi peruenire non possint, nisi priùs hæc vasa transeant: patet hinc, quicquid superflui & vitiosi in liene, epate, imò toto corpore colligitur, in his locis cumulari posse. Neque enim solum ventriculus & lien (quæ aliàs in hoc affectu potissimum laborare solent, quod præ cęteris omnibus in abdomine contentis visceribus ventriculus cerebro maximè consentiat) sed etiam reliquæ partes, quæ hypochondriorum nomine continentur, vt septum transuersum, intestina, mesenterium, venæ mesaraicæ, jecur, musculi, pro parte affecta habendæ sunt. Maximè autem ex his posterioribus, patitur mesenteriũ, nonnunquam tamen epar, liénque: in venis enim mesaraicis, non tantùm mesenterium & omentum, sed & alia viscera perreptantibus, inprimis vbi, vt modò dictum maiores venæ portæ rami versus lienem & ventriculum in sinistro latere (quò loci & dolores ac molestię frequentiùs sentiuntur) tendunt, latet & coaceruatur

hæc materia melancholica, quæ fumis suis postea cerebrum molestare ac perturbare solet.

In fœminis, vterus aliquãdo laborare potest: siquidẽ nihil impedit, quò minus ex ijs partibus etiam vapores eleuari, & sic melancholiam inducere queant. Vt verò summatim dicam; quoad situm, tres sunt partes præcipuæ, in quibus hæc affectio sedem habet; jecur, lien, & mesenterium. Ac jecur quidem, melancholiæ hypochondriacæ author est, cum nimio calore cibos semicoctos rapit à ventriculo, & contentos in vasis suis humores adurit, & incrassat. Lien verò cum nec succum melancholicum probè secernit, nec secretum & attractum perfectè elaborat vel expurgat; quod accidit propter nimiam paruitatem, aut incrementum: cum enim plus æquo minor est, quam deceat, turget & increscit, sanguinis fæcem nõ satis repurgat, nec retinet; quo fit vt in venis refluat, & sanguinem ad alendum ineptum reddat: vnde corpus totum emacrescit, dum genio defraudatur. Mesenterium, cum venis constet innumeris, multis glandulis, & ipso pancreate, colluuiem humorum, veluti sentina quædam, coaceruat, vnde morborum ilias pronascitur, pro materiæ

diuer-

diuersitate, varia mixtione & qualitate. Illic ergò, si succus melãcholicus, vel solus, vel (quod sæpius accidit) cum alijs permixtus humoribus cumuletur & computrescat, materiam & fomitem suggerit putridis febribus, & ijs quidem intermittentibus. Quod si tantùm efferuescat, simúlque pręcordiorum & venarum quandam phlogosim accendat, tetros ex se vapores, tanquam è fomite, in partes tùm vicinas, tùm supernas, atque adeò in corpus vniuersum effundit: vnde prodeunt tam varia symptomata, de quibus mox dicturi sumus. Sunt igitur hæ partes, in quibus residet melancholia hypochondriaca.

Differentiæ sumuntur ab affectis partibus, humore obstruente, & symptomatibus assidentibus. Si spectemus partes affectas, in tres species distinguitur: hepaticam, spleneticam, & mesentericam; quæ tamen vix seorsim contingunt, sed plerúmque cōmiscentur, propter viciniam, vasorum communionem, & operis societatem. Penes materiam, quædam fit à melancholia naturali, quæ in venis primis retenta paulatim incalescit, & in atram bilem degenerat: alia, ab adusto humore, quæ symptomatis *Differentiæ.*

ferocioribus proditur: alia, à crassa pituita, cui pauca bilis admixta, parit incendium. Penes symptomata, quædam leuior est, alia ferocior; vtraq; in varias species distinguitur, pro phantasmatum diuersitate. Brunnerus differentias huius affectus enarrat duas; vnam ex qualitate innominatæ luis; alteram ex atonia lienis, quæ contagione serpit, & scelotyrbica mala generat, cons. 7. Septentrionales Æsculapij, omnibus quasi morbis hoc genus accomodare videntur. Diuidit idem author in cit: cons: hypochondriacum affectum, in nothum & perfectum: hunc fieri, dum in sinistro hypochondrio, venæ, fœculenta quadam cruditate turgent; illum, si minera venas hepatis, & mesenterij dextræ partis occupat. Differt quoque ratione subiecti & sexus; alius viris pariter ac mulieribus communis est; alius virginibus, viduis, sterilibus, & nonnunquam prægnantibus, ob vteri vitium, proprius & peculiaris.

CAPVT II.

De causa Coniuncta & Proxima Melancholiæ Hypochondriacæ.

CAVSA coniuncta seu proxima, non immeritò statuuntur vapores adusti, tetri & fuliginosi, seu fumosæ exhalationes, ex sanguine adusto, humoreuè atro ac bilioso, in hypochondrijs, mediante viscerum inibi contentorum calore præternaturali, humores quasi torrente & assante congesto, originem ducentes, quæ tanquam ex palude ac camerina quadam sursum ad cerebri arcem delatæ, illi vitium suum imprimunt, sicque spiritus animales alioquin puros & limpidos insuaui tristique halitu afficiunt, obliterant, obfuscant, & tenebricosos reddunt. Flatus quoque in hoc malo concurrere extra controuersiam est: non enim solùm vaporum copia, verum etiam persępè multitudo quædam halituosi & flatulenti spiritus per calorem è materia, quæ in corpore præstò est excitati (maximè si concurrant obstructiones infimi ventris, pylorique arcta conclusio, cum tunc impedito quasi humorum & vaporum

Proxima causa humores adusti.

Flatus.

rum transitu, vt neque infrà flatus, erumpere queant, hypochondria inflari, rugitúsq; percipi necesse est) partes corporis, in quas fertur, molestiâ afficit. Flatus enim, cùm mobiles naturâ sint, haud in cauitatibus fixi manent, sed cuniculos vbique parant, linquentes hospitium vetus, ac membranas intestinorum perreptant, & se in musculos, neruos, tendines abdominis insinuant, quos perreptando cōuellunt, & quum copiosi sint, non acquiescunt in horum commotione, sed & thoracis & genitalium musculos, vtpote vicinos, vellicant, ac spasmum, excitatis tot expultricibus in ijs, causant. Hinc est, quod Montanus pronuntiat, posse quidem flatus hypochondriacos esse sinè affectione hypochondriaca; affectum verò hypochondriacum nunquam sine flatibus consistere posse.

Epatis calor. Dum itaque melancholia hypochondriaca in venis dextræ partis est, ab epatis caliditate excedente ita calefiunt, vt calefaciendo chylum, perpetuo feruore & ardore, molestiam quasi caliditatis alicuius internę, in eo loco exhibeant. Cum verò in sinistra parte est, in venis nempe mesaraicis, quæ sunt inter splenem & ventriculum sitæ, tunc frequentiùs delirij causa cumu-

 latur.

latur. Non est autem continuum delirium, sed tam diu durat, quamdiu vapores atri, spiritibus animalibus miscentur; quibus discussis, & illud vel euanescit, vel minuitur, atque iterum redit, vel exasperatur, vbi noui vapores & flatus, qui caput petere solent, collecti & coaceruati sunt. Feruntur autem vapores melancholici ad caput, per venæ cauæ ramos & arterias: facilis enim vaporum ex vena portæ in cauam est transitus, vt & in arteriam magnam, per arterias, quas lien habet magnas & multas.

Quomodo vapores melancholici ad caput ferantur.

Post Dagmaticos, ab Hermeticis quibusdam, præter siderum, Saturni videlicet lienis, & Mercurij cerebri præsidium influentias, huius mali causa asseritur, spiritus vitæ, veneno mercurij infectus, qui mercurius ex sublimatione, à salibus venenositatem quandam induens, eam spiritui vitæ communicet, talémque affectum excitet. Seu potiùs ex tartari cum sale primùm in corpore commistione, dein agitatione, ebullitione, & quasi fermentatione, ac tandem sublimatione, fixationéque, affectum hunc originem trahere, statuendum.

Chymicorum causa proxima.

CAPVT III.

De causa Antecedente Affectus Hypochondriaci.

Antecedens causa. ANTECEDENS causa est, tum sanguis feruentior assatúsque, tum humor partim ater & lutulentus seu feculentus, partim biliosus, in hypochondrijs seu visceribus inibi concontentis suprà modum calefactis, genitus & coaceruatus, per fermentationem seu ebullitionem quasi, vapores & flatus de sese ad arcem cerebri mittens. Et quamuis humor melancholicus frigidus sit & siccus (respectu videlicet aliorum humorum) tamen nullus tam flatulentus est, quàm ille idem, quippe cùm facilè ad fermentationem excitari possit; magis quoque terrestris & compactus cum sit, si calor agat in illum, in dissolutione quasi rebellis est ; vnde fit, vt in flatus facillimè conuertatur & facessat. Ansam verò præbent horum humorum generationi, inter causas internas, etiam temperamẽtum totius calidum & siccum: plerúmque enim dispositiones naturales, præternaturalibus occasionem dare consueuerunt, propterea quod

in

in habentibus symbolum facilis est permutatio.

Multæ partes in hypochondrijs peccant, ventriculus scilicet & intestina, sicciori calore chylum producentia, venæque meseræi, quarū intemperies sicca & calida, quotidiè alluente fouetur chylo crasso, & coctura calidiore; in his partibus coctio prima, & vitiatur, & eius perfectio impeditur; vitiatur, quùm in hypochondriaca affectione ventriculus siccior sit, quàm vt bonam chyli coctionem efficiat; impeditur, quia venæ mesenterij calidiores, humidum exugunt ex coquendis, & in chylum formandis, citiùs quam par est. Vnde crassior chylus & terrestrior, qui in venis mesenterij torpidè mouetur, & pigrâ quiete vasis illis vitium infert infarctus; quòd si siccus calor diutiùs in illum agat, elicit flatus, & vberem vaporum prouentum producit. Ex quibus quid eruitur aliud, quàm vitium in primæ concoctionis organis primariò hęrere, & aucto morbo in consensum rapi vasa & viscera illa, quæ in alterando chylo ineptè elaborato operari debent. Vnde & illa in suâ operatione, & deficiunt & aberrant, & fit etiam sanguificatio mala. Nec mirum! ventriculus

Ventriculus subiectum causa antecedentis huius morbi.

culus sic malè dispositus, chylum crassum, viscosum & tenacem concoquit, rapiunt eum gastricæ & mesentericæ venæ, cuius nec viscera sanguificationis emendant labem, sed sanguinem crassum, viscosum aliquo modo ex eo efficiunt, cui opus est ad motum vehiculo copioso, quod est serum; quod cùm ex potu & liquidis fiat, siticulosi hypochondriaci bibunt largiùs, aut brodijs vtuntur multis; quæ tamen liquida, vasa ventriculum adsistentia (de quibus suprà) citiùs hauriunt & exugunt, quàm chylificationi in tali ventriculo expetit. Quare manet crassus chylus, cuius & in venis motus tardus est, qui infarcit vasa, ac in ijs hærens tardè serpit; hinc tot obstructiones. Præterea cum & arteriæ mesentericæ, & gastricæ, chylo tali & sanguine repleantur, quia meabilis suâ naturâ & mobilis non est, sed magno & valido promotore opus habet, diastolem causant magnam, vnde in hypochondrijs palpitatio. Denique cum crassus sanguis habeat spiritus pauciores, crassos, vaporosos, austrinę tēpestati similes, haud mirum est, si cor & cerebrum in consensum veniant: ambo siquidem viscera, ministerio horum opus habent, illud ad vitam, hoc ad sapien-

tiam conseruandam. Ex quibus manifestum est, officinam chylificationis esse subiectum causæ antecedentis huius morbi.

Retẽtio & distributio vitiosa in vasis cõcoctionis primæ.

Error porrò qui in retentione & distributione fit, eadem affirmat. Ventriculus siquidem amplectitur chylum, quem venæ exsugunt mesaraicæ, quarum actio si deprauata est, tenuem humorem & liquidiorem, antequam vllam perfectionem à vi chylificante accepit, ad se rapiunt, & relinquitur crassamẽtum chyli in ventriculo, quod suâ vi fermentante chylum omnem corrumpit, cùm in corpore crasso sit, ob quod pigrum est, & minùs permeabile. Quòd si verò lassæ sunt, ob intemperiem, aut à crasso cremore hausto infarctæ, desistunt ab opere, & serositas relinquitur in chylo, quę diffluum facit chylum. Primò itaque hic læditur ventriculus, & in eo pylorus, postea intestina, & vltimò venæ gastricæ, ac epiploicæ, mesenterij. At si morbus vires acquirit, distributio vitiosa fit, & vasa portæ, & arteriarum mesenterij, cum visceribus, in consensum rapiuntur. Quibus itaque plexus sunt subtiliores, illis maius inest vitium.

CAPVT IV.

Continuatio causæ Antecedentis.

Cruditas chyli vnde fiat.

RVDITAS chyli in hoc malo, non fit ob priuationem concoquentis ventriculi virium, ſed quia deprauatè agit, tùm ob intemperiem, tùm ob errorem externum. Deprauatâ verò coctione corrumpuntur cibi, vel in ſubſtantiâ, vel qualitate: chyli ſubſtantiam diximus corrumpi, quandò vaporoſa eius ſubſtantia in flatus abit, humida in cremorem craſſum, tenacem & lentum. Coctio omnis effectus caloris eſt, nec frigori corrumpenti in viuo hominis corpore datur locus, nec in externam aliquam partem ſine periculo aut nece, multò minus in inſtrumentum primarium coctionis primæ. A calore igitur erit actio; nec id negat Galenus, qui ventriculos halituoſo ſpiritu repletos, calidiores dicit. 3. de ſympt. cap. 1.

Coctio effectus caloris non frigoris eſt.

Quidam frigidam intemperiem affingũt huic malo.

Licet multi ſint qui frigidam ventriculo in hoc malo temperiem affingant, vti Montanus Pergameni ſenis olim anima dictus. conſil. 229. 232. 236. & 235. Brunnerus conſ. 5. Riolanus item in methodo particulari. Matthæus Martini in

morbis mesenterij. Qui hoc proprium huius affectus dicunt, quod caliditas in hepate incipiat, & postea frigiditas ventriculo communicetur: nam vbi est ignea hepatis qualitas, ibi consumitur pinguedo, quæ est in abdomine, quæ conseruat & colligit calorem ventriculi; ex quibus patet, illos ex accidenti ventriculo frigidam temperiem affingere. At si ruminantur præcedentia mala, aut vitia in coctione, minùs illi satisfacient. Sequitur enim hic morbus vel causum, vel chronicum aliquem ignem, qui calidam & siccam affricant intemperiem ventriculo, quæ ipsi aliquo modo habitualis fit. Vitium infert victus calidior, qui hospes suo hospitio ardorem, & quãdam ariditatem relinquit; sic & mœror exiccat corpus. Quòd si excreta consideramus, flatus, limosum ac crassum alui onus, tenax phlegma; neq; hęc primę coctionis organis denegabunt calorem. Magnus Galenus, syncerum frigus negat flatus producere, cum non attenuet, dissecet, & conficiat alimentum instar caloris, vt eruo ex 1. cap. de sympt: causis. 3.

Calor itaque autor est, & promotor generationis flatuum, non humidus, qualis est vitalis *Calor causa flatuum*

& nutriens, sed aliquo modo siccus. Appellatur à Gal: diminutus, quia quodammodo dissoluit, non tamen conficit prorsus cremorem chyli: cum enim bona & perfecta chyli productio à ventriculi humido fiat calore, certè deprauata in sicco erit. Edocent hoc prægressi morbi, febres chronicæ, longæ causodes, calidus & siccus victus, vinum meracum, curæ præposteræ; quibus ventriculi humiditas absumitur, & omentum, quod adstans ventriculi vocatur, gracilescit. Eadem genita in tali ventriculo monstrant flatus (quos causa, crassum tenuans & dissecans, ac in vaporem mutans, producit) qui nec frigoris nec humiditatis soboles sunt. Alui item excreta limosa, crassa, tenacia, continuata exiccantis quodammodò caloris inditia. Siccus igitur calor in chylificationis organis, deprauat chyli elaborationem, & distributionem in malo hypochondriaco: crassum, tenacem, & aliquo modo viscosum chylũ ille producit, qui in mesenterij raptus venas, piger ibi serpit, & in illis corrumpitur: habent enim & hæc vasa æstum quendam, & quo propiora ventriculo, eò maiorem, maximè si præcessit febris æstuans. Chylificationis itaque or-

gana, tàm ea quæ concoquunt, quàm quæ distribuunt, discrasiam talem inflammatoriam habent, quod etiam confirmat Gal: ex Diocle. 3. de loc. aff: 7. quod tamen Montanus cons: 236. negat phlegmonem esse, sed phlogosin.

Variant multum Authores in assignatione loci affecti, vti quoque in cura illius: iuuantia autem tàm purgantia quàm alterantia & nutrientia, volunt esse in hoc malo illa, quæ primas detergunt vias, quæque humectant & modicè refrigerant, inter quos Montanus in consilijs suis à 229. vsque ad 235. primas tenet, quandò conseruam rosarum, & alia quamplurima sæpiùs proponit, quæ discrasiam siccam, & quodammodò calidam in ventriculo esse docent. Felix Platerus scribit, eò vsque hanc durare affectionem, donec rursus flatus discussi sunt, vnde æger leuamen sentit, tam diu, donec noui exurgunt. Hoc fieri, quando flatus ructu aut crepitu excluduntur, aut crassam materiam vomitus, aut decessus expellit; ardores mitigari ex cibo moderatè frigido sumpto. Quare curam vult perfici, vomitorio, clysmatibus, diureticis, humectantibus. Montanus sic instituit hypochondriaci mali curam, vt aluus semper sit lubri-

Authores variant in assignatione loci affecti & cura.

lubrica: sæpè enim eam exonerare salubre est, ideóque laudat cassiam; quòd si altiùs malum insederit, sennam, epithymum & elleborum addit: reiicit tamen omnia selectiuè purgantia, & quæ è longinquo trahunt, vtpotè calida. Aloën tamen admittit, cum sit medicamentum, quod detergit pituitam ex vijs primis, & confortat stomachum. Iubet repetere sæpiùs lenientia, propter multiplicationem humorum, cùm ea quæ per contactum agunt, plùs agant, & etiam copiosè data, satis purgent. Postea alterantia laudat humectantia: præcipuum enim est in omnibus patientibus affectus melancholicos, humectare corpus. Vnde jubet concoquentia esse omnia humectantia, & modicè calefacientia, quæ vult esse jus pulli, cuius & multum vsum laudat, quia humectat & corroborat stomachum; quod aliquandò alterat, cum radicibus polypodij, quia sunt dulces, & non multum calefaciunt, & sunt gratæ gustui, & nõ fortiter euacuant, duabus radicibus liquiritiæ, tribus boraginis vel buglossę, quam decoctionem loco syruporum exhibet, quos etiam pręscribit, vt syrupum de cichoreo cum rhabarbaro, & sine illo, syrupum de absynthio, de pomis

mis dulcibus, de boragine, de capillis veneris; quod si victus rationem quam præscribit, benè consideramus, etiam humectantia & modicè calefacientia in numero iuuantium esse, vt sunt caro pullorum, hœdorum, vitulorum lactentium, oua sorbilia, obseruabimus. Iubet etiam vti ante prandium & cœnam frequentissimè sacchаro rosato, ad quantitatem vnciæ; jura pulli sæpiùs propinat; vinum tenue, album, humectans, qualia sunt vina paucifera, dulcia, limpida, tenuia, bene matura, non aquosa, quæ facilè distribuuntur per venas, &c.

Subscribit etiam appetitus frigidorum in cibo & potu, quod in vētriculo sit discrasia sicca, & quodamodo calida. Vnde Platerus ex Rhasi, aquam genuinum antidotum huius mali pronunciat. Adstipulatur Rein: Solenander sect: 2. cap. 7. Qui vtile esse quandóque à vino abstinere, & pro eo aquâ purissimâ vti scribit. At frigida aqua, frigidis alterata, vt sunt cerasa siccata, grana ribes, succus granatorum, vt loco citato Rein: Solenander suadet, frigido vt conveniet ventriculo? vina aquosa quoque prohibent, fortè quia facilè acescunt, nec diuretica sunt. Iuuantia itaq;, humectantia, & quodam-

Appetitus frigidorū ventriculi caliditatē & siccitatem indicat.

modò refrigerantia primò chylificationis, secundariò seu successiuè, sanguificationis organis vidimus dedicata. Nocentia econtrà, omnia calida, si immoderatus eorum vsus, & frigida acida. Crato lib. 2. cons. 19. selectiuè purgantia, quia calore obsunt. Montanus cons: 233. & 234. reijcit: & Crato loco citato paucissimum eorum vsum præcipit, quod à suo mutuauit Montano, qui cons. 230. ita scribit. Consulo vt Medicos fugiat, & medicinas: facilè enim erunt causa sui excidij. Addit rationem, quia communis consuetudo aliquorum Medicorum est, exhibere calida, & vt ipsi inquiunt, carminatiua ventositatum. Dum autem illi symptomati attendunt, non aduertunt quod ægro noceant, & interitum accelerent, augendo causam atque originem ipsius ægritudinis. Idem vina potentia infesta dicit, cons: 229. & 233. Prohibet & Felix Platerus vinum generosum. Cibus calidior, copiosior, corruptus, praui succi, siccus, dulcis, pinguis, acris, inter nocumenta à Platero ponitur. Res frixas in sartagine, & aromata nocere ait Montanus cons: 229. quare diatrion pipereon, sine saccharo rosato, non admittit, cons: 232. sic copiam carminatiuorum & Montanus &

Pla-

Platerus ob calorem nocere putant; ſic & excretiones impeditæ. Quæ nocentia, primò chylificationis organis nocent, eis diſcraſiam inducunt ſiccam, opúſque eorum deſtruunt, poſtea membris ſanguificationis, quibus chylus corruptus communicatur, à quo diuturnitate temporis, eandem labem contrahunt, & ex craſſo vaporoſo chylo, craſſum ſpumoſum ſanguinem generant, cui opus eſt vehiculo multo, ſero ſcilicet.

Concludendum itaque, hypochondriacum malum à ventriculo primordia ſumere, qui labem accepit, aut ab errore externo, aut à morbo, quæ ei diſcraſiam ſiccam, & aliquo modo calidam introduxêre, ita vt eius ingenitus humor acris, fermētando chylum corrumpat; calor ſiccus ventriculi, viſcidum & tenacem eum reddat; & hanc diſcraſiam communicari vaſis proximis, inprimis epiploicis & gaſtricis, quibus etiam feruor communicatur, vnde illa exugunt cōtinuò, quaſi tenue & limpidum ex ventriculo, hinc in hoc malo appetitus maior, & vſus frequentior liquidorum, ſitis ac ariditas gulæ, & alui pigrities ac ſiccitas. Deſcendit igitur craſſus & viſcoſus ac flatulentus chylus, pyloro

Malum hypochondriacum à ventriculo calido & ſicco primordia ſumit.

ſoluto in inteſtina, hunc exugunt venæ meſaraicæ, & vaſa arterioſa: quis igitur ſanguis expectandus? craſſus, fibroſus, ac tardi motus, qui in arterijs etiam ſpumoſus eſt. Et talis humor tardè perrepit vaſa, in viſceribus, quibus plexus ſunt vaſorum ſubtiles, hærebit, obſtructiones cauſabit, & aliquo modo incendetur, quamuis non putredine illa quæ febrem dat, ſed quæ calorem præternaturalem in organis nutritionis cauſat. In arterijs quidem, feruor ille temperabitur à copia ſeri, quod arteriæ gaſtricæ hauriunt, at quia craſſus eſt ſanguis, ſerum diaſtole frequenti propelletur, & ad emulgentes verget. Intemperies itaque corporis ventriculi calida & ſicca, & eius ingeniti humoris ac ſpiritus, primũ malum eſt, quod corrumpit chylum; eadem diſcraſia vaſorum epiploicorum ac gaſtricorũ, raptum cauſat tenuis chyli, qui ex potu; craſſities chyli, obſtructiones, viſcoſitas & flatulentia, ſunt ineptitudo ad gignendum bonum ſanguinem; hæmatoſeos organa, ob plexus illos tenues vaſorum, apta ſunt ad obſtruendum, & ab obſtructiõe, inepta fiunt ad benè elaborandum ſanguinem, vitium acquirũt, & labem patiuntur; organa vitæ, ob ſanguinem arterioſum,

ſum, craſſum, ſpumoſum, conſentiunt. Quæ omnia ſatis fusè dicta eſſe mihi videntur.

CAPVT V.

In quo reſpondetur ad oppoſitiones quaſdam pro capite præcedente cauſa Antecedentis.

NEGANT quidam, à calore chylificationem fieri. 1. Quia chylificatio non fit calefaciendo, quod opus caloris. 2. Quia in ſolo ventriculo fit, cum calor per totum corpus diſperſus vbique ſibi ſimilis ſit, & ſimilia agat. 3. Quia in ventriculi fundo qui exanguis eſt, membranoſus, inteſtinis frigidis adhęrens, chylificatio fit. 4. Quia calor intenſior, fortior eſſet, & chylificatio ab eo perfectior: at febris & aromata copioſa, contrarium docent. 5. Quia chyli color albus eſt: at vrinas tinctas videmus à caloris qualitate, vel flauo, vel rubro, vel fuſco, vel nigro colore. 6. Chylus, vtpote alimentum hominis, temperatus eſt. 7. Homo, minùs frigidis, quàm calidis in victu carere poteſt, vtpote potu; at hæc frigida, calorem in chylificando impedirent. 8. Inſtrumentum chylificationis ventriculus, frigidus eſt naturâ. 9. Humida &

Argumẽta quorundam qui negant à calore fieri chylificationem.

aquea, ficcioribus citiùs concoquuntur, at illa, vt calori contraria, reagent in calorem chylificantem, vnde concoctionem retardarent. 10. Si cancri & conchylia quorū natura frigida est, & quæ homine frigidiora (idem de auibus, de insectis dici potest) quædam digerunt, quæ etiam à calidissimo animali impossibilia digestu; certè calori concoctio cibi non est adscribenda: maximè, cum testæ leguminum, putamina fructuum, tendines, membranæ, & partes neruosæ animalium, induratum albumen oui, anguilláque cruda, egerantur, quæ calor concoqueret, si ille autor esset chylificationis.

Solvuntur Argumēta.

Quorum pace tamen liceat dicere, neminem Medicorum ita rudem esse, vt quemlibet calorem, autorem chylificationis dicat, sed viuificantem solum, cum omne viuens nutriatur; at calor viuens in humido residet, viget, viret, & in eo operatur. Hunc natura prouida substrauit animæ nutrienti, quę eo ad chyli productionem coutitur, qui ventriculo ingenitus est. Hic chylum producit, colore album, quia assimilat formæ instrumenti, vt calor sanguificationis sanguini rubrum colorem dat, quia hepar rubrum est. Color vrinarum, non semper caloris

est,

eſt, ſed vtplurimum humoris alieni permiſti, qui cum in corpore feruet, etiam caloris præter naturam ſignum eſt. At talis calor cum igneus, à Medicorum ſchola non ad chylificandum admittitur, temperatum illi volunt, eíque actionem committunt, cui adiungunt idioſyncraſiam ventriculi. Potus frigidus qui auidiùs appetitur, non eſt neceſſarius, ſed à conſuetudine; ſcimus in Oriente calidiſſimum ſorberi potum à Turcis. At nos jam qui frigido potui aſſueti, appetentiam eo prouocamus, calidum cibum temperamus. Et licet chylificatio elixationi aſſimiletur, alia tamen eſt ventriculi operatio in chylo producendo, quàm artificis in elixando; & differt chylificatio ab elixatione efficiente causâ, quia non tantùm calor naturalis viuentis animæ, qui calidus & humidus, concoquit, ſed vtitur inſtrumento appropriato, & ſibi ad hoc opus deſtinato, ventriculo cum adiacentium partium adminiculo, cui proprietas quædam innata eſt, quę talem cremorem producit, qualis nullibi in corpore gignitur. Deinde etiam fine; quia coctione res ſaltem ad perfectam temperaturam ſeu qualitatem ducitur; in chylificatione, materia concoquenda in ventriculo

non

non tantùm in cremorem & humorem, verùm etiam in nouam quandam substantiam mutatur, ab ea longè diuersam, quæ ab extra pro alimento assumitur, & cibus est.

Iterum instant aliqui. Medicos promouere coctionem ventriculi non calidis humidis, sed siccis, vt sunt Diatrion Pipereon. Zedoaria. Zingiber, &c. quibus incendi ventriculum aiunt; vnde Medici incendiarij stomachi vocantur. At Galenus noster, ventriculũ in coctione deficere dupliciter ait; vel quandò ipsa facultas patitur chylificans, vel, quandò illâ saluâ, error alienus seu externus, operationem eius impedit. Facultatis vitium duplex rursus facit, intemperiem calidam, frigidam, siccam, humidam, aut morbum organicum; hunc officere retentioni, illam coctioni; quùm idiosyncrasiæ, quæ illâ vtitur, nonnihil noceat. Errores externos triplices recenset; cibus aut copiâ aut qualitate coctioni immorigerus; excremẽta in ventriculo aut genita, aut collecta, aut in eum deposita; denique modus vtendi cibos præposterus. Ex quibus patet, etsi ventriculi ingenitâ vi calor nutriens vtatur ad chyli productionem, tamen labefactatâ temperie eam ineptam esse

ad

ad benè agendum, quam corrigere conuenienti decet medicamine. Deinde & errorem externum, impedire ventriculum etiam benè dispositum, ne benè operetur. Porrò ventriculi idiosyncrasiam indigere iuuamentis interdum, quæ emendent hæc vitia. Quare calida ijs ventriculis consecrantur, in quibus pituitæ prouentus, & apepsia, id est cruditas, cui aromatica vis se opponit, reficiens ventriculum, quùm omnia odorata ab eo amentur, & fœtida subuertant eum. Vis quidem illa spirituosa aromatum, succurrit idiosyncrasię stomachi, caliditas errorem emendat, nimirum excrementum retentum crudum; ex accidenti itaque prosunt, quùm pituitosos cibos & humores, quorum natura est diffluere, inspissant, ac in crassam consistentiam mutant, vt ex eis æqualis humor produci possit. Calida igitur aromata errori dicantur, & ventriculi humiditati, quam exugere & absumere debent. Quercetanus laudat Piper in lib: suo Diætetico cap. 8. non caloris ratione, sed ob sal aronicum, propter quod subtile est, incidens, penetrans & dissoluens: prodesse ventriculi coctioni scribit, quùm eo tartarea & viscida omnia ex ventriculo, alijsque partibus, soluantur ac

deturbentur. Idem de Zingibere, Zedoaria, & Arone pronunciat, in crassiore tamen latitare substantiâ, ob quam etiam minus penetret, tardiúsque pipere agat. Ex quibus clarum, nec hoc argumento calorem à chylificatione remoueri, nec nos idiosyncrasiam ventriculi (quæ nihil aliud, quàm temperamenti ventriculi, proprietas & conuenientia est) temperie justâ ornati, à chylificatione remouisse. Nil igitur opponentes concluserunt contrà communem Medicorum scholam.

Qualisnā sit humor ille acidus chylificationis artifex.

Humor acidus, quem quidam solum chylificationis artificem faciunt, non est ille succus melancholicus, acerbus, terrestris, crassus, sed acidus, tenuis, spirituosus, ventriculo ingenitus: ille enim acerbus est, huic grata aciditas: ille appetitum prosternit, hic eum suscitat: ille ob crassam & siccam qualitatem, quæ in terrestri substantiâ est, obtusum causat sensum, tardum motum, ac acerbitate hæmodiam (id est stuporem dentium) dentibus, hic tenuis est, subtilis, penetrabilis, & ad motum facilis; vnde ascendit in palatum, linguam, dentes; quod terrestri negatum. Humor hic, cibi masticati gluten, seu fermentum quoddam est, quo eius vnio & cõgluti-

glutinatio fit; est fermentum, quod acido suo spiritu soluit, minuit, atterit etiam arida, crassa, & dura, in ventriculum inter cibos recepta, vt faciliùs in humorem possint solui, vt tota massa pultis formam quandam liquidam recipiat, cui deinde ingenitus ventriculi calor fouens, quãdam quasi nouam formam inducit, quæ chyli propria dicitur, quam acidus hic humor omnibus partibus chyli communicat, cum per totum feratur æquabiliter.

Humor acidus chylificationis minister est.

Minister igitur hic humor acidus, tenuis, spirituosus, chylificationis est, qui suas operationes in ore inchoat manifestè, in ventriculi fundo perficit, quem eius innatus fouet calor, & mouet, quo absumto, aut diminuto potiùs, appetitus jacet, chylus siccior fit, quo acriori reddito, chylus nimium fermentatur, inflatur, & spumescit; solus tamen, & absente calore ventriculi, ineptus est, vt chylificationem perficiat, aquosus, inutilis, tardus, & cruditatum autor. Quibus omnibus manifestum, calorem humidum benè concoquere, siccum malè: tùm ratione corporis ventriculi, tùm ministri humoris, scilicet acidi & spirituosi ei ingeniti. Ptyalismus & saliuationes frequentes in hypochon-

Saliuationes frequentes in

 driaca

hypochondriacis vnde. driaca affectione, non negant, calorem ſiccum deprauare coctionem, cum hæ ſaliuationes, & humorem agnoſcunt ventriculi, & glandularum faucium, quæ à cerebro humidum ſuſcipiunt, & in ſaliuam conuertunt. Eſſe verò hypochondriacis caput pituitoſum, fortè nemo dubitabit, & humorem acrem, ac quaſi corrodentem, in eorum ventriculis, jam diximus; hic mouetur imaginatione etiam, maximè ſi de cibo cogitatur; hic vellicabit pariſthmia, vt eliciant humorem à cerebro, hinc illi ptyaliſmi. Taceo, quòd talibus potus appetentia eſt auidior, quare chyloſi, humoris acidi crebrior reſtauratio, & tenuior ſubſtantia, cuius in os etiam motus facilior.

CAPVT VI.

Quorundam Autorum opiniones, de cauſa proxima & efficiente, præcipuè verò de cauſis huius mali in Fœminis.

Rondeletij opinio de cauſis melancholiæ hypochondriacæ & RONDELETIVS meth: curandi morbos, cap. 42. malum hoc ab intemperie ſicca cum aliqua caliditate, ſine affluxu, ſed cum obſtructione potiùs, à ſanguine craſſiore, fieri ſtatuit.

tuit. Cum Rondeletio consentiunt ij, qui in hac affectione ventriculum, intestina, mesenterium cum illius venis, intemperie calidâ & siccâ laborare putant. Inter quos Philippus Hœchstetterus, Augustanorum Medicorum olim Coryphæus, vir magnę doctrinæ, approbatissimis, & omni exceptione maioribus rationibus, rem confirmauit, in suis aureis obseruationibus: cuius sententiæ tanquam veriori, & experientiæ affiniori, ego quoque adhæreo; quæ, vti spero, in præcedentibus capitibus satis explanata est. Diocles præcipuam huius mali causam, obstructiõem venarum mesentericarum, & calorem eâ de causâ ortum, oris etiam ventriculi inferioris inflammationem, statuit. Verum hoc si fieret, alimentum in toto corpore deesset, neque corpus ita nutriri, quod tamen plerúmque fit, posset. Paulus Ægineta, lib. 3. de re medicâ cap. 14. hunc morbum ex inflammatione circà stomachum oriri scribit. Verùm si inflammationem non veram, sed phlogosin seu calorem, & æstum intelligit, facilè tolerari eius sententia potest. Phlegmone autem propriè dictum admitti non potest, cum hoc sine febre, quę in affectu hypochondrico rarò appa-

Hœchstetteri.

Dioclis opinio.

Pauli Æginetæ.

Auicennæ opinio. ret, excitari non possit. Auicennas, lib. 3. fen. 13. tract. 2. cap. 1. & ab epate, & à liene, malo huic materiam subministrari scribit. Quæ sententia si rectè explicetur, non incommoda est.

Danielis Sennerti opinio. Celebratissimus ac versutissimus Sennertus, in lib. 3. part. v. sect. 1. cap. 3. commodissimum suadet statuere, præcipuam à quâ vitiosi humores, proximâ huius mali causâ, generantur, causam esse lienem: etsi quandóque & epar non extra culpam sit. Cum enim lien, etiam sanguificationis organum sit, & crassiorem chyli partem ad se trahat, ac sanguinem crassiorem, pro alendis in ventre inferiore visceribus, ventriculo, intestinis, mesenterio, omento, elaboret, & ita prima sanguificatio fiat in liene, ac quod impurum adhuc est, in liene primum, ne ad epar perueniat, separari debeat; non mirum, si vel is debilis sit, & malè sese habeat, vel erratum aliquod in prima coctione commissum sit, quod in secunda hâc corrigi non potest, vitiosum sanguinem in liene generari. Vt enim alia membra coctioni & officijs publicis destinata, vbi in actionibus suis fine suo frustrantur, vitiosos humores generant, ita idem in liene fieri necessarium est. Et sicut ventriculus debilior, crudita-

tis acidæ, calidior, nidorosæ causa est; epar dum se malè habet, nunc sanguinem biliosum, nunc crudum, nunc aquosum generat, ita etiam lien malè dispositus, vitiosum sanguinem generat, & præcipuè in hâc affectione, acidum: atq; ita, in affectione hypochondriaca, lien semper laborat. Hinc porrò patet, si lien sanguinem pro sui officij ratione, non bonum generet, partes modò enumeratas, etiam bonum nutrimentum, ab eo non accipere, & eas ipsas inde debilitari, ac multos vitiosos humores necessariò circà illas partes cumulari, inprimis, si per conuenientes vias non euacuentur.

Viduarũ, virginum sterilium & puerperarũ melancholia hypochondriaca.

Fœminarum Melancholia, quæ maximè viduis, sterilibus & virginibus propria est, Ex Aretæo cap. 5. lib. 1. chronicon, insolens quædam mœstitia est, cum animi anxietate, flendi tacendique desiderio, dorsi & hypochondriorum manifestâ pulsatione, & tacito delirio coniuncto, furoris vel maniæ prænuncia. Quæ adeò est affinis hypochondriacæ, vt cum ea sæpè confundatur. Quanquam ab illa trifariàm distinguatur, parte nimirum affecta, causis efficientibus, & compluribus symptomatibus. Pars quæ primùm hic afficitur, est vterus, sedes

focus

focus morborum omnium muliebrium, vt autor est Hipp: lib. de loc. in homine. Cum enim afficitur, corpus vniuersum trahit in sui consortium, substantiæ similitudine, vasorum communione, & viciniâ. Quibus adijcitur, tetri halitus, ab ipso vtero prodeuntis, ad partes principes atque superiores, per cæcos meatus, delatio. Sunt, inquit Hipp: lib. de alimento, in humano corpore, confluxio vna, conspiratio vna, consentientia omnia. Nam quemadmodum vterus veluti sentina quædam, in imâ sede collocatus, confluentes vndique humores recipit, ita vapores tetros & virulentos, ex ijsdem suppressis vel corruptis manantes, quoquouersùm refundit. Sicque, vnde vita prosilire atque propagari solet, summa plerúmque pernicies mortis causa dependet. Tanta verò corruptio fit, tùm in ipso vteri sinu, tùm in vasis circumstantibus, vt mirum videri non debeat, cùm per febres continuas, in proprijs etiam vasis, humores computrescant. Cæterùm, ex omnibus partibus, nullarum maior sympathia est, quàm cerebri & vteri, quæ fit non solùm per neruos, & reliqua vasa cunctis partibus communia, sed etiam per membranas spinalis medullæ. Vnde

accidit, affecto vtero magis occiput condolere, ex Hipp: part. 1. sect. 1. lib. 6. epid. & in hysterica suffocatione, quæ sæpè comitem accersit melancholiam, omnes actiones animales affici, nimirum sensificas, motrices, & principes, vt patet in sensus priuatione, conuulsione, & desipientiâ, quæ tùm ipsius subiecti, tùm causæ efficientis varietatem consequuntur.

Causarum duo sunt principia. Prius, est natura muliebris, cùm ex Hipp: magis demissi & pusilli animi, facilius delirio corripiatur. Quod Gal: etiam confirmat, com. ad hist. 16. sect. 3. lib. 3. epid. cùm ait, leues naturas atque turbulentas ex parua occasione desipere. Cæterùm quoniam viro administrandis rebus nato, plusculum de rationis vnciola erat aspergendum, ipsi mulier adiungenda fuit: animal videlicet imperfectioris rationis quidem illud, atque debile, verùm ridiculum & suaue, quo conuictu domestico, virilis ingenij tristitiam, suauitate condiret atque edulcaret. Quòd si qua fortè mulier sapiens haberi voluerit, ea nihil aliud egerit, quàm vt minus sapiens sit: fœmina enim quæ nimium sapit, desipit. Quemadmodum, juxtà Græcorum prouerbium, simia semper est

Natura muliebris prima causa ad melancholiã.

ſimia, etiamſi purpurâ veſtiatur; ita mulier, ſemper mulier eſt, hòc eſt imperfecta, quamcunque perſonam induerit. Etenim, ſi rem rectâ reputent viâ, hoc ipſum imperfectioni debent acceptum ferre, quod ſint viris multis calculis fortunatiores. Primùm formæ gratiam, quam illæ meritò rebus omnibus anteponunt, cuiuſque præſidio, in tyrannos etiam ipſos tyrannidem exercent. Alioqui vndenam horror ille formæ, hiſpida cutis, & barbę ſylua? planè ſenile quiddam in viro? niſi à prudentiæ vitio? cùm fœminarum ſemper læues malæ, vox ſemper exilis, cutis mollicula, quaſi perpetuam quandam adoleſcentiam imitentur? Deinde quid aliud optant in hac vita, quam vt viris quàm maximè placeant? Nonne huc ſpectant tot cultus, tot fuci, tot balnea, tot compturæ, tot vnguenta, tot odores, tot componendi, pingendi, fingendique vultus, oculos & cutem, artes? jam nùm alio nomine viris magis commendatæ ſunt, quàm imperfectionis? quid enim eſt, quod illi mulieribus non permittunt? at quo tandem autoramento, niſi voluptatis? delectant autem fœminæ non aliâ re, quàm dum nugas ſuas repræſentant. Licet non paucę extiterint aliquandò,

dò, & adhuc extent, quæ fortes, cautæ, castæ, viribus & virilibus curis, vitia fœminarum exuerint.

Secundum principium, est causa efficiens siue materialis, quæ apud eundem Hipp: in lib. de virg: morb: duplex est, nempe sanguinis mẽstrui retentio, & seminis cohibitio. Sanguis enim, inquit, cùm in adultis crescit vberiùs, confluens ad vterum, si exitu prohibeatur; sursum ad jecur & cor resilit; vnde postmodum difficulter refluit, propter venarum obliquitatem. Sic ex repletione, cor fatuum euadit, torpescítque cerebrum, & ad insaniam propensum redditur. Quod si intemperies calida & sicca viscerum reliquorũ, vel febris accedat, sanguis paulatim aduritur, & in atram bilem degenerat, quę fomitem suggerit melancholiæ. Neque verò solo refluxu, sed etiam longâ circa vterum cunctatione, genus idem mali, sanguis copiosus inuehit, cùm vel putrescens, vel solùm efferuescens, tetros halitus, aut feruidos sursum exhalat; qui cerebrum, mentis, rationísque sedem, perturbant.

Secunda causa sanguinis mẽstrui retẽtio & seminis cohibitio.

Quod verò semen cohibitum similem noxam inuehat, facilè quidem innuit Hipp: libello

Semen cohibitum qualem noxam ...

περὶ

-xam inue-hat. περὶ παρθενίων; cum ait, Virgines maturas viro, & steriles mulieres, licet probè repurgentur, torpescere & interdum insanire. Sed Gal: cap. 5. lib. 6. de loc. affect. expressis verbis testatur, quàm sit importuna & noxia, tàm in viris quàm in fœminis, seminis præter modum & morem suppressio. Scribit enim, multa inde promanare incommoda, videlicet capitis grauitatem, ciborum fastidium, concoctionis vitium, febrem, corporis totius torporem, mœstitiam atque melancholiam. Quinetiam asserit, semen cohibitum tantò maiorem vim habere, ad noxam toti corpori inferendam, quantò eius corruptio deterior est, quàm ipsius sanguinis. Siquidem, inquit, ex semine corrupto quædam aura virulenta sursum effertur, quæ si cor feriat, animi deliquium, & syncopen excitat; si ventriculum, cardiogmum; si respirationis & vocis organa, dyspneam & aphoniam; si denique cerebrum pertingat, convulsionem epilepticam, delirium, & furorem inuehit. Sunt ergò duæ illæ precipuæ hystericorum symptomatum causæ. Quibus tertiam adiungit Gal: nempe totius corporis cacochymiam, ex prauâ dietâ, aut malâ viscerum diathesi, vel ipsius vteri quandam impuri-

Tertia causa melancholiæ in fæminis.

impuritatem. Quo fit, vt hoc genus mali, sæpiùs incurrant mulieres, quæ vitiosis abundant humoribus, ex Gal: loc. cit. quæ sunt plethoricæ, & in ocio educatæ, & quæ, cùm antea nihil ad explendam libidinem omisissent, repentè continere cœperunt. Sæpè etiam hoc malum, juuenes viduas exercet, propter curas, assiduos mœrores, & consuetæ vitæ mutationem. Virgines item succulentas, & moniales ociosas, maximè si menstruis non probè repurgentur. Sed omnium sæpissimè puerperis accidit, cùm vel lochia supprimuntur, vel grauibus animi pathematis commouentur, propter relictam ex partu cerebri imbecillitatem. *cacochymia corporis.*

CAPVT VII.

De Procatarcticis siue Impulsiuis & externis huius affectus causis.

PROCATARCTICÆ siuè Impulsiuæ & externæ denique causæ, à quatuor rebus desumuntur; quæ geruntur; quę retinentur; excernuntur; & quæ forinsecùs accidunt.

Ex illis quæ assumuntur, sunt aëris, regionis, & anni calida & sicca constitutio: victus ratio, *Causæ externa ex illis quæ*

assumun-tur. & vsus frequens crassorum, terrenorum, & flatulentorum alimentorum, vt sunt carnes bubulæ, taurinæ, leporinæ veteres, hircinæ, caprinæ, ceruinæ, anserinæ, anatinæ, aprugnæ, suillæ, vel sale maceratæ, vel fumo induratæ; quo spectant & pernæ seu succidia, lardum rancidum, farcimina omnis generis; item caro cochlearum, testudinum, pisces limosi, lacustres ac marimaritimi, sale & muriâ conditi, vel fumo, aut calore solis, aut frigore siccati, induratique, quales sunt aselli, passeres, haleces, & huius census alij; aues in aquis stagnantibus, & locis paludosis degentes; caseus vetus, panis furfuraceus & submucidus; brassica, legumina, vt fabæ, & similia. Ex potulentis, cereuisia cruda, parum cocta, & crassa, ex frumento siderato, vel Zizaniorum semine, quod pluribus in locis inter frumenta & hordeaceas fruges adolescens reperitur, referto, & aquâ feculetâ seu lutulentâ, parata, pauco lupulo condita; item vina crassa, rubra, nigra, pendula, acida; aceti acrioris vsus immodicus, vtpote quod melancholiam exaltet & multiplicet, teste Hipp: de rat: vict: in acut. pag. 379. Nonnunquam & liberalior vini fortioris, crudam materiam ad venas deuehentis

potus,

potus, præsertim cum bilis flaua, vel ater adu-stúsque humor, ventriculo substrata sunt, vt in hoc affectu vtplurimum fieri assueuit. Quæ omnia humorem crudum, crassum, melancholicum, salsum, acidum quoque generare solent, quia cibi praui succi, & difficilis concoctionis sunt: nam cùm animalia ex plantis alantur, plantæ è terrâ suum alimentum attrahant, hæc autem in se materiæ salsuginosæ non parùm, mineraléfque partes, aut spiritus in se contineat: facilè hinc apparet, alimenta quibus vescimur, multa in se continere, quæ nullo modo in alimentum corporis abire possunt, quæque maturè, si fieri posset, in prima coctione secerni deberent. Quod nisi fit, in primis vijs relinquuntur, vbi non solum secundum primas, sed etiam secundas qualitates, homini nocent, quatenus scilicet amara, salsa, acida, aut acerba sunt, aut similes qualitates habent. Hinc frequens est hypochondriacis, vt amara, salsa, acida vomant, quibus etiam dentes obstupescant. Ob solos itaque diætæ errores, nullo ante, in ventriculo vel liene, vitio existente, hoc malum generari potest. Existimántque præstantissimi Medici, hanc ipsam in diæta peccandi hodie li-

cen-

centiam, causam esse, cur pauci ab hoc malo immunes sint. Non solum autem cibi praui, chyli vitiosi causa sunt, sed etiam ex bono cibo & potu, ventriculus, si vel naturâ debilior sit, vt diætæ errores tolerare non possit, vel diætę erroribus, vel etiam à liene prauum alimentum submittēte, debilitatus sit, prauum chylum generat; cum membrum, quod prauè nutritur, officium suum rectè exequi non possit.

Causa externa ex illis quæ geruntur.

Ad ea quæ geruntur, pertinent vita sedentaria, seu retentio fuliginosorum excrementorū, cogitatio vehemens rerum grauium, lucubratio intempestiua, nocturnæ vigiliæ, vita vmbratilis: quum ociosi, imò negotiosi, qui studijs nimium inuigilant, & libris agglutinati, cerebrum mouent, & vaporibus replent, cum eorum spiritus incalescant, vt plurimum segnem habeant calorem nutrientem, seu concoquentem. Hinc videmus, doctos & meditabundos, hypochondriacos esse, & simul catarrhosos, quorum cura, vt Fernelius docet, exiccantibus non est aggrediendda. Quò faciunt & ipsæ glandulę crebræ, quę mesenterio & pancreate, hâc etiam de causâ factę sunt, ne à ventriculo & intestinis repletis, vel corporis inflexione, & abdominis compressio-

pressione ea vasa comprimantur, & distributio humorum impediatur: certè in vitâ sedentariâ continuâ, vix fieri potest, quin vasa ista non aliquomodo comprimantur, vt etiam glandulę istam compressionem satis prohibere non possint: præsertim si glandulę præter modum intumescant, ipsa vasa comprimunt. Et inprimis hoc præstare potest, glandula illa insignior, in centro mesenterij, quæ primę vasorum distributioni addita est, & quâ tumore laborante, totius corporis marcorem, ob impeditam chyli distributionem secutum fuisse, obseruatum est. Neque etiam necessarium est, vt in mortuis lien semper vel durus, vel scirrhosus, vel tumidus, vel alio modo ad sensum malè affectus, reperiatur; sufficit, si vel eius temperies (vbi occultæ proprietates non sunt excludendę) vel substantiæ modus sit læsus, ob quę vitia, non recta fiat in eo sanguificatio; quę tamen sensibus deprehendi non possunt.

In hunc numerum veniunt etiam viri religiosi & pij, assiduo obedientię jugo pressi, diurnis excubijs, nocturnis vigilijs, abstinentiâ cibi & potus, naturę conuenientioris, continentiâque exhausti, indefesso psallendi labore & stu- *Viri Religiosi.*

dio defatigati, vnde non minus martyres dici credique possunt & debent, quam qui ictu ferri momento temporis, laboribus, vitæ breuissimum finem imponunt: cùm religiosi ascetæ, quotidianâ & diuturnâ morte, sensim oppressis sensibus conficiantur, Deóque de longissimæ patientiæ & myrrhæ lachrymis adoleant: interim tamen corpora debilitant, coctionem viscerum turbant, & intemperiem morbificam imbibunt, medicationibúsque perpetuis se exponunt: nam dum illos, christianæ pietatis ardor semel arripuit, adeò sua profundunt, iniurias negligunt, falli sese patiuntur, inter amicos & inimicos nullum discrimen, voluptatem horrent, inediâ, vigiliâ, lachrymis, laboribus, contumelijs saginantur, vitam fastidiunt, mortem vnicè optant; breuiter, ad omnem sensum communem prorsus obstupuisse videntur, perinde quasi alibi viuat animus, non in suo corpore. Quamdiù itaque animus, corporis organis probè vtitur, tamdiù sanus appellatur. Verùm vbi ruptis jam vinculis conatur in libertatem asserere sese, & quasi fugam ex eo carcere meditatur, tùm insaniam vocant. Id si fortè contingit morbo, vitióq; organorum prorsus om-

nium

nium consensu talis est. Quòd si eueniat studio Pietatis, non est insaniæ genus, sed tamen adeò confine, vt magna pars hominum, meram insaniam esse judicet, præsertim cum pauculi homunciones ab vniuerso mortalium cœtu, totâ vitâ dissentiant. Sapiens commiseratur, ac deplorat illorum insaniam: illi vicissim, illum veluti delirantem rident atque eijciunt. Itidem vulgus hominum, ea quæ maximè corporea sunt maximè miratur, eáque propè sola putat esse. Contrá pij, quò quid propriùs accedit ad corpus, hoc magis negligunt, totíque ad inuisibilium rerum contemplationem rapiuntur; nam illi primas partes tribuunt diuitijs, proximas, corporis commodis, postremas, animo relinquunt: quem tamen plerique nec esse credunt, quia non cernitur oculis. E diuerso, hi, primùm in ipsum Deum, rerum omnium simplicissimum, toti nituntur: secundùm hunc, & tamen in hoc, quod ad illum quàm proximè accedit, nempe animum: corporis curam negligunt, pecunias ceu putamina, prorsùs aspernantur ac fugitant, nihílque habentibus nihil deest: aut si quid huiusmodi rerum tractare coguntur, grauatim ac fastidiosè id faciunt, habent

tanquàm non habentes, poſſident, tanquàm non poſſidentes.

Senſuum concurſus in externa cauſa.

Ex ſenſibus quidam ſunt craſſiores, vt tactus, auditus, viſus, olfactus, guſtus; quidam magis à corpore ſemoti, veluti memoria, intellectus, voluntas: igitur vbi ſe intenderit animus, ibi valet. Pij, quoniam omnis animi vis ad ea contendit, quæ ſunt à craſſioribus alieniſſima, in his velut obbruteſcunt, atq; obſtupeſcunt. Contrà, vulgus in his plurimùm valet, in illis quàm minimè. Rursùm, in affectibus animi, quidam plus habent cum pingui corpore commercij, veluti libido, cibi, ſomníque appetentia, iracundia, ſuperbia, inuidia. Cùm his, irreconciliabile bellum pijs: contrà, vulgus ſine his vitam eſſe non putat. Deinde ſunt quidam affectus medij, & quaſi naturales, vt amor patriæ, charitas in liberos, in parentes, in amicos; his vulgus nonnihil tribuit; at illi, hos quoque ſtudent ex animo reuellere, niſi quatenùs ad ſummam illam animi partem aſſurgunt. Proinde cum ſumma ſit, inter hos & illos, omnibus de rebus diſſenſio, fit, vt vtrique alteris inſanire videantur, neque rarò fit, vt maior inſanus, vehementiùs rideat minorem. Hinc quoque fit,

quod

quod in amore DEI & rerum ſpiritualium, pij ſæpè extra ſe rapiantur: nam qui vehementer amat, jam non in ſe viuit, ſed in eo quod amat, quoque longiùs à ſeipſo digreditur, & in illud demigrat, hoc magis gaudet. Atque cum animus à corpore peregrinari meditatur, neque probè ſuis vtitur organis, iſtud haud dubiè furorem rectè dixeris. Alioqui quid ſibi vult, quod vulgò etiam dicunt, non eſt apud ſe, & ad te redi, & ſibi redditus eſt? porrò quo amor eſt abſolutior, hoc furor eſt maior, ac felicior.

Pij non curant, etiã ſi inſania inſimulentur.

Verùm enim verò, parùm hoc eſt Pijs, inſaniæ ſiue mentis ſiue corporis inſimulari: ſtultitiam enim ſimulare loco, ſapientia ſumma eſt, & dulce eſt deſipere in loco. Porrò, quam abſoluta laus illa Ciceronis? ſtultorum plena ſunt omnia. Quis enim ignorat, vnumquodque bonum, quò latiùs patet, hoc eſſe præſtantiùs. Scripſit Eccleſiaſtes, cap. 1. ſtultorum infinitus eſt numerus. Hieremias cap. 10. ſtultus factus eſt omnis homo à ſapientiâ ſuâ. Soli DEO tribuit ſapientiam, vniuerſis hominibus ſtultitiam relinquens. Eccleſiaſtes. Vanitas vanitatum, & omnia vanitas. Item, ſtultus mutatur vt Luna, ſapiens permanet vt ſol. Salomon, cap. 7. Cor

ſapientum, vbi triſtitia eſt, & cor ſtultorum, vbi lætitia. Sanctus Paulus. Nos inquit, ſtulti propter Chriſtum, velut inſipientem accipite me, & non loquor ſecundum DEVM, ſed quaſi in inſipientia. Qui videtur eſſe ſapiens inter vos, ſtultus fiat, vt ſit ſapiens. Et apud S. Lucam, Diſcipulos, quibus ſe junxerat in via Chriſtus, ſtultos appellat. Quemadmodum ſummi Principes, nimiùm cordatos ſuſpectos habent, & inuiſos, vt Iulius Brutum & Caſſium, cum ebriũ Antonium nihil metueret, vtque Nero Senecam, Dionyſius Platonem; contrà craſſioribus ac ſimplicioribus ingenijs delectantur; itidem Chriſtus ſapientes iſtos, ſuæque nitentes prudentiæ ſemper deteſtatur, ac damnat: teſtatur id S. Paulus. Quæ ſtulta ſunt mundi, elegit Deus: cúmq; ait, Deo viſum eſſe, vt per ſtultitiam ſeruaret mundum, quandoquidem per ſapientiam reſtitui non poterat. Quin ipſe idem ſatis indicat, clamans per os prophetæ. Perdam ſapientiam ſapientum, & prudentiam prudentum reprobabo. Rurſum cum agit gratias, quod ſalutis myſterium celaſſet ſapientes, paruulis autem, hoc eſt, ſtultis aperuiſſet. Quid enim aliud eſt, væ vobis ſcribæ & Phariſæi, quam væ vobis ſapientes.

CAPVT VIII.

Continuatio Causarum Externarum Melancholiæ Hypochondriacæ.

AD ea quæ geruntur, etiam pertinent negotia aulica & ardua, ambitione, æmulatione & odio nonnunquam implicata, neque etiam irâ, suspicione, & indignatione prorsus carentia; curæ, metus, mæror seu tristitia, vel ex charorum pignorum obitu, vel fortunæ jactura ac detrimento, seu rerum penuriâ, aut denique, ab alicuius rei potiundę frustratâ spe ac desiderio contracta; ex somno etiam nimio, & subito terrore, &c. Quæ omnia calorem natiuum debilitant ac dissipant, humidúmque radicale absumunt, cruditates & humores vitiosos in corpore cumulant, intemperies quoque partium & viscerum inducunt. Taliter enim constituti sunt jam huius seculi mores, vt nisi cum omnibus, omnium horarum hominem agere possis, nullibi ęstimeris. Proceres quoque, quisquis iratos habuerit, huic ne Pallas quidem satis auxilij tulerit: contrà, quisquis propitios, is vel summo Ioui, cum suo fulmine mandare laque-

Externæ causæ melancholiæ hypochondriacæ ex ijs quæ geruntur cōtinuatio.

um possit. Temperare itaque se tempori oportet, & omnium moribus, si modo honestatis limites non excesserint: siquidem peruersè facit, qui sese non accomodat rebus pręsentibus, foróque nolit vti, postulétque, vt fabula jam non sit fabula. Contrà, verè prudentis est, cùm sis mortalis, nihil vltrà sortem sapere velle, cúmq; vniuersâ hominum multitudine vel conniuere libenter, vel comiter errare. Quis enim non istiusmodi hominem, ceu portentum ac spectrum fugitet horreátque, qui ad omnes naturæ sensus obsurduerit, qui nullis sit affectibus deditus, nec amore, nec misericordiâ magis commoueatur, quàm si dura silex, aut stet marpesia cautes, quem nihil fugiat, qui nihil erret, sed ceu lynx quispiam nihil non perspiciat, nihil non ad amussim perpendat, nihil ignoscat, qui solus seipso sit contentus, solus diues, solus sanus, solus rex, solus liber, breuiter, omnia solus, sed suo solius judicio, qui nullum moretur amicum, ipse amicus nemini, qui quidquid in omni vita geritur, velut insanum damnet, rideátque? vno verbo, misanthropon talem, quis non odiat? huius farinæ sunt Critici illi morosi, plus satis oculati, vt qui in amicorum vitijs tam cernunt

acutum

acutum, quàm aut aquila, aut serpens epidaurius. At ipsi in proprijs vitijs quàm lippiunt, & quàm non vident manticam in tergo pendentem: nigrum in candida vertere, & eodem ex ore frigidum pariter, & calidum efflare, longéque aliud conditum habere in pectore, aliud sermone fingere possunt. Fastu turgent, multa de se sibi pollicentur, & pauonum instar, cum mira oblectatione ac superbiâ circũspiciunt, sibi nimium blandiuntur & indulgent, præcipites, acuti, & subtiles sibi videntur; cùm tamen parum firmi sint, vt qui facilè ad leuissimum verbum, vel toruum intuitum & inopinatum, stomachantur, & bilem mouent: quibus omnia displicent, & fastidium mouent, ad omnémque actionem & orationem excandescunt. Quandò ne quidem omnes luculli coqui, gratũ ipsis ferculum condirent: neminem loquentem ferunt, etsi cum ratione reprehendentem, aut cõtradicentem: sese solum celebrant, reliquis omnibus abiectis: ad quamlibet auram, aut nihili rem commouentur, & querelas concitant. Itaque, cùm ea sit hominum natura, vt nullum ingenium reperiatur, non magis obnoxium vitijs: adde tantam animorum ac studiorum dissimili-

tudinem, tot lapſus, tot errata, tot caſus vitæ mortalis; quo pacto vel horam, conſtabit inter Argos iſtos, amicitiæ jucunditas: præſertim in aulis, vbi

Nemo, gradus niſi per plures, aſcendit in aula
Ad deſcendendum plus ſatis vnus erit.

Ira & mœror quid non in hypochōdriacis cauſare poſſint. Vbi tot perſecutiones, veritatis proſcriptiones, detractiones; vbi regum aures, ad accuſatorum calumnias, apertæ plerumque & pronæ ſunt, & plus valet in præſens inuidioſa improborum obtrectatio, quàm annorum præteritorum commendatio: quę optimum & ſinceriſſimum quemque, de bonæ mentis conſtantiâ deijcere, & in extremam impatientiam, mœrorem, & iram, præcipitare poſſunt.

Quantùm autem noxarum, ira & mœror, ſiue triſtitia, in corpore humano, præcipuè ad melancholicos affectus & hypochondriacam diſpoſito, cauſare poſſint, ex ſequentibus facilè conijcies. Notum eſt vulgò, maximè incommodum eſſe, ſi quis iratus, vel perterritus edat vel bibat: primò enim ab eiuſmodi affectibus, ſpiritus, vt omnibus actionibus, ita & coctioni ciborum neceſſarij, ad alias partes auocantur, vnde coctio in ventriculo labefactatur, crudúſque

que & prauus chylus indè generatur. Deinde vt in ira, bilis commouetur, alijsq; humoribus permiſcetur, eóſque corrumpit, ita etiam melancholicum, pituitoſum & atrum humorem, ſi ira & mœror coniungantur, commoueri credibile eſt, qui omnes cum chylo non bene cocto commiſcentur, eúmque ampliùs corrumpunt, vnde ſanguis laudabilis gigni nequit, ſed humor chylo qualitatibus reſpondens, partim bilioſus, partim melancholicus, partim ater gignitur, & hinc rurſum pro alendis viſceribus infimi ventris tranſmittitur, & in hypochondrijs praui humores cumulantur. Quibus accidit & hoc, quod in animi affectibus, inprimis in arterijs, humores mouentur & afficiuntur: cùm verò lien, arterijs multis abundet, eáſque quintuplo plures, quàm venas obtineat, in animi talibus affectibus, & eius actionem turbari neceſſe eſt. Quæ omnia quoque ex communibus cauſantur calamitatibus, Bello nempe, Fame, & Peſte, vti ſatis ſupérque abhinc aliquot annis noſtro proh dolor cum damno experti fuimus.

Bellum enim, noſtro hoc ſeculo, res adeò eſt immanis, vt ſecundum Eraſmi & aliorum quorundam opinionem, niſi defenſiuè & cũ mode- *Bellum quam ſit res immanis.*

ramine inculpatę quaſi tutelæ fiat, diabolos, nō homines deceat, adeò immiſericors, vt poëtæ quoque fingant à furijs immitti, adeò peſtilens, vt vniuerſam morum luem ſimul inuehat, adeò mala, vt à peſſimis interdum optimè ſoleat adminiſtrari, adeò impia, vt nihil cohæreat cum Chriſto; leges, religio, pax, & res humanæ omnes ſursùm ac deorsùm miſcentur. Bene de Bello ſcripſit Anglicanus Poëta.

Bella Famem, Peſtémque Fames mortalibus affert,
Eſt igitur Bellum, peius vtroque malum.
Militibus ſolis, Bellum res bella videtur,
Militibus ſolis omnia Bella bona.

Non deſunt tamē adulatores eruditi, qui iſtam manifeſtariam inſaniam omnium laudatorum facinorum ſegetem ac fontem (vnde pars vtraque ſemper plus aufert incommodi, quàm boni) zelum, pietatem, fortitudinem appellent, excogitatâ viâ, quâ fieri poſſit, vt quis letale ferrū ſtringat, adigátque in fratris ſui viſcera, manente nihilominus charitate illâ ſummâ, quam ex Chriſti præcepto, debet proximo Chriſtianus. Ex cauſata inde inopia & annonæ caritate, quas non inedias tolerare, & quibus non edulijs planè humanæ naturę contrarijs, mortales genium defrau-

defraudare coguntur: vitiosissima quęque, cum sanitatis jacturâ, pro cibo admittere non verentur. Vnde quid mirum? si corporum temperies immutatæ, iliades morborum, præcipuè melancholicorum, & pestes introducantur: exinde quoque contristati, ob necessariorum destitutionem, mœrore curisque confecti, quid mirum? si corpora exiccentur & contabescant, terrore timoréque simul expauescant.

Causa externa ab excretis & retentis. Sub excretis & retentis, recensentur, omnes excretiones nimię, vt hęmorrhagię, & profluuia immoderata, nimiæq; euacuationes; tum etiam consuetarum emanationum, puta hęmorrhoidum, & aliarum naturalium purgationum, vt in fœminis mensium (de quibus cap. vi. dictum) cohibitiones & suppressiones, quæ in causa sunt, vt talia excrementa in primis vijs cumulentur. Nam cùm per hæmorrhoides, naturæ instituto, humores melancholici, adusti, & salsi, purgari soleant, si euacuationes istæ in ijs, quibus consuetæ sunt, subsistant, aut si in fœminis, sanguis, qui ad vterum descendere debebat, & vitiosi humores, qui cum eo solent excerni, subsistant, in hypochondria decumbunt, & malo huic materiam suppeditant. Et sæpè in fœmi-

nis affectiones hypochondriacæ & vterinæ ita ſimiles ſunt, vt vix diſcerni poſſint, imò interdum coniungantur. Aluus quoque ſuppreſſa, ad malum hoc generandum facit: etenim ſi excrementa diutiùs in inteſtinis detinentur, venæ meſariacę ex ijs, pro bono & recenti chylo, craſſam & feculentam materiam attrahunt, è quâ multi feculenti humores generantur, atque obſtructiones in venis meſaraicis & liene excitant; vnde ijs qui ad hanc affectionem hypochondriacam ſunt diſpoſiti, ſummè vtile eſt, aluum ſemper habere laxam.

Cauſæ externæ ab illis quæ forinſecùs accidunt.

In illorum denique, quæ forinſecùs accidunt cenſum, venit aër corpus ambiens, frigidus nimirum & ſiccus, paludoſus, humores incraſſans & denſans, nonnunquam & calidus ſeu ſqualidus, ſanguinis partes ſubtiliores reſoluens, reliquámque maſſam craſſiorem relinquens. Magis quoque autumno hic affectus exaſperatur: tum enim abundat ſuccus melancholicus per æſtatem collectus, cuius calor jam efferbuit. Verno etiam tempore fit, quod nouo tepore ſolis ſopitus humor concitetur. Aretæus ſcribit, cap. 5. lib. 1. chron: autumno morbum hunc procreari, vere judicari, propter calidam humidam

dam aëris constitutionem, vitio humoris temperando idoneam. Qua ratione apud Hipp: lib. 1. de nat. hum. sub finem: morbi autumnales vere soluuntur.

Astrologi, causam ponunt in coniunctione & oppositione, aut malo aspectu infelicium siderum, vt Saturni & Martis. Vnde patet, Planetas hos infelices, in domibus cœlestibus existentes, & cursum suum tenentes, pro vt partes humanas respiciunt, easdem varijs morbis tentare. In Februario quoque, astrorum positum concurrere putant: sicut pro certo habent, pro vario siderum positu, nunc hos, nunc illos humores moueri, & varios morbos inde excitari: præficiunt autem spleni Saturnum, & felli Martem; signa quoque Zodiaci, varijs partibus humanis. Verùm doctissimus Primerosius de vulgi erroribus lib. IV. cap. IX. docet, Astrologos vano commento singulas corporis partes astris attribuere, cùm Planetis, tùm signis Zodiaci. Quoniam Planetarum, signorúmque Zodiaci, non est vnus idémque motus, quorundam Planetarum celer, aliorum tardissimus: signorum autem idem, sempérque ęquabilis; rarò continget, vt Planetæ cum signo eidem parti dicato simul

Astrologorum causa melancholia hypochondriaca.

con-

concurrant. Vti ex Saturno cernere licet, qui rarissimè cum signo spleni dicato copulatur. Astra igitur vel influunt in substantiam partis, vel in conformationem: non in substantiam, quia nulla pars organica est in corpore, quæ varijs partibus naturæ diuersæ non constet, vt pedes & manus, constant ossibus, neruis, arterijs, musculis, quæ non possunt æquè primò subijci huic vel illi sideri. Deinde cum similes secundùm substantiam partes sint, etiam in alijs organis, vt ossa sunt in pedibus, manibus, thorace, capite, cur vnum idémque sydus, omnibus hisce non dominabitur. Restat igitur, vt influant astra, in conformationē solam, quę singulis partibus est accidentaria: nam partes singulæ, seorsim possunt esse absque eiusmodi conformatione, vt ossa non minùs possunt esse incurua, quàm recta, & tamen benè nutriri. Conformatio partis cuiuslibet, pendet ex numero, magnitudine, situ & figurâ. Non potest influxus fieri in numerum partium, quia numerus ratione sui non est ens reale, tùm quia vnâ particulâ ablata, vel additâ, non mutatur tamen influxus in partem, vt si à manu digitus vnus desit, non desinit tamen influxus. Pariter nec in magnitudinem,

nem, quia alius foret influxus in infantem quã in adultum. Non in situm, quia sic mutato situ mutaretur quoque influxus, vt in manum extentam, capiti, aut pedibus impositam. Demum nec in ipsam figuram, quia pariter mutatâ figurâ non mutatur vis & efficacia signorum in partem. Patet hinc, vires eiusmodi in vnam potiùs partem, quàm in aliam, falsas esse & commentitias. Forsitan si quicquam simile datur, virtus eiusmodi extendet sese solùm ad illas partes, quæ proprium habent parenchyma, ab alijs diuersum, vt cor, cerebrum, jecur, splen, &c. Non autem ad manus & pedes, similésque alias partes, quarum similares partes sunt eædem secundùm substantiam, & tantùm conformatione distinguuntur.

Quales ætates corripiantur melancholiâ hypochondriacâ.

Inter ætates pauci melancholiâ corripiuntur hypochondriacâ ante vigorẽ, plurimi in ipso, & post ipsum, ex Aëtio. Quod Aretęus etiam locis adductis, his verbis confirmat. Aetas quę prope statum est, & ipse status, huic morbo subijciuntur, propter complexionẽ frigidam siccam, succi melancholici feracem; errores quoq; in victu commissi in adolescentia, sese produnt; sed & curis, meditatiõibus, atq; animi intentione, ho-

mines tùm magis occupari incipiunt. Quamquam hoc ſeculo, multi adoleſcentes huiuſmodi morbo vexantur, tùm propter tumultuoſam tempeſtatem, cùm propter inclinationem à parentibus tranſmiſſam. Notandum enim eſt illud Plinij, cap. 16. lib. 7. nat. hiſt. genus mortalium indies decreſcere propter ſiccitatem, conſumente vbertatem, bonámque temperiem, ſeminum exuſtione: in cuius vices nunc vergat æuum ex Horatio, lib. 3. carm. ode 6.

Damnoſa quid non imminuit dies?
Aetas parentum peior auis, tulit
Nos nequiores, mox daturos
Progeniem vitioſiorem.

De Annis Climactericis, ſcalaribus, Criticis.

Maiorem quoq; partem hominum, nunc aut 7. 8. vel 9. climacterico anno, qui cadunt in 49. 56. & 63. annum, perire & mori, quotidiana teſtatur experientia. Anni climacterici, vocantur etiam ſcalares, quod quaſi per ſcalas ad profectiorem ætatem perueniatur: climacterici autem vel mutatorij, quod in illis ætas hominis, conſtitutio, natura, & complexio mutetur, aut ad melius, aut ad peius, aut ad ſanitatem, aut ad morbum. Talis autem mutatio fit ſeptimo anno, vti in acutis morbis ſeptimo die. Septimus

dies in acutis morbis, à Medicis vocatur dies criticus, dies pugnæ, aut judicatorius, quia in illo natura & morbus inuicem pugnant, Medicus autem inde cognoſcere poſſit exitum morbi, an natura vincat, aut vincatur. Climacterici vel ſcalares anni, diuiduntur in minores & maiores, inter minores numerantur 7. 14. 21. 28. 35. 42. 49. & 63. inter maiores ſunt, 70. 77. 84. 91. 98. 105. 112. 119. Ex minoribus, ſecundùm antiquos, periculoſiſſimus eſt ſexageſimus tertius, vnde ſcribebat ad filium ſuum Cæſar Auguſtus, gaude mecum, quia 63. annum, qui ſenibus fatalis eſt, ſupergreſſus ſum.

Qualis ſexus habilior ſit ad affectum hypochondriacum.

Quò ad ſexum, viri magis huic ſunt opportuni quàm mulieres, quia vt illi pluribus negotijs implicantur, ſic iſtæ menſibus repurgantur. Si ſpectemus habitum, molles, candidi, rarò fiunt hypochondriaci, propter pituitæ dominatum ex Gal. lib. 3. de loc. aff. Contrà macilenti, nigri, hirſuti, magis ſunt opportuni melancholiæ, propter temperamenti ſimilitudinem. In eandem promptè incidunt, qui ſunt rufo & flauo colore, propter bilis flauæ in atram facilem conuerſionem: maximè verò, ſi curâ, mœrore, zelotypiâ, vigilijs, victu tenui, & multis labori-

boribus conficiantur. In censum etiam causarum externarum, veniunt omnia, quæ vel præcordiorum ęstum adaugent, & sanguinem reddunt acriorem, vt labor vehemens, ira, incdia, siue nimia abstinentia, cibi acres, vina generosa, vsus aromatum: vel crassos humores accumulant, flatus gignunt, vt cruda omnia, nimia satietas, & crapula: vel obstructiones pariunt, vt motus à cibo, præsertim violentus: vel alunt succum melancholicum, vt mœstitia, autumnus: vel eundem commouent, vt tempus vernum, vti modo dictum est.

Causa externa à varijs mortalium tumultuosis moribus.

Non minus denique alterant corpus, & hypochondriacum affectum causant, mores, & varij mortalium tumultus, quorum specimina aliquot hic recensere non abs re fore puto: in communem enim hominum vitam licet salibus ludere impunè, modò ne licentia exeat in rabiem, cum taxando, neminem omninò perstringere nominatim, is non mordeat, sed doceat ac moneat. Nec sum nescius, quam malè audiat stultitia etiam apud stultissimos, sapiens enim est, qui ducitur ratione, stultus, qui affectuum arbitrio mouetur. Dum hic deperit in mulierculam, & quò minus adamatur, hoc amat

mat impotentiùs. Ille dotem ducit, non vxorem. Ille sponsam suam prostituit. Alius zelotypus velut Argus obseruat. Hic in luctu, pápæ! quàm stulta dicit, facítque? conductis etiam velut histrionibus, qui luctus fabulam peragant. Ille flet ad nouercæ tumulum Hic quicquid vndecunque potest corradere, id totum ventriculo donat, paulò post fortiter esuriturus. Hic somno & ocio nihil putat esse feliciùs. Sunt qui alienis obeundis negotijs sedulò tumultuantur, sua negligunt. Est qui versuris atque ære alieno diuitem se esse putat, mox decocturus. Alius nihil arbitratur feliciùs, quàm si ipse pauper hæredem locupletet. Hic ob exiguum, idque incertum lucellum, per omnia maria volitat, vndis ac ventis vitam committens, nullâ pecuniâ reparabilem. Ille mauult bello diuitias quærere, quàm tutum ocium exigere domi. Sunt qui captandis orbis senibus, putant quàm commodissimè ad opes perueniri. Neque desunt, qui idem malint deamandis beatis aniculis aucupare: quorum vtrique, tum demum egregiam de se voluptatem dijs spectatoribus præbent, cùm ab ipsis quos captant, arte deluduntur. Est omnium stultissimum ac

ſordidiſſimum negociatorum genus, quippe qui rem omnium ſordidiſſimam tractent, idq; ſordidiſſimis rationibus, qui cùm paſſim mentiantur, peierent, furentur, fraudent, imponant, tamen omnium primos ſeſe faciunt, propterea quod digitos habeant auro reuinctos. Nonnulli foris diuites haberi gaudent, domi gnauiter eſuriunt. Hic feſtinat quicquid habet profundere, ille per fas nefáſque congerit. Hic candidatus ambit populares honores, ille ad focum ſemet oblectat. Bona pars lites nunquam finiẽdàs agitat, & hinc atque hinc certatim contendit, vt prorogatorem judicem, & colluſorem ditet aduocatum. Hic rebus nouandis ſtudet, ille magnum quiddam molitur. Eſt qui Hieroſolymam, Romam, aut diuum Jacobum adeat, vbi nihil eſt illi negocij, domi relictis cum vxore liberis. Quibus & ſimilibus, quamdiu inuolutus quis fuerit, tamdiu melancholiæ hypochondriacæ cauſam fouebit.

CA-

CAPVT IX.

De signis tàm Diagnosticis quàm Pathognomonicis Affectionis hypochondriacæ; insuper de symptomatibus eiusdem & symptomatum causis.

SIGNA myrachialis huius affectus diagnostica siue comunia, desumuntur ex multis, fixis, & absurdis cogitationibus, ex rerum malarum commentatione & suspicione, verecundiâ, rusticóque pudore, solitudine, mœstitiâ, timiditate, & ignauiâ, animi deiectione aut desperatione, mentis atque sensuum inquietudine, caligine & alienatione, somno interrupto, somnijs turbulentis, peruersâ rerum existimatione, ac sæpè præpostero judicio, capitis vertigine, oculorum caliginibus, luctuosis suspirijs, cordis tremore ac palpitatione seu anxietate, syncope, dolore capitis, delirio absque febre, ídque non continuò, sed notatu digna interualla habente. Sunt enim melancholiâ hypochondriacâ laborantes, nonnunquam satis hilares, mox tamen sine causâ, in mœstitiam recidunt: nam vt Gal: 3. de loc. aff: cap. 7. docet. Elato ex inferioribus partibus ad oculos fuli- *Signa melancholiæ hypochondriacæ diagnostica seu communia.*

ginoso

ginoſo quodam, & fumoſo halitu, aut craſſis vaporibus, ſimilia, vt in ſuffuſione, accidentia contingunt: eâdem ratione ſublatâ ad cerebrū ab atrâ bile euaporatione fuliginosâ fumosâque, melancholica in mente eueniunt accidentia. Et quia etiam permiſcetur ſpiritibus animalibus, qui non ſolum imaginationi, ſed & alijs ſenſibus inſeruiunt, accidit, vt etiam circà alios ſenſus varia ſymptomata oboriantur; in auribus tinnitus, ſtrepitus, ſoníque varij, nunc campanarū ſonitum, nunc aquarum ſtrepitum referentes; oculi obſcurè vident, vel etiam omnia circumagi videntur. In neruos etiam ſeſe inſinuans vapor, vorios dolores, & alia neruoſi generis ſymptomata accerſit, præcipuè cum per ſpinam dorſi deorſum tendit, interdum in vtroque brachio frigus quoddam, aut ſtuporem potiùs, & motum formicantem inducit. Quæ cum fiunt, anxietatis & terroris omnia plena ſunt, ægríque metuunt, ne labantur & concidant. Idem vapor, dum ſeu per venas, ſeu per arterias ſursùm tendit, & cor tranſit, illud in eas anguſtias redigit, vt motu violento palpitare, & arteriarum celerem & velocem motum ad expellendum, & diſcutiendum vaporem ſibi

mole-

molestum, instituere cogatur. Plerumque etiam vrgent vigiliæ, quæ à vaporibus illis siccis ortum habent, qui non solùm spiritus perturbant, sed & cerebrum exiccant, ac somni proximam causam absumunt; aut si dormiunt, somnus, eâdem de causâ est perturbatus, cum somnijs metus & terroris plenis. Quibus à nonnullis adnumerantur signa habitus calidi & sicci, ceu sunt, amplæ tumidæq; venæ, color corporis fuscus, & illud abundè hirsutum, capillus densus ac numerosus, labia prætumida, oculi nonnunquam prominentes, aliquandò iterum reconditi, nunc volubiles, nunc quieti, atque inconniuenter immobiles, lingua modò prompta & expedita, modò hæsitantior, atque in proferendis vocibus tarda, blæsa, titubans, balba, impedita, &c.

Signa pathognomonica siue propria sunt, tẽsiones in hypochõdrijs, maximè sinistro latere, cum grauitate, & valida seu molesta arteriarum pulsatione: ventriculus malè affectus & debilis: coctio vitiata: æstus seu feruor ingens in præcordijs, sed sine siti, cum sputo copioso: ructus acidus, flatus, borborigmi, murmuratus strepentes, crepitus, rugitus, fluctuatio, dolor *Signa pathognomonica siue propria affectionis hypochondriacæ.*

L mor-

mordax ventriculi ad dorſum & ſcapulas ſeſe extendens,potiſſimùm ſumpto cibo concoctu difficili : compreſſio interdum diaphragmatis: ariditas faucium : in plurimis corporis partibus ſaltus quidam diuerſi : aurium tinnitus, aluus adſtricta,excrementa ventris arida, ſcybala, ſeu ſquibala Galeno dicta, baccis ſeu pilulis caprinis perquàm ſimilima, à calore nimio humidũ depaſcente: vomitus acidorum, nidoroſorúmque: nauſea, appetentia corrupta, vel inſatiabilis : tumor item lienis vel meſenterij dolens & renitens: juuamen à moderatè frigidis, à calidis verò & concoctu difficilibus læſio. Non tamen omnia ſymptomata in omnibus apparent, ſed modò hæc, modò illa, pro partium læſarum, vel ſeorſim, vel ſimul ratione. Si enim venæ meſaraicæ ſaltem obſtructæ ſint, & in ijs humor contineatur, mitior eſt affectio : grauior, ſi ipſa viſcera ſimul afficiantur. Et quidem ſi vtrumque viſcus afficiatur, atque vtriuſque venæ ſint obſtructæ, grauia & plurima apparent ſymptomata: ſi verò vnum ſaltem viſcus obſtruatur, mitiora & pauciora ſunt.

Symptomatum cauſa. De ſymptomatum cauſis, monendum, ea quæ è ventriculo euomuntur, non omnia in

eo

eo generari, sed interdum etiam è liene & locis vicinis transmitti. Ita verò tam acida à quibusdam euomuntur, vt etiam dentes, vt modò dixi, ab ijs stupescant, quæ procul dubio in liene vitiosè concoquente generantur; quæ atræ bilis nomine vulgò veniunt, etsi atrum colorem non semper habeant. In quibusdam vitiosi humores per vas breue, tàm venosum quàm arteriosum, cum sanguine interdum atro, interdum verò florido, in ventriculum è liene effunduntur, atque sanguis iste per vomitum postea reijcitur, cum terrore ægrorum: in quibusdam etiam per aluum euacuatur. Vas autem illud breue satis amplum est, ac sæpè calami scriptorij crassitiem habet: imò vt Iohannes Riolanus, Anthropographiæ, lib. 2. cap. 7. testatur, in senatore quodam, qui reiectione sanguinis per superiora & inferiora è liene prodeuntis laborauerat, deprehensum est vas breue minimi digiti magnitudine latum, & in ventriculum apertum. Et ista omninò via est, per quam hypochondriacis sanguis interdum per vomitum & aluum reijcitur. Ita refert Adrian. Spigelius Anat. lib. 6. cap. 5. historiam Cardinalis Cibonis, qui sanguinis vomitu extinctus erat: in cuius

Sanguinis reiectio per vomitum.

cadauere, compreſſo ventriculo viderunt lienem turgeſcere, rursùm liene compreſſo, ad ventriculũ copioſum ſanguinem per vas breue effundi. Imò per eandem viam, humorem inſtar atramenti nigricantem, ſine noxa & vitæ periculo euomere, plures in praxi mea vidi.

Flatus vbi contineantur. Flatus continentur in cauitate ſiniſtri hypochondrij ſub diaphragmate, ex ventriculi, omenti, coli & viſcerum connexu ortâ, exitum non habentibus, & ita concluſis, vt aqua & flatus contineri poſſint. *Ventriculi dolor ad dorſum & ſcapulas vſque.* Ventriculi dolores ad dorſum & ſcapulas vſque, non ceſſantes, priuſquam ægri euomant cibos crudos & phlegmata ſubamara, calida & acida, adeò vt dentes ſtupore inficiantur, proueniunt ex mala coctione: cùm enim ventriculi tunicę, prauis humoribus à liene & epate eò effuſis, infectæ ſint, non mirum, ſi is non benè coquat, cibúſque & potus vel crudus, vel parum mutatus, maximas anxietates & dolores excitet. Cùm enim in chylum mutatus non ſit, ab inteſtinis nec attrahitur, nec admittitur, in ventriculo moram trahit, & in flatus mutatus, grauiſſimorum ſymptomatum cauſa eſt. *Alui adſtrictioris cauſa.* Aluus adſtricta, ob vaſorum & viſcerum ſiccitatem, ob quam alui obſtructio-

nem, & flatus retinentur, qui hypochondria tendunt. Viſciditas quoque & glutinoſitas ciborum malè coctorum, & materiæ excrementitiæ, alui adſtrictionem cauſant.

Æſtus in hypochondrijs excitatur, ex humoribus calidis & feruidis eò loci concluſis: qui exaſperatur, ex aſſumptione cibi & potus calidioris, aut humorum agitatione ex alia cauſa. Soléntq; tunc calidis vaporibus ſursùm aſcendentibus, malæ, & tota facies rubeſcere. Et quandò vapor per vniuerſum corpus diſpergitur, ephemera febris quaſi excitatur, quæ vaporibus illis ſudore diſcuſſis, intra paucas horas euaneſcit. Satyriaſis quoque aliquibus excitatur, cùm procul dubio ob genitalium partium, vaſorúmque ſeminariorum robur atque calorem, renum etiam & lumborum, vicinarúmq; partium ęſtum, copioſior ſanguis, continuò ad haſce partes affluit & allicitur, & hinc ſemen copioſum generatur, quod abundans atque turgeſcens, ſimul & ob maiorem ſuam caliditatem, mordacitatem, & acrimoniam, quam ex ſanguine, ex quo generatur, feruidiore & acriore attraxit, continuò irritans, ſtimulos ſuſcitare & adaugere ſolet: cùm inſuper flatulentorum

Æſtus in hypochondrijs quomodo excitetur.

Satyriaſis vnde excitetur.

ſpirituum, ex craſſorum & feculentorum humorum abundantiâ generatorum, vis atque impulſus, partes genitales ſubinde attollit, diſtendit, atque inflat: non mirum, tantas & tam moleſtas inquietudines, pruritus, & ſeminis profuſiones inuoluntarias oriri atque produci, cum ſtimulis quibuſdam corporalibus (inuitis quidem) & ſingularibus, qui conſcientiam non tantùm, ſed & corpus ipſius patientis plurimùm inquietant.

Obſeruatio hiſtorica mirabilis & rara de ſatyriaſi.

Rarum ſuprà hoc ſymptomaticum ſignum percipe caſum. Iuuenis quidam, ſyntaxeos ſtudioſus, Gymnaſij Monacenſis, ruſtici filius, modeſtus quidem & pius, ſed ſcrupuloſus & melancholicus, ſiue mores ſiue temperamentum eius natiuum conſideraſſes, ſolitudinis amans: nullis ob innocentiam ſuam grauioribus alijs vitijs addictus: hypochondriacis & melancholicis (quod in hac ætate extraordinarium eſt) impreſſionibus agitatus, ſtimuliſque carnalibus multùm tentatus eſt. Hic quantumuis ijſdem in ſecreto animi ſui propoſito, abſtinentiâ, & corporis durioribus caſtigationibus reſtitiſſet, tamen paſſiones illas & inquietudines, expugnare ex integro nunquam potuit. Dum qua-

quadam die, extra vrbem, mentem deambulatione distrahere solitarius conatur, ilicò hi stimuli animum afficiunt, & miserum comitantur. Quid fit? tentationum harum satyricarum ampliùs non patiens, furiosâ resolutione, cultellum scriptorium, quem fortè infortunio suo secum ferebat, vnâ manu, alterâ verò scrotum vnà cum contentis arripit, vnóque tractu, manlianâ constantiâ, abscindit, seipsúmque castrat. Magna inde ex venarum & arteriarum, testiculis inhærentium, dissectione, subsecuta est sanguinis hæmorrhagia, quæ non modo vires debilitare, sed & cordis deliquia mouere cœpit: continuante itáque sanguineo illo fluxu, spiritus & anima propè omnis exhalasset, ni per instinctum naturalem, & mortis horrorem, siue per diuinum aliquem impulsum, alterum fortissimi athletæ specimen, conseruandæ vitæ dedisset: dum stimulatas partes, nociuo cruore benè madidas & inebriatas, manibus prehensas, tanquàm victor ex acie siue conflictu, domum vsque redux, quasi captiuas, optimè constrinxit, & à vehementiori sanguinis & spirituum eruptione, inter incedendum, eo vsquè inhibuit, donec se ad cubiculum, domesticis nihil de hac re animaduertentibus aut

suspi-

ſuſpicantibus, recepiſſet, ibi placidiſſimè prę verecundiâ animam ſuam Deo litaturus, ſi ei ita placuiſſet. Verum enim verò, longè aliter ſuis patrocinatur Deus; nondum Parcæ vitæ ſtamina, crepante etiam fatali Lacheſi, abrumpere audebant: neceſſaria enim (provt audietur) ad vaſorum conſtrictionem, & fatum producendum erant. Itaque, ſuperueniunt huic Tragœdiæ contubernales eius & conuictores, quorum plures in ijſdem ædibus tunc erant, veſtigia cruenta guttulata, pauimento inſperſa, ad vſque cubiculum ſuum, in quo incluſus latitabat, obſeruant: attoniti hærent; quid ſibi hæc cruentatio vellet aut ſignificaret, vnus ex altero ſciſcitatur: nihil autem à ſeſe ipſis indagantes, tandem abſentem iſtum melancholicum & ſolitarium deſiderant; renunciantibus etiam domeſticis, quod in cubiculo fortè quieſceret. Nihil inde boni ominantes, ſerâ oſtij perfractâ, vi intrant, ibíque condiſcipulum, ſe in ſanguine ſuo volutantem, ſemianimem, calore penè omni deſtitutum, ſpiritum vix amplius trahentem & propè mortuum, deprehendunt. Hic conſternati omnes, patremfamilias & domeſticos aduocant, qui nouitate rei pariter perculſi &

pertur-

perturbati, in quantùm possunt, ægrum reficiunt: interim confessarium pro animæ salute, & chirurgum, qui fortè in proximâ viciniâ habitabat, pro vulneris obligatione, adesse jubent. Neuter primâ temporis instantiâ, castrato prodesse poterat: nondum enim spiritibus resumptis, vocem edere, & peccata sua spirituali Medico indicare licuit: nec chirurgus (ad extrahendum, quàm ad sistendum sanguinem doctior) medicamentis suis astringentibus, sanguinem quò minus flueret, arteriosum & tenuem, inhibere potuit. In extremâ itáque hac necessitate & desperatione, vbi jam ab omnibus ferè de salute boni istius juuenis conclamatum est, ad me tanquàm ad vltimum asylum venitur, consilium auxiliúmque meum imploratur. Quem postquam accessi, considerato primùm loco affecto, vasa spermatica, cum tunicâ vaginali, in quantùm adhuc visui obuia, & propendentia erant, tenui funiculo (quem Atropos, vti suprà monui, nondum rescindere jussa erat) modestè constringo, delinquētem, cordialibus tàm medicamentis quàm alimentis reficio, & quietem impero. Vnde sanguinis impetus non modò suppressus, eiúsque

M fluxus

fluxus impeditus, sed etiam viribus recuperatis, æger sibi restitutus est. Vulnus postea, nullis amplius superuenientibus alijs symptomatibus, feliciter & perfectè cum DEI gratia consolidatum, simúlque ęger ab omnibus satyricis & melancholicis impressionibus, carnē antea tanquàm carnifices stimulantibus, liberatus est. Remedium quidem durum, tyrannicum, & extremum est: omnibus tamen proponendum & adhibendum, quos neque ratio, neque medicina, ab infreni & furiosâ luxuriâ inhibere potest, præsertim verò ijs, qui aut ex voto, aut ex applicatione spiritualium mediorum, continentes esse non possunt. Facilè autem taliter affectos hypochondriacos cognosces, si amorosos illorum delirantes discursus, extra honestatis limites progredientes, mulierum quoque familiaritatem & associationem nimiam, denique satyriasin, & nocturnas pollutiones, de quibus multùm & frequenter cōqueruntur, consideraueris.

Vrinarum color qualis in affectu hypochondriaco.

Cùm in myrachiali affectu vrinæ tenues sunt, plerùmque obstructionum, & caloris instantis indicia sunt. Sunt aliàs turbidæ, crassæ, rubræ, acres, & interdum fœtidæ. Quia verò plerùmque cum talibus vrinis materia multa

tartarea excernitur cum arenulis rubris, ægris calculi metum adferunt, qui tamen sæpè nullus adest: nam etsi & à renum caliditate, sæpè ista sabulosa materia proueniat: tamen & in epate ac venis, crassiores & tartareæ sanguinis partes, in materiam eiusmodi coagulantur, quæ continuò per vrinam redduntur, sine vllâ calculi molestiâ. Anxietas accidit, non solum, dum vapores cor aggrediuntur, sed & dum ventriculus afficitur: cibus enim semicrudus cùm ibi hæret, & in flatus resoluitur, anxietatem parit: si verò ad vasa vicina peruenit, fit à calore quædam ebullitio, chylíque plures partes in flatus vertuntur, qui non solum ventriculum, sed & hypochondria extendunt, & in partibus ijs, quę sensum à neruis sextæ coniugationis accipiunt, anxietatem ibi producunt, quam sæpè lipothymia comitatur: dúmque hæc fiunt, ægris intercipitur vox, nihil omninò loqui possunt, iacent quasi in deliquio immobiles: interim tamen omnes alios circumstantes cognoscunt, loquentes audiunt, & intelligunt. Quæ tunc primùm cessat, cum natura quod crassum est, vomitu reiecerit, quod verò tenuius, per sudorem sensibiliter, vel insensibiliter discusserit. Quod

Anxietas vnde.

Interceptio vocis vnde.

Cordis palpitatio vnde fiat. sæpè cum horrore quasi febrili accidit. Cordis palpitatio & animi deliquium, fiunt, partim ob ventriculi consensum, partim ob ascensum vaporum prauorum ad cor, quos dum à se moliri conatur, celer, velox, & inordinatus pulsus excitatur. In sinistro autem hypochondrio pulsatio, fit ab intemperie calidâ rami cœliaci, idque præcipuè, post vehementiorem motum & iram. Ad quam rem etiam faciunt glandulæ in mesenterio plurimæ: cùm enim illarum vsus sit, ne vasorum ductus comprimantur, si multo crasso humore turgeant, arterias comprimunt, vnde maior pulsatio excitatur.

Siccitas palatus linguæ & oris. Vapores illi cùm ad oesophagum vel asperam arteriam ascendunt, palatum, linguam & os exiccant, & sitim leuem excitant. *Sitis & respiratio difficilis.* Respiratio difficilis, subinde cum dolore & constrictione pectoris persentitur, cùm ob neruos ibi affectos, tùm quia per venas & arterias, vapores praui in musculorum spatia effunduntur, vicinásque membranas afficiunt. Flatus quoque & vapores, in hypochondrijs collecti, & sursum tendentes, diaphragma comprimunt. Hi cùm ad cerebrum eleuantur, acredine, tenuitate, & adustione suâ, illud replent & perturbant, va-

riósque affectus ac symptomata eidem, vti & neruoso generi inducunt. Etenim dum panniculos cerebri peruadunt, illos lancinant, dolorémque excitant, ita vt nonnulli cerebrum è cranio quasi euelli sibi conquerantur: dum cerebrum peruadunt, spiritus perturbant, oculis caliginem suffundunt, aurium tinnitum excitant: nonnullis vertigo oboritur, alijs tristitia, metus: falsa imaginatio, & deliria melãcholica, fiunt vitio spirituum, qui à vaporibus illis inquinantur: nonnulli enim continuò sibi ab apoplexiâ, alij ab epilepsiâ, alij à subitaneâ morte metuunt, alij se fascinatos esse credunt, alij alios morbos imaginantur. Hinc nonnulli perpetuâ tristitiâ, alij etiam fletu & eiulatu se macerant; & hoc fit morbi & naturæ impulsu: nam si diu malum duret, in melancholiam abit: sique bilis atra & adusta, humoribus & euaporationibus ad caput euntibus admisceatur, mania succedit: si vapores sunt acres, epilepsiam pariunt, & tales subinde somnambuli & omninò apoplectici fiunt.

Dolor Capitis, oculorum caligo, aurium tinnitus.

Vertigo, tristitia, metus, deliria.

Cum verò neruos, vapores & humores hi occupant, prout vim vel narcoticam, vel neruos vellicandi habent, symptomata paralysi

Paralysis quasi & Convulsio.

& conuulſioni ſimilia in ijs excitant. Hinc circa neruos linguæ, ſermonis difficultatem, aut muſculorum laryngis conſtrictionem cauſant. In neruis thoracis, difficilem reſpiratiōem, precordiorúmque & thoracis quaſi conſtrictionem pariunt. Si neruos brachiorum & crurum peruadant, membra hæc ad motum pigra reddunt, & laſſitudinem in ijs excitant, vti quoque fit in extremis digitis manuum & pedum, vbi ſtupor quidam & motus formicans, nunc in dextro, nunc in ſiniſtro brachio, nunc in hoc, nunc illo digito percipitur. Ac dum tandem neruos ex oſſe ſacro prodeuntes attingunt, atque in ijs eundem affectum excitant, ægri ne concidant, metuunt, & locum quieti quærunt. Interim ſudore frigido madeſcunt, tandémque calore cordis ſeſe exſerente, & vaporibus diſcuſſis, ægri ad ſe redeunt. Vapores etiam hi, cùm ſint calidi & ſicci ac melancholici, ſpiritus animales perturbant, cerebrum exiccant, & ita vigilias moleſtas, aut ſomnos perturbatos, ac inſomnia terroris plena pariunt. Inprimis verò vigiliæ poſt mediam noctem, pleróſque moleſtare ſolent. Etſi enim poſt cœnam, ad mediam noctem ſatis benè dormiunt: tamen poſtea e-

Laſſitudo in brachijs & cruribus, ſtupor quoque & motus formicans.

Metus ne concidant ægri.

Vigiliæ ac inſomnia.

tuigi-

uigilant, manent vigiles per aliquot horas, postea iterum dormire incipiunt: alij verò non amplius dormire possunt: quod inde fit, dum chylus distribuitur, & ad secundam coctiõem, ac lienem, & vicina vasa peruenit: tum enim humores vitiosi in ijs latentes agitantur, & ex agitatis, vapores eleuantur, qui per venas & arterias ad caput delati, vigilias excitant, quæ in nonnullis ad diem vsque durant, in quibusdam verò, ijs discussis, iterum somnus succedit.

Non tamen ista symptomata omnia in omnibus, sed alia in alijs apparent, nunc pauciora, nunc plura, humorum varietate, & prout hæ vel illæ partes magis læduntur. Non verò est de essentiâ mali hypochondriaci, vt in hypochondrijs tensio, durities, dolor, & tumor percipiatur, cùm plerúmque fomes mali saltem in ramis venæ portæ & arterijs vicinis hæreat. Si itaque in ipso liene humor contineatur, tensio & durities in regione lienis percipitur, facies est malè colorata. Si in epate contineatur humor, & illud intemperatum sit, è regione epatis tensio percipitur, maxillæ rubent, manus & pedes calent, vrinæ rubent, ac sitis adest. Si in vasis solùm, inter ventriculum, lienem, & epar,

Partium affectarũ præcipuarũ signa.

post

post cibum, & cœnam præcipuè, horis circiter 6. vel 7. flatus, rugitus, & dolores percipiuntur, nec tumor vel durities, in alterutro vel vtroque latere percipitur. Si etiam ventriculus valdè laboret, è coctionis vitio id cognoscitur. Vterus si malo originem dederit, mensium suppressio adest, & frequens in ventre inferiori rugitus percipitur, de quo tamen in sequenti capite plura.

CAPVT X.

In quo per Exemplum practicum, proponuntur signa & symptomata, cum eorundem causis, pro maiore & meliore enodatione & intelligentia huius affectus hypochondriaci. Quibus etiam adduntur signa & symptomata melancholiæ hypochondriacæ in fœminis.

MICROCOSMVS itaque quidam, virilis sexus, temperamenti melancholici, consistentis ætatis, cuius corpus in iuuentute & adolescentiâ vehementibus & diuturnis febribus lacessitum, in virili autem ætate grauioribus mœroribus, ob infortunatissimos casus exiccatum est: nunc verò officio fungens curis pleno, de palpitatione cordis frequentiore, mane præcipuè conqueritur, cum magno animi terrore & corporis anxietate: quam

tanta

tanta in pedibus debilitatio ſubſequitur, vt ijsdem vix inniti queat, & ſibi delinquendum eſſe videatur; vnde variæ cauſantur apprehenſiones & phantaſmata, obfuſcantur oculi, caligant, ſine vera tamen vertigine.

Diſpoſitionem ad hunc morbum, temperamenti, ætatis, morborum & animi affectuum prægreſſorum, officij quoque ratione, ſequitur paſmus cordis, qui à repletione eſt, & dilatatione eius arteriæ, quæ ad cordis ventriculum tendit ſiniſtrum, diaſtolen nominant. Repletio illa, à feruentiori fit ſanguine, quod demonſtrat inprimis ætas ægri, quæ eſt primi ſenij principium, in quo melancholicus ſanguis gignitur, qui craſſus corpore, motu piger eſt, & ob bilioſum temperamentum, quod color niger notat pilorum, feruidior, vehiculóq; multo, ſero vtpote opus habens. Quod ſi ratio examinatur vitæ, ſtudia, inuigilatio, meditatio multa, lectio ſedula, officium denique curis & inuidijs plenum: omnia hæc ingenioſum hominem dicunt, cuius ſpiritus non craſſi, non humi ſerpentes, ſed ſubtiles ac ſublimes ſunt: celeres enim ingenio, ſanguinem ſpirituoſum habere, confeſſum eſt apud Medicos: hunc in vitá ſeſſionibus frequentibus & lucubrationibus aſſi-

duis dicatâ, insuper morbis & mœroribus superassari, notissimum, maximè si animi commotiones faces subministrant: seri copia, quâ sanguis crassus feruidúsque gaudet, testimonio erit. Quare hanc cordis palpitationem, à sanguine arterioso, feruido, crasso (cui multum seri subseruit pro vehiculo) & vaporoso prouenire pronuncio. Et talis sanguis in affectu hoc hypochondriaco progignitur, eo maximè, qui jam primum gradum supergressus est, in quo & viscera à passione haud libera sunt: & symptoma hoc, est actio deprauata cordis, ac arteriarum eius, ob molestantem sanguinem feruidiorem cum seri copiâ, raptum in arterias superiores, & cordi appropinquantem; cui bellum facit, eius tonum aggreditur, illud diastole suæ arteriæ renititur vehementer: mane præcipuè, quod spiritus & humores nociui per nocturnam quietem sopiti, & aliquo modo incrassati, non tàm citò per corpus & meatus dissipentur & agitentur, feruórque cordis per somni humectationem aliquo modo temperetur, mitigetur, & inhibeatur, qui tamen peractâ quiete soporiferâ, postea per euigilationem, caloris actuationem, & motum corporis, exasperantur,

rantur, mouentur, & ad partes principes eleuantur, quę turbatę, ingenito ſuo robore, tanquàm ſibi contraria & nociua, quouis modo expellere conantur. Quod cor per palpitationem tàm diu molitur, donec copiam ſeri ad arterias emulgentes, & hinc ad renes & veſicam detruſerit, feruoríque refrigerium inuenerit, magnâ inter conflictum hunc exortâ corporis anxietate & debilitate, non minore animi terrore: quod ſemper aliquid ex ſpiritibus vitalibus innatis & irreparabilibus, aut diſtrahatur, aut deperdatur. Cerebrum quoque & neruoſum genus, per ſympathiam patitur, quandò acris calida & melancholica iſta materia ſursùm fertur, rationem & phantaſiam, à ſuis operationibus perfectioribus reddit impotentiorem, ſpiritibus per canaliculos ſuos à naturâ deſtinatos, hoc eſt neruos ſenſorios & motorios, liberiorem negat tranſitum, vnde leuia deliria & phantaſmata, inanes timores & terrores, inſuper oculorum obfuſcationes & caligationes, & ſpaſmodica quaſi affectio, omnium neruorum, tendonum & ligamentorum, totius corporis, excitantur. Hinc non leuis quaſi vertigo cerebri, debilitáſque omnium membrorum, cor-

pus sustinere ampliùs non potentium, & totius animi siue animæ deliquium causari videtur.

Singulis ferè diebus catarrho infestatur, qui ex minima corporis incalescentia aut refrigeratione, & qualibet aëris mutatione excitatur, non ad pectus, sed ad collum, scapulas, & lumbos profluens: vbi similes longo tempore hærent.

Causa catarrhi frequentioris, aut harum destillationum antecedens & prima, est caput, quod suâ naturâ tanquàm receptaculum & labrum serosæ superfluitatis est, quatenùs quisque secundùm naturam, os & linguam semper sibi madescere percipit, vnde membranæ quoque cerebri, per anatomiã, semper aqueo quodam humore conspersæ conspiciuntur: & cùm hic viscerum intemperies calida & sicca accedat, præter naturam, fumorum & humorum multitudine communicatâ, talis fluxionum materia cumulatur, vbi maximè viscerum secundæ concoctionis constitutio, nimis citò, alimentorum humiditatem exorbendo, ventriculíque chylosim interturbando, malo huic occasionem præbet: quatenùs scilicet propter vehementem attractionem, ob calidam siccam naturam, ante tempus serosa humiditas,

cru-

cruda adhuc, à ventriculo trahitur, quæ postea, quatenùs vitium concoctionis primę, in secundâ non corrigitur, in maſsâ ſanguinis venoſi & arterialis remanet, & adiuuante ebullitione, in capite, quò aliàs naturâ ſuâ tendit, tanquàm receptaculo proprio colligitur, vnde fieri non poteſt, quin in talibus ipſum caput alienâ humiditate plurimum ſcateat, inprimis externis etiam cauſis concurrentibus, vt ſunt euacuationum conſuetarum retentiones, motus corporis vehementior, & incaleſcentia, quæ ſimiles fundit & diſſoluit humores: item aëris mutatio, cœlum pluuioſum, & ventus auſtrinus, vnde corpus nimium humectatur, alteratur, & fluxiones cumulantur. Victus quoque ratio vitiata, dum vel in ordine aſſumendorum ciborum erratur, vel calidior cibus, aut coctu difficilior comeditur: vita item ſedentaria, & mœſtitia. Hinc videmus, doctos & meditabundos, hypochondriacos eſſe, & ſimul catarrhoſos. Monſtrantur autem ab Hippocrate ſeptem potiſſimum viæ, ad quas à capite materia fluit, videlicet aures, oculi, nares, palatum, venæ & arteriæ, vertebræ ſpinæ dorſi, & nerui. Quod autem ad collum, ſcapulas, lumbos, & non ad pe-

ctus, materia hæc catarrhoſa fluat, robur cerebri & pectoris tanquàm partium expellentium, colli, ſcapularum, & lumborum verò, tanquàm partium recipientium debilitationem ſignificat, diſcutientium quoque, reſoluentium & euacuantium intermiſſionem, quæ in cauſa ſunt, quod in lumbis tamdiu hæreant defluxiones, tanquàm in ſede fixâ, quæ aliàs beneficio euacuantium & diſcutientium mediorum, facilè expelli poſſent.

Dum animi paſsionibus agitatur, verſùs veſperum ſæpiùs, totius corporis æſtum perſentiſcit cum pulſu concitatiori, non tamen inordinato, inæquali, aut febrili, per noctem integram, etiam inter inſomnia, & mane adhuc finito ſomno, durante.

Commouetur ſanguis calidior & biliosior, per animi paſſiones, omniáque viſcera efferueſcunt, versùs veſperum præcipuè, vbi bilis per naturam magis æſtuat, quàm alijs diei temporibus: vnde totum corpus incenditur, non quidem putredine illâ quæ febrem dat, ſed quæ calorem præternaturalem in organis nutritionis & vitalibus cauſat: vnde pulſus quidem per arterias concitatior, quòd cor ſe oppreſſum ſentiat & ventilationem quærat, percipitur: diu au-

tem

tem is durat, per noctem integram, inter insomnia, & mane adhuc: quod sanguis qui mouetur & feruorem excitat sit crassior, vnde difficilius feruor eius temperari & mitigari possit.

Insomnia, nec frequentia, nec multa habet: somnus tamen communiter paucus & inquietus est. Appetitus satis bonus: cibum pro illo explendo sufficientem, sed non immodicum ingerit, & vtplurimum cum appetitu cœnam claudit. In articulis, magis tamen in brachijs, nerui languent, acsi contracti aut resoluti, officio suo fungi non possent.

Insomnia, nec frequentia, nec multa habet, quia parùm & inquietè dormit: redditur autem somnus inquietus, ob malam concoctionem, aut ob curas officij sui graues, aut animi affectus & passiones, aut ob æstum & feruorem totius corporis inde enatũ, aut ob propriũ calidũ & siccum temperamentũ: quæ omnia cerebrũ exiccant, & ad somnum qui humiditatem & frigiditatem aliquam requirit, indispositum faciunt. Appetitus quidem bonus & maior, quia viscera secundæ concoctionis, ratione feruoris, tenue & limpidum, continuò ex ventriculo exsugunt, & nouum ingerere alliciunt & stimulant: vnde in hoc malo appetitus maior, & vsus

fre-

frequentior liquidorum, quem tamen corrigit & inhibet ratio, ne scilicet nimium ingeratur, stomachóque inde pœna, hypochondrijs fluctuatio, & cerebro materia pro catarrhis excitetur. Languent, leuitérque contrahuntur & resoluuntur articuli & nerui, partim per sympathiam cerebri, partim ob receptionem fluxionum, & distensiones flatulentas: maximè autem brachia, quia proximiorem à capite obtinent locum, faciliùs quoque & citiùs, ob propinquitatem, fluxiones per collum & scapulas prolabentes, recipere possunt, vnde languida & ad officium suum inepta redduntur.

Dolores capitis, licet acrioribus catarrhis detineatur, nec per integrum annum, aut ferè nunquam patitur. Aluus subinde pigrior, nec lotium semper debitè fluit, omnimoda tamen constipatio nulla. Medicamenta denique & alimenta, qualitate calidiora, illius naturæ aduersantur, nec sine magnâ corporis alteratione ferre potest.

Quia autem caput & cerebrum robustum, se continuò à colluuie & collectione serositatum, per demandationem & defluxionem catarrhorum exonerat, nec fluxionum materiam diutiùs fouet, vt partes sensiles ibidem, meninges scilicet & neruos cerebri vellicare possit, ideò

ideò dolor nullus capitis, sed segnities solummodò spirituum animalium quædam, ac torpor,& obtusio sensuum internorum, ob nimiam cerebri humiditatem aduentitiam, introducitur. Aluus subinde pigrior, ob siccitatem & viscositatem excrementorum, in intestinis quasi incrustatis hærentium,& propter obstructionem ductus fellei, excretionem stimulantis. Nec lotium semper debitè fluit, quod serositas sursùm & non deorsùm rapiatur. Denique quod medicamenta & alimenta calidiora, natura ferre nequeat, intemperies calida & sicca viscerum in causa est, quæ ex vsu calidorum adhuc magis incenduntur, oleúmque sic igni additur. Quæ omnia affectum Hypochondriacum cum melancholiâ, vltra principij gradum, jam radicatum, & quasi habitualem ægrè ampliùs ex integro expugnandum demonstrant.

Fœminarum melancholia hypochondriaca, cui etiam vterus consentit, multis signis & symptomatibus deprehenditur, quorum alia incipientem produnt, alia jam factam indicant, alia denique confirmatam & idiopathicam ostendunt. Prioris generis sunt præcordiorum æstus, circa dorsum arteriarum pulsatio, alui se- *Signa melancholiæ hypochondriacæ in fœminis.*

gnities, vrina flaua & acris, dolor ſiniſtri lateris ad mammam vſque pertingens, cutis ſqualor & aſperitas, præſertim in articulis, ſenſuum caligo, mentíſque torpor & ignauia, deiectio animi, cordis palmos, difficilis anhelitus, ſomnus turbulentus, & inſomnia terrifica, pudor ruſticus, multa cogitatio cum rerum malarum ſuſpicione, judicium præpoſterum cum peruerſa rerum exiſtimatione. Progreſſo jam malo, animus plerùmque deficit, & fauces ſiccitate, vt ab vteri ſtrangulatu, præcluduntur, mulier animi anxia & inops conſilij, ſiti, vigilijs, tædio, rerum omnium faſtidio, & meliorum deſperatione torquetur, riſui lacrymas ſæpè intermiſcet: virium languore, varíjſque doloribus afficitur, cum metu & mœſtitiâ, quę ſunt communia melancholicarū ſymptomata. Quinetiam pluribus terretur, quàm prematur, ſæpiúſque opinione, quàm re laborat: nullâ re delectatur, ſed ſolitudinem amat, à qua magis læditur, donec halitus euaneſcat & diſſipetur: tunc enim ſubitò (quod mirum eſt) priſtino ſtatui reſtituitur, niſi malum jam inueteratum ex ſympathia tranſierit in idiopathiam, hoc eſt cōfirmationem. Quod ſi contingat, vix vllâ orationis

ſua-

ſuauitate mulier ad ſpem recuperandæ valetudinis erigitur; ſiquidem malum, quo tenetur, naturale eſſe negat, ſed diuinum, aut maleficis artibus immiſſum. Nonnunquam inſidias ſibi parari ſuſpicatur. Dæmones ipſos ſe videre putat, imò à ſpiritu vexari ſe exiſtimat. Iam nihil ampliùs veretur, ſed fœda omnia & horrenda cogitat, committit vel obloquitur. Nihil denique niſi mortem appetit, quaſi ſuis malis finem allaturam. Quam interdum, ſubmerſione, ſuſpendio, vel præcipitio ſibi tandem procurat, niſi Medicus ſuâ prudentiâ & diligentiâ tam impijs conatibus obſtiterit.

CAPVT XI.

De prognoſticis ſignis Melancholiæ Hypochondriacæ, quibus pro additamento additur, quomodò, & an, morbus iſte, in corpus humanum, permittente Deo, à dæmone immitti poßit.

QVò ad Prognoſtica ſigna; paſſio hęc, quę noſtris temporibus & oris eſt frequentiſſima, in quocunque ſubiecto, & à quacunque causâ fiat, ſemper eſt moroſa, longioris durationis, difficilioriſque curationis, quæque ad *Prognoſtica ſigna.*

interitum ſæpenumerò comitatur: & quamuis tùm Medicorum diligentiâ, tùm ægrorum obedientiâ aliquod præbeat interuallum, penitùs tamen vnquam non tollitur, imò adeò eſt importuna, vt minimâ quâque occaſione aut errore acerbior redeat, quàm antea, quantóque hominis ętas magis matureſcit, tantò acriùs infeſtat. Quod ſi quis cauſam, originem & locum, vbi radicatur, conſideret, facilè agnoſcet, quàm ſit deteſtabilis: nam ex vnâ parte, adeſt feruor ſeu intemperies quædam calida viſcerum in hypochondrijs ſitarum, vt epatis & lienis, maximè verò venarum meſaraicarum, quæ cum mediæ ſint inter ſtomachum & epar, importunæ ſunt, ob malam quam habent temperaturam calidam in attrahendo, perfidæ in corrumpendo, & corruptum illud ad epar & ſplenem mittendo; ex alterâ verò ventriculus plerùmque debilis & intemperatus, in chylificatione maximè deprauatè agit, & ratione huius, multos humores crudos, flatulentos & acidos generat, ex quibus poſtea plurima mala reſultant ſymptomata, tota corporis œconomia deſtruitur, omnéſque animæ operationes turbantur. Hinc à nonnullis hic morbus miſerabile

bile tormentum, crux & opprobrium medicorum dicitur, maximè si quorundam importuna & malè intellecta curatio accedat: sæpiùs enim Medici in hoc affectu anguntur, nescij quo itinere ad curationem progredi debeant, ideóque curam sæpenumerò relinquunt, ægri verò diuturnitatis affectus pertæsi, patientiam & recuperandæ valetudinis spem vtplurimùm amittunt, sæpiùsque regimen mutant, ac modum aliquandò volentes inuenire, nullum inueniunt, ideò inobedientes fiunt in continuandis medicamentis, plerùmque & medicos sæpè mutant, eorum consilijs non obtemperant vel acquiescunt. Vnde ex alienis ærumnis Medici proprios metunt angores, & nullam, melancholicorum importunitate, crucem habent molestiorem: vnde huc non quadrat responsum Alexandri Magni, Philippo Medico datum, lenta videlicet remedia, & segnes Medicos non exposcere tempora sua, sibíque mori strenuè, quàm tardè conualescere satiùs esse. In vllo itaque si opus est, in hoc sane morbo, medici circumspecti patientia & judicium requiritur: non enim hypochondriaci & melancholici jurgia, disputationes, & controuersas contentiones

admittunt, sine maioris delirij metu & iræ incensione, sed suauiter, circumspectè, & prudenter falli & persuaderi debent, vt persuadentem audiant, & medicationes obsequenter admittant; sique vllâ in curatione, adulatio & verborum lenocinium, in quantùm sine ægri nocumento fieri possunt, admittenda sunt, in hâc certè occasione valent, vbi nulla austeritas aut veritas, ob vitium rationis, maiorísque perturbationis, furoris, & timoris metum, prodest. Nec illi qui maximè sunt, hypochondriaci esse, aut tales denominari volunt: verentur enim, ne ideò minùs ab alijs æstimentur, officiorúmque aut respectus jacturam patiantur, stultitiæque aut delirij maioris quàm par est insimulentur. Cautus itaque sit Medicus, præsertim apud illos, qui alicuius dignitatis aut officij honestioris sunt, in morbi huius pronunciatione, honestéque citra ægri offensionem mentiatur, ne à minoribus insanis, maior habeatur insanus, & propter vera sua judicia, ab hypochondriacorum curatione excludatur: felicitas enim hominum ex opinionibus pendet, sicque sculptus est hominis animus, vt longè magis fucis, quàm veris capiatur: ad multas quoque commoditates con-

conducit, nunquam pudeſcere, & nihil non audere, & in communi mortalium vitâ, quæ nihil aliud eſt quàm ſtultitiæ luſus quidam, Democritum agere, & pro morum ſuauitate facilitatéque, cum omnibus omnium horarum hominem agere: quæ tamen tanquàm nimis politica, in hypochondriacorum curâ tantùm practicabilia eſſe volo.

Periculoſa huius morbi ſigna.

Inſuper, licet affectio hæc, faciliùs feratur citrà periculum maioris delirij, quàm reliquę impropriè ſic dictæ ſpecies, tamen ſi confirmata fuerit, in his qui deiecto ſunt animo, in cordis palpitationem, tremorem, animi deliquium, & ſi prauis hypochondriaci ſuccis vtantur, in ſyncopen, atque interdum in vertiginem & epilepſiam degenerat, vnde etiam non raro ſatis periculoſa eſt: in apoplexiam quoque aut maniam incidunt; cuius rei ſignum eſt, cùm, qui antea erant meticuloſi & triſtes, jam hilares quaſi, animoſi, audaces & iracundi fieri incipiunt; quod faciliùs accidit, ſi æger multo, & potenti vino pro potu vtatur: cerebrum etiam morbi diuturnitate valdè debilitatum, & cruditates auctæ ſint. Si humor etiam magis aduritur, & ad atræ bilis naturam accedit, copioſiùs ad cerebrum

rebrum

rebrum fertur, & peculiarem ibi corruptionem subit. Cúmque vix alius affectus tantam symptomatum varietatem, viscerum quoque & humorum intemperiem inęqualem habeat, quàm iste, ideò & ęgro & medico plus negotij facessit. Malum etiam hoc plerùmque in habitum abit: nec materia in cauitate omenti contenta facilè exitum habet. Cùm in dextro hypochōdrio mali causa colligitur, lenius malum est, humor enim est mitior; cùm in sinistro, grauius est; grauissimum, si in vtroque hypochondrio: tum enim vehementiora habet symptomata, quæ quò magis humor ad atræ bilis naturam accedit, eò sunt grauiora. Si verò in vasis tantùm, & nullo in viscere humores contineantur, mitius malum est. Contumacissimum denique, cum materia in omenti cauitate hæret: tum enim vix purgantibus exturbari potest. Hæmorrhoides, varices, hæmorrhagia naris sinistræ, & menses in mulieribus, malum hoc sæpè soluunt, si cum moderamine superueniant: diutiùs verò durantia, nocent. Mares faciliùs quàm fœminæ hoc affectu corripiuntur. Si tamen eæ corripiuntur, difficulter vel raro curantur, quod plerùmque vterini affectus sese

huic

huic malo associent. In hoc morbo vrina crassa melior est, quàm aquosa & tenuis, quæ crassos humores in corpore detineri indicat: nigræ autem sine febre plerùmque morbum soluunt. Aluus laxa & vomitus hic sæpè vtilis. Vertigo, & diuturnus capitis dolor in hac affectione, in epilepsiam & conuulsiones, vel cæcitatem, interdum in vtrumque abit, nonnunquam in apoplexiam mutatur: sępiùs quoque scorbutum comitem sibi adsciscit: interdum etiam in hydropem degenerat. In febres denique hecticæ non absimiles incidentes, tabidi moriuntur.

Recordatur Andreas Laurentius, in lib. de mel: hyp: cap. 14. duarum specierum hypochondriacarum, quibus similes tota antiquitas, quantùm è literarum monumentis eruere potuit, non vidit, neque fortè posteritas tales deprehendet. Prima. Monspelij degebat honestus ciuis, habitus melancholici, & temperamenti atrabilarij, qui spatio duorum aut trium annorum leui hypochondriacâ detentus, ita malum proserpere, ac incrementa sumere passus est, vt tandem ad extrema, quæ modò percenset, deductus fuerit. Bis aut ter in die leuem per totum ventrem percipiebat motum, maximè circa lienis

Hypochondriacorũ duæ historiæ ex Andrea Laurentio. Prima.

lienis regionem: hinc exurgebat rugitus adeò vehemens, vt non solùm æger, sed assistentes omnes eum audirent. Tinnimentum hoc ad medium horæ quadrantem perdurabat, atque dein vapor seu ventus derepentè diaphragma & pectus occupans, tantam spirandi proferebat angustiam, vt ab omnibus asthmaticus judicaretur. Hoc symptomate nonnihil remittente, reliquum corpus ita conquassatum comparebat, vt naui ferocissimis procellis agitatæ non absimilis videretur: modò procedebat, mox gradum referebat, & vtrumque brachium adeò insolito agitabat motu, vt conuulsione distorqueri judicares. Tandem ventus hic vbi totum corpus peruasisset, tanto impetu per os efferebatur, vt omnes assistentes obstupescerent, sicque accessio finiebatur, & æger nonnihilò melius habebat. Sed necdum satis, duobus aut tribus ante obitum mensibus, indies bis aut ter leui molestabatur syncope, cor deficiebat cum extremo vrinam reddendi desiderio, hácque redditâ se recolligebat; tanta fuit mali vehementia, vt animam è domicilio excedere adegerit. Vocatus ad corporis apertionem, deprehendit pectus semiplenum aquâ nigricante &

fœtidâ, quâ finifter ventriculus omninò redundabat, vt & in trunco magnæ arteriæ idem color comparebat. Tum reuocato in mentem insigni loco Galeni, lib. 6. de loc: aff. demonstrauit assistentibus causam frequentis deliquij, & extremi ad vrinam reddendam impetus, prouenisse ab humore illo maligno, qui vasa cordis penetrans, per arterias ad renes permeabat, atque inde ad vesicam. Annotandum hoc obiter hic duxit, ad defendendum Galenum à neotericorum Medicorum calumnijs, qui existimant, pus empyicorum aut pleuriticorum per cor aut arterias expurgari non posse, quam disputationem libro 3. Anatomico fusiùs prosecutus est.

Altera historia æquè stupenda est, quam in Turonensi ciuitate annotauit, dum in consilium cum alijs Medicis euocatus esset. Vir nobilis juuenili ætate, ab octo aut nouem annis ab hypochondriacâ infestatur, indies circà nonam matutinam, exiguum rugitum ad lienis regionem percipit: hinc notat eleuari vaporem, qui per totum pectus & faciem ruborem diffundens, capitis summitatem conscendit; arteriæ temporum fortiter pulsant, venæ in vultu intumescunt; ad extremum frontis, vbi venæ *Secunda Historia.*

 termi-

terminantur, ad latitudinem solidi, summo dolore conflictatur; rubor per totum brachium sinistrum, vsque ad digitorum extemitates, instar ignis volantis, aut erysipelatis excurrit; latere dextro ab omni affectu penitùs immunis. Accessione durante, tantâ virium debilitate languet, vt ne verbum quidem proferre possit; frequentes ex oculis emanant lachrymæ, & ex ore incredibilis saliuæ copia profluit, externa vruntur, interna frigore torpescunt; crus sinistrum varicibus scatet, & quod plurimum admirationi ipsi erat, circà os capitis, parietale dictum, portio quædam ossis, sine vllâ causâ euidente, casu scilicet aut ictu, ablata est, neq; minimum attactum, ea parte sustinere poterat. Morbus adeò fuit rebellis, vt, quicquid sum̃o judicio, & artis conatu molirentur Medici, frustrà susciperetur. Ex quibus planum fit & apertum, quantùm stupendorum accidentium comitari possint humores crassi, adusti, & melancholici, in venis hepatis, lienis, & mesenterij detenti, quidque turbarum ac seditionis, in naturali œconomiâ commoueant.

Morbus melancholicus ex hy

In Hungariâ quoque, morbum hypochondriacum & inde subsequentem scorbuti speciem

ciem frequenter grassari, genitori meo charissi- mo, per literas notefecit frater ipsius, & cognatus meus venerandissimus, dominus Daniel Geiger, Artium, Philosophiæ, Medicinæ & Chirurgiæ Doctor, serenissimi Palatini ac Procerum Regni Hungariæ Protomedicus. Vir magnæ doctrinæ & fortunæ, felicissimæ praxeos, rarioribúsque ingenij & judicij dotibus excellens; cuius medendi artem, ante hac Augustana ciuitas experta est, jam verò Posonium adorat. Sic scribit ille. Occurrit mihi ferè quotidiè in Hungariâ morbus quidam curandus, solis incolis Hungariæ endemius, quem Tschemer vocant, ex morbo hypochondriaco ad scorbuti speciem pronatus. Quo infectis, in partibus musculosis brachij, dorsi, totiúsque corporis, excitantur ad modum glandularum parui nodelluli, exteriùs quidem inuisibiles, interiùs tamen benè palpabiles, instar cicerum, seminis lini, fabarum tamen quantitatem vix excedentes: paroxismi inuasionem comitatur horror & calor febrilis, ad modum erysipelatis: hinc erumpunt & excitantur modò enarrata tubercula siue glandulæ. Vulgus, certis contrà hunc morbum vtitur remedijs, nempe sale,

pochõdriaco speciem scorbuti referens in Hungaria cõmunis, D. Doctoris Danielis Geigeri.

aceto, & allio, quibus (non omnia simul, sed vnum aut alterum solummodò capiendo) locum affectum & tubercula, tam diu & fortiter fricant, donec noduli illi resoluantur, nec coagulati ampliùs sentiantur: quo facto, leuamen illicò sentiunt. Multi materiam hanc, sudore discutere debent, illóque intermisso, vt in alijs malignis morbis, moriuntur. Ad sudorem eliciendum, vtuntur spiritu vini, in quo liquefacta sit portio axungię veteris, cum admixtione succi allij, & pulueris piperis nigri, quantum cuspis cultri capere potest. Sæpius incidunt in morbum hunc, vtplurimùm tamen, cum nauseam ex cibo aliquo capiunt; melancholicis quoque constitutionibus frequentior est. Nec memini, in authoribus alijs, de hoc affectu tanquam incognito, fieri mentionem.

Quomodo Dæmon se huic morbo immiscere possit.

Quod si sceleratos & malitiosos, morbus iste occupet homines, aut illos qui à naturâ sunt infirmioris judicij, qui neque rationibus neque arte regi volunt, sed affectibus suis nimiùm cōdescendunt, ijs quoq; dæmon permissu diuino se immiscet; hinc homines & morbi refractarij, vocantur dæmoniaci, ingenia dæmoniaca, fœminæ malitiosæ, rixosæ, biliosæ, fœminæ dæmonia-

moniacæ, &c. Licet Hipp: lib: de morbo sac: & Gal: com. ad Progn. 4. lib. 1. in eâ fuerint sententiâ, nullos morbos per dæmonem mortalibus inferri. Quibus inter recentiores Pomponatius & Lemnius cap. 1. l. 2. de occult. nat. mirac. subscripserunt: quod censuerint, morbos omnes à causis naturalibus procreari. Tamen ijs aduersantur ex Theologis D. Hieron: in cap. 4. & S. Chrysostomus hom. 54. in cap. 17. Matthæi: qui etiam à dæmone morbos irrogari posse testantur, commotis & variè affectis corporis humani tùm facultatibus, tùm humoribus. Inter Medicos Vallesius cō. in lib. 1. progn. Hippocratem non aliter interpretatur, quàm morbum ex irâ Dei, vel à dæmone procedentem: cuiusmodi fuit Saulis vexatio, quod Dei imperium detrectasset. Fernel: lib. 2. de abdit: rer: caus: cap. 16. recitat historiam nobilis juuenis, grauissimis conuulsionibus à dæmone concussi, quem Medici multis pharmacis frustrà diu excruciarant. Heurnius, cap. 12. de morb. capitis; narrat quendam maniacum simul à dæmone fuisse vexatum, qui tandem amens conuulsionibus interijt. Quibus Medicorum exemplis, accedunt scripturæ sacræ testimonia,

solis

ſolis ethnicis & atheis repudianda: quæ morbos dæmoni, tanquam cauſæ efficienti, attribuunt. Apud D. Lucam cap. 8. quidam dæmoniacus domi contineri non poterat, ſed per loca deſerta lycanthropicorum more ſeſe proripiebat, & circà ſepulchra verſabatur. Mulier conuulſione ſpinæ dorſi torquebatur, Luc. 13. Quo loci dæmon ſpiritus infirmitatis appellatur. Multi apud D. Marcum cap. 9. linguæ & aurium vſu priuabantur, & miris modis cruciabantur. Quidam Matthæi 17. circà plenilunium comitiali morbo corripiebatur, quem idcircò lunaticum appellabant: quod tempus dæmon obſeruabat, tùm propter maiorem humorum copiam, & humidioris cerebri ad effectum ſuſcipiendum diſpoſitionem, tùm vt Medicis cauſam morbi in lunam refundentibus, diutiùs ægrum exerceret, & Conditorem lunæ, calumniæ exponeret. Sunt hę dæmonis verſutiæ, qui ne detegatur, tùm cauſis, tùm inſtrumentis naturalibus ad vexandum ægrum vti conſueuit.

Bifariam hominem Dæmon oppugnat.

Dæmon autem bifariàm hominem oppugnat, aut per ſe, aut per homines ſceleratos, quos ſuorum moliminum miniſtros habet prom-

promptissimos. Per se quidem, cùm vel intrò subit in corpus, quod citra vllius morbi interuentum possidet, & mirum in modum affligit: vel cum citra obsidionem forinsecùs corporis humores im̃utat, & exagitat, partes nobiles offendit, cutis meatus & vasa interiora obstruit, cerebrum offendit, phantasiam perturbat, denique totius corporis temperiem alterat, & structuram peruertit, vnde pendet morborum ilias. Quorum omnium dæmon author quidem est primarius, sed potentiam habet certis limitibus definitam, & legibus tùm diuinis, tùm naturalibus astrictam: nihil enim molitur, nisi quantũ à Deo ei permittitur. Neque ex D. Thoma part. 1. qu. 125. art. 5. operari potest, nisi mediante virtute naturali. Proinde in suis operibus semper considerat corporum aptitudinem, ad producendum effectum intensiorem. Sic procellosis tempestatibus faciliùs sese ingerit, fulmináque & tonitrua magis exacuit. In humano verò corpore, cuilibet humori perturbato promptè quidem immiscetur, sed nulli frequentiùs aut liberiùs, quàm melancholico: propter eius terrenam substantiam, atrum colorem, vaporem tenebricosum, & affectus acerbos, difficiles ac turbulentos. Vnde Cassianus in collationibus,

pabulum dæmonis vocat, eiúsque ſedem congruam eſſe teſtatur. Non diſſimili ratione, lienem foculum eiuſdem dicere poſſumus, propter craſſos & atros vapores, quos ſurſum expirat: qui turbatâ imaginatione varia deliramenta excitant, facibus dæmonum & faſcinatorum præſtigijs aptiſſima. Ex ijs ergò licet colligere, cauſarum naturalium interuentu, præſertim vaporum & humorū, multos à dæmone morbos concitari. Siquidem ab ijs cerebri ſubſtantia turbatur, opplentur eius ventriculi, ſpiritus incraſſantur, nerui obſtruuntur, & facultates animales intercipiuntur, aut deprauantur. Vnde ſurditas, cæcitas, aphonia, paralyſis, epilepſia, & omnia deliramentorum genera. Qui morbi cū naturalium ſint admodum ſimiles, non facilè dignoſci poſſunt. Tamen ex multis ſignis, quæ proponuntur à Fernelio, duo maximè ſpectanda ſunt, nempe remediorum accomodatorum vſus inutilis & irritus; propter cauſæ efficientis vel comitantis repugnantiam, & ſymptomatū inſuetorum, naturæ modum excedentium, occurſus, cum quis res occultas detegit, futuras prædicit, arduas explicat, vel idiomate peregrino effatur. Quod poſtremum, ſi non accedat cœlitus, latentis vel impliciti cum morbo dæ-

monis

monis, qui linguas omnes cum artibus callet, certum est argumentum.

Sunt tamen ex recentioribus nonnulli, qui talium operationum causam ad naturam reducunt. Inter quos Lemnius cap. 2. lib. 2. de occult. nat. mirac. scribit, mentem hominis rerum omnium insitam habere cognitionem, quæ crassâ veluti nube corporis & humorum obruatur. Accidit tamen interdum, vt in febribus æstuosis, partim humorum feruore, partim spirituum commotione, adeò exagitetur, vt vires reconditas palam exerat, & linguam priùs incognitam ab ægrotis, non secùs quàm silicis collisio, vel vinum in temulentis extundat. Quę opinio, quantis erroribus inuoluatur, facilè perspiciet, qui verè pius simul & philosophus extiterit: absurdum enim videtur, ad vires animi depromẽdas, plus energię tribuere corruptis humoribus, & vitiatis spiritibus, quàm optimæ corporis cõstitutioni; morbo, quàm sanitati; priuationi quàm habitui. Sed mirum magis est, quod tale commentum, alio errore conetur confirmare. Nam si verum esset, vt ipse ait, mentem artibus imbui ante earum vsum, nostrúmque scire nihil aliud esse, quàm reminisci; oporteret animam esse corpore antiquiorem, & alicubi exi-

Quidam supernaturalium operationum causam ad naturam reducunt.

ſtere, antequam vinculis corporis includeretur; vt Plato in Epimenide, Menone & 12. de legib: cenſuit; vel ſimul cum angelis à principio creatam fuiſſe, vt ſcripſit Origenes. Atqui falſum vtrumque eſt, nec ſolum ſacræ ſcripturæ, ſed etiam Ariſtotelis doctrinæ contrarium. Siquidem ex Philoſophô lib. 3. de anima; mens hominis; quæ ſola aduenit extrinſecus, tabulæ raſæ, in quâ nihil depictum eſt, comparatur: proinde nullam habere poteſt ſcientiam inſitam, ſed longo vſu, multóque labore eam acquirit. Quo fit, vt nihil ſit in intellectu, quod priùs in ſenſu non extiterit. Idem lib. 2. Ethic. cap. 1. docet, genus vtrumque virtutum διανοητικὸν καὶ ἠθικὸν à doctrina ortum habere, & incrementum, ideóque indigere exercitatione & tempore. Quantùm ad Origenem attinet, damnato eius errore, definitum eſt ab Eccleſiâ, vt ſcribit D. Thomas part. 1. qu. 118. art. 3. Animam à Deo creari, cùm corpori ab eodem infunditur, abſolutâ nimirum huius conformatione.

Confirmatur hæc opinio exemplis.

Sed Lemnius linguam peregrinam ab impetu ſolo morbi extorqueri probat ex eo, quod eius facultas purgantibus medicamentis adiuuatur. Ad cuius rei confirmationem, Cardanus tract. 2. lib. 2. contradict: contr: 7. recitat hiſto-

riam ſumptam ex Pomponatio lib: de incantat: de ſutoris cuiuſdam vxore, quæ cum incidiſſet in melancholiam, diuerſis linguis loquebatur. Sed eam Calceranus eius temporis Medicus famoſus, propinato elleboro, à furore ſimul liberauit, & linguarum peritiam ſuſtulit. Conciliator diff: 32. ſimilem narrat. Vti quoque Eraſmus, in Encomio Medicinę, de quodam ſpoletano talem recenſet. Quibus exemplis, licet valdè ſuſpectis, propter impreſſam authoribus notam, facilè reſponderi poteſt. Cum humore melancholico dęmonem libenter commiſceri, eiúſque ratione corpus magis affligere. Quamobrem, vacuato eiuſmodi humore vi purgantium medicamentorum, dæmon ſede ſibi congruâ deſtitutus, vel ſua ſponte cedit, vel ſaltem ſimulat, vt talibus philoſophis imponat: quibus vel ſuam naturam, vel affligendorũ hominũ modos diuerſos occultari cupit, ex Codronchio lib. 2. de morbis venef: Sic Vairus cap. 8. lib. 3. de faſcino teſtatur, dæmones per herbarum & aliarum rerum corporearum applicationem, ab humanis corporibus interdum expelli, quod eæ tetrum illum humorem ac triſtem, adhibitæ conſumant: quo conſumpto dæmones corpus ſolent relinquere. Quanquam res illæ,

Solutio ſiue reſponſio ad argumenta & exempla.

si piè ac deuotè adhibeantur, possunt in dæmones agere, tanquam diuinæ iustitiæ istrumenta, eósque ab humanis corporibus detrudere.

Morbus dæmoniacus duobus remediorum generibus expugnandus.

Ex quibus colligitur, morbum dæmoniacum duobus remediorum generibus esse oppugnandum, naturalibus & diuinis: mala nempe quæ nos premunt, ad Deum ire compellunt, inquit, sanctus & illustris Ecclesiæ Doctor & Pontifex Gregorius. Naturalia sunt, quæ causam morbi remouent, & symptomatis eius occurrunt. Cuiusmodi sunt quæ succum atrabilarium præparant & expurgant, quæ corporis intemperiem corrigunt, obstructiões liberant, dolores mitigant, somnum conciliant, & prauam qualitatem emendant. Ex quibus præcipua sunt melanagoga, balnea, antidota, alexipharmaca, & suffumigia fragrantia, quæ suo odore aduersus putorem & sorditiem multùm pollere creduntur, quorum formulas, vbi de curatione egerimus, inuenies. Sed quoniam dæmones virtute superiores, Medicorum conatus sæpè irritos reddunt, quia vel pharmacorum effectus impediunt, vel morbos fouent, & eorum causas adaugent: frustrà medicæ artis præsidia insumuntur, nisi virtus diuina in subsidium aduocetur vitæ sanctimoniâ, pijs operibus

bus

bus, crebris orationibus, eleemosynis, votis, sanctorum suffragijs, exorcismis Ecclesiasticis, rerum sacrarum applicationibus, & earum quæ ad vsum requiruntur benedictionibus: denique frequenti examine conscientiæ, & sacrâ communione, vis & maleuolentia dæmonis infringatur, eiúsque molimina & opera prorsus destruantur.

Nam Deus sui operis amantissimus, verus est author Medicinæ, & sanitatis primarius opifex, Medicus verò, tantùm eius minister. Qui si vel aliquam scientiam, vel prosperum in curandis ægris successum sibi arroganter attribuerit, primo authori facit iniuriam. Quid enim habet, quod non acceperit? & si accepit, quid gloriatur? non ergò Medico christiano inuidebit Theologus, si propter communem amborum societatem, quędam ab illo commodari postulet. Nam vtriusque idem est subiectum, homo videlicet; maioris mundi compendium, & summi illius conditoris simulachrum: idem finis, salus eiusdem. Sed Theologus ad animi potissimum, Medicus primùm ad corporis attendit sanitatem. Ita tamen, vt nec ille corporis incolumitatem, ritè obeundis animę functionibus necessariam, nec iste affectus animi negligat,

Deus primarius author Medicinæ & sanitatis.

qui

qui ſanandis corporibus remoram, vel celeritatem adferunt. Præterea idem author vtriuſque ſcientiæ Deus eſt, fons & origo bonorum omnium, qui totius hominis ſaluti ita prouidit, vt abluendis animæ ſordibus Theologum, depellendis verò corporis affectibus Medicum, tanquam miniſtrum, præfecerit: vtrumque ſuâ authoritate confirmârit, verbiſque expreſſis commendârit: multis denique dotibus ſuâ bonitate cumulârit, vt ſuum quiſque munus feliciùs perficeret. Quapropter nō ſatis mirari poſſum, magnam mortalium partem, de Medicis omnibus tàm ſiniſtrè & iniquè augurantem; vt eos ſenſum religionis exuiſſe, lutum & ſpumam impietatis ebibiſſe, & ſuccum omnem depoſuiſſe virtutum, temerè profiteantur. Quaſi verò ij, qui naturam quotidiè perſcrutantur, naturæ Deum & parentem non agnoſcerent? non viderent rerum Architectum, qui effectus rerum in lapidum & ſtirpium naturis deliteſcentes inueſtigant? non admirarentur aſtrorum Conditorem, qui aſtrorum coruſcationes, congreſſus, reuolutiones, occultationes, ortus & occaſus quotidiè ſuſpiciunt? O improbam noſtri ſeculi contumeliam!

Calumnia mortaliū de Medicis.

INTER-


AER
TEMPERATVS
LÆTA
MODERATA
LABOR
MODICVS CIBVS
TENVIS POTVS
PILÆLVSVS
VENATIO
EQVITATIO
IACVLATIO
DIÆTA



INTERPRETATIO

Primi huius Emblematis.



ONSISTIT Diæta *in obseruatione sex rerum non naturalium, à Medicis ita dictarum, vt in* Aëre. Cibo & Potu. Somno & Vigilijs. Motu & Quiete. Excretione & Retentione. Animi affectibus. *Ideò verò non naturales causæ appellantur, quia pro diuersa administratione, & vsu, vel optimum corporis statum retinent, vel vitiosum emendant, vel deteriorem inuehunt. Quæ in compendio in primo hoc Emblemate, sub nomine Diætæ proponuntur, repræsentando per mensam cibis instructam, modicum cibum; per Pincernam vinum infundentem, tenuem potum. Aërem temperatum esse debere, monent duo pusiones alati, vnus auiculam, alter rotulam pneumaticam manu tenens. Moderamen in lætis, necessitatem in exercitijs, motu & quiete, vnde somnus naturalis & bonus, vigiliæ quoque, excretiones & retentiones, quantùm ad sanitatem conseruandam, & morbos pellendos requiruntur, consequentes, demonstrant primò, labor ad focum cibos coquens, secun-*

dò, musicorum chorus, accumbentium animos exhilarans, tertiò, venator feras insequens, quartò, sphæromachus, per pilæ lusum corpora exercens: quibus non excluditur, iaculandi & equitandi exercitium, tanquam minus violentum. Affectus denique animi, qui non solum in corpora nostra, aut illa labefactando, aut omninò destruendo, magnam exercent tyrannidem, sed animæ quoque lethum adferunt: per septem peccata mortalia, de nouo Saluatorem nostrum, sub humanâ specie, tanquam agnum inter medios lupos sedentem, excarnificantia & tormentantia, significantur: nam quis ignorat, per iram, inuidiam, ambitionem, auaritiam, intemperantiam, venerem, & desidiam (præsertim cum frenum monstris his infrenibus laxatur) non tàm corpori, quàm animæ, extremam introduci perniciem. Vnde liber hic

Plurima cum miseris noceant mortalibus, aptè
Quæ prosint, vel quæ sint nocitura, docet.
Quid somni, aut vigiles minuentes corpora curæ,
Tristitia, ira, dolor, sollicitudo, metus,
Quidque cibus, potusque; & aër, motusque quiesque,
Quid plenum valeat, vel quid inane iuuet.
Neu dubites, sperata salus contingent in annos,
Viuere quos sanos pagina versa docet.

CAPVT XII.

De Curatione Affectionis Hypochondriacæ, & primò per Diætam, qualis in illa Aër sit obseruandus & eligendus.

PRo curatione itaque huius mali, quantumuis optandum esset talibus remedijs instructum esse, quæ vniuersim omnibus partibus malè affectis succurrere, & totum restituere hominem possent, ad modum circumforaneorum aut agyrtarum, quod genus hominum ad ludibrium artis natum est, ab Anglis & Italis quoque Mountinbanci, à Gallis verò Charlatani aut Cæretani vocantur: simiæ enim Medicorum sunt agyrtæ, circumforanei, cingari, idiotæ, & mulierculrum malagmata componentium, curiosa imò absurda sagacitas, & in monstris licebit numerare atheos atq; judæos. Hi omnes Medicinam, hoc est, Terrarum decus & Reipublicæ columen, vel inscitiâ corrumpunt, vel impietate infamant, digni proinde, qui sicut alieni nominis atque honoris raptores; victimarum ritu, ad Tumulum Galeni mactentur; Medicis, quemadmodum simiæ,

Circumforaneorum orationes ad populũ circumstãtem.

miæ ægris leonibus, obiecti; vti celebratissimus Poëta Jacobus Balde, in sua Medicinæ gloria per satyras asserta, doctissimè disserit. Qui vt coronam faciant, vasarijs suis mira inscribunt, tanquam si insint panchresti, ipsi Æsculapio, nedum Galeno, aut Theophrasto ignorati: eadem deinde, stipati plebe, garrula quadam festiuitate exaggerant, felices prædicantes populos, quibus se Chironem vidisse & experiri contigit, natum ad salutem orbis Christiani; hortantur mox iteratò, magnis vociferationibus contestati, ne suæ saluti desint, dum res & tempus sinunt, emant medicamenta adeò salutaria, ne serò pœniteat tenacitatis & negligentiæ, quandò, si possint, incineratum jam exhument, salutis monitorem suspirantes. Se cælites omnes contestari, & omnem religionem in spectatorum conscientiâ deponere, indemnitati ante tribunal summi judicis cauere, adfuisse multis populis, parasse medicamenta, & publicè in plateis, compitis & foris proposuisse, quibus pro vitâ ciuium diutissimè, pro incolumitate reipublicæ perpetuum seruandæ, nihil fuerit medicamentosiùs: ab ipsis fuisse, quò minus hæc salus steterit, qui obolo pepercissent. Ita isti præstigia-

giatores marſupia ſimplicium emungunt, interea vix olitoriam dignè exercentes. Et mirum eſt, cum plurimi in Medicorum electione admodum cauti ſint, vt ſi Medicus quiſpiam alicubi ſedem fixerit, non niſi poſt longum tempus ipſi ſeſe credere audeant, accedenti tamen Mountinbanco per aliquot hebdomades cõmoraturo, ſtatim confidunt, & quod communiter obſeruatur, infimæ notæ viri, qui paupertatem ſuam, & rei familiaris tenuitatem medicis obijciunt, pecuniæ interdum ſatis magnam quantitatem iſtis agyrtis obtrudunt. Haud melioris farinæ ſunt Paracelſiſtæ & Empirici, qui per *Lapidem* aliquem *Philoſophorum* & Vniuerſale medicamentum aliquod fictitium magis quàm factitium, neſcio quanta miracula promittunt: dicunt enim, triplici veſte eundem ornatum eſſe, diuitiarum, charitatis, & releuationis ab omni languore: quandò friuolè & mirâ quâdam procacitate contendunt, artem in naturâ conſiſtere, quâ juuentus æternum florida conſeruari, mortalitatis caſus euitari, vita (etiam vltra definitum terminum) produci, nec nõ humidũ primogenium, eius bonitatis, cuius id erat, quod continuo ſubſtantiæ tranſpiratu pe-

Paracelſiſtarum & Empiricorum Vniuerſale, ſiue Lapis philoſophicus.

rijt, viciſſim infundi poſſit. Dici Diuinum Myſterium à Deo datum (quod in eo contineatur omne ſecretum) quo in mundo non res ſit ſublimior. Hos adeò lactat mellita ſpes, vt neque laborum, neque impenſarum vnquam pigeat, miróque ingenio ſemper aliquid excogitant, quo ſeſe denuò fallant, ſibíque ipſis gratam faciant impoſturam, donec abſumptis omnibus, non ſit quo jam fornaculam inſtruant. Quorũ Principium, verè nihil eſt ſcire, Medium, ſplendidè mentiri, Finis, mendicatum ire, & tandem vitam in miſerijs finire: de quibus benè dicitur.

Dum lapidem quæris Lulli, quem quærere nulli.
Profuit, haud Lullus, ſed mihi nullus eris.

Non deſinunt tamen jucunda ſomniare ſomnia, cæteros pro viribus ad eandem felicitatem animantes. Cúmque jam prorsùs omni ſpe deſtituuntur, ſupereſt tamen vna ſententia, abunde magnum ſolatium; *in magnis & voluiſſe ſat eſt.* Ac tum vitæ breuitatem incuſant, vt quæ magnitudini negotij non ſuffecerit. Veram autem vniuerſalem medicinam non dari, contra pſeudochymicos, cum Angelo Sala in tract. de varijs chymicorum erroribus, ſequentibus demonſtro rationibus. Etenim Deus O. M. vniuerſi

uersi sapientissimus Creator, quælibet creata suis certis attributis, & specificis proprietatibus insigniuit, & peculiari suâ virtute exornauit: ex quibus apparet, Deum in mundo nihil frustrà extare voluisse. Quod si verò vni corpori, vniuersalis medicinæ virtus fuisset indita, nonne sequeretur, reliqua inutiliter, & frustrà existere, & in finem inanem ab eo procreata fuisse? Hoc autem absit, vt credamus. Quot sunt herbæ, quot animalia, quæ specificâ & occultâ virtute contrà certos morbos, etiam venenatissimos, potentissimè agunt, contrà quos nec aurum potabile, nec tinctura auri, nec magisteria gemmarum, aliquid præstare possunt. Ad hæc, si quotidianam quoque experientiam consulere velimus, comperiemus, quod varij Principes, & Magnates mundi, podagrâ, alijsque sæuis, infirmitatibus laborantes, auro, & argento non parcerent, si modò tantæ efficaciæ reperiretur medicamentum. Hinc elucet, quantum pseudochymici Vniuersali suo sophistico præstent, atque proficiant. Verùm, his sufficit, aurum nosse corradere, & suffurari, vtcunque jam arroganter sibi Dei dona vsurpent, & sanitatem hominibus polliceantur. At dolendum est etiam,

am, viros probos & ſimplices, ſæpè deludi, & falli, quos maximè optarim perpendere, quòd ipſa duntaxat medicinæ præparatio, hominis ſit opus, ſanitatis autem reſtitutio, & benedictio, opus ſolius DEI. Porrò, tales impoſtores etiam ex methodo, quâ vtuntur, apertiſſimâ poſſumus cognitione dignoſcere. Nam ecce aliud non norunt, quàm quid pro quo, & illud quidem malè præparatum adminiſtrare. Vnde non mirum, ſi multis tot importent damna, & exitiabiles inferant ruinas, vt quibus non vereantur vendere, & exhibere, ſal armoniacum tinctum, aut ſal aliud, loco ſacchari auri; aquam vitæ tinctam, pro aqua auri; & nonnulli meram ſolutionem auri cum aqua regis, pro oleo auri, & id genus alia perpetrare. Quandoquidem ergò huius Elixyris vitæ Patronus, & cum illo multi alij Magiſtri longæuitatis, ſuam inſcitiam prodentes, paulò poſt in annis clymactericis, inter viuos eſſe deſierint, conatúſque illorum æquè ſapuerint, ac ſi quis cum Nicodemo in matrem reuerti, denuò carnaliter renaſci, & pigmæo ſpithamam addere, & luxatas & putridas coſtas reſtituere adnitteretur; ideò meritò vanitas iſta ac inſania reijcienda quantùm

ad ista arcana, missisq; Trismegisti & Paracelsi super hoc Vniuersale asseclis, Hippocratis alumnis adhærendum, qui myrachialis affectus curationem, ex triplici fonte hauriunt, ex *Diatâ* nimirum, *Cheirurgiâ*, & *Pharmaciâ*. Nec curandum illud edictum durum, quod Montanus pronunciauit contra Medicos, qui morbo hoc, eos fugere, & medicinas jubet. Opprobrium itaque est Medicorum, vtpote qui præposterè curant, & ægro exitio sunt. Medicus verò id vnum demum rectè agit, quod verè rectéque cognoscit, & ij morbi qui in difficili cognitione versantur, plerí que difficulter curantur.

Hippocratis cura huius affectus ex triplici fonte desumitur.

Diæta igitur ad morborum è corpore humano eiectionem & propulsionem, sanitatísque & vitæ conseruationem & propagationem, maximum est fundamentum. Quod Gal: in lib. de tuend: sanit: confirmat. Rariùs, inquit, ij ęgrotabunt congruo vtentes regimine, & quę oportet, facientes. Idem, in lib: de euchymiâ. Quod nullus ægrotabit debitè diętatus & exercitatus, &c. Et iterum, com: in regim: sanitatis, innuit eum (qui vult longæuus esse & sanus) oportere viuere sibi soli, & ab omni necessariâ operatione liberum esse. Ex quo initio patet, Ga-

Diata fundamentū curationis morborū.

S lenum

lenum ad longæuitatem non habilitare intemperantes, occupatos, aut ignorantes; ſed eos tantùm, qui prælegerunt viuere pro rationis imperio, & eos duntaxat, quibus ſanitas curæ eſt, & vitam viuere poſſunt quietam: experientiâ ſiquidem comprobatum eſt, maximam partem hominum fatalem vitæ terminum neutiquam attingere. Ideò vnanimis Medicorum Dogmaticorum ſententia eſt, quod, per vitæ temperantiam, morborum cauſas cauere, eáſque, vbi adſunt, tempeſtiuè remouere, comodóque nutrimento, ſubſtantiam, in continuo fluore conſtitutam, reficere, non ſit difficilè: qui enim temperanter viuit, ſuperflua non cumulat excrementa, cumulata tempeſtiuè euacuat, morbificas cauſas remouet, ſubſtantię defluxum reſarcit; nouum vtique non acquirit vitæ terminum; nec is qui à morbo liberatur, nouum inchoat vitæ principium, nec noua vitæ fundamenta acquirit; ſed ad vſum longiorem ſaluatur, vt remotis impedimentis quàm proximè ad terminum, ex naturę primordijs deſtinatum, accedere, illúmque conſequi valeat. Pari ratione & ipſe Medicus, qui vitæ fundamenta à violentâ morte accidentaliter ſubuerti & abo-

leri prohibuit, non annos alios adiecit, ſed id tantùm egit, ne accidentalis vitæ terminus inijceretur: violentum námque vitæ terminum arcendo, naturalem aſſequimur. Conſiſtit autem Diæta in ſex Rebus non Naturalibus, vt in *Aëre. Cibo* & *Potu. Exercitio* & *Quiete. Somno* & *Vigilijs. Repletione* & *Inanitione. Animi Affectionibus.* Quæ omnia, quâ ratione in hoc myrachiali affectione ſint obſeruanda, ex ſequentibus percipietur.

Diæta conſiſtit in ſex rebus non naturalibus.

Aër itaque, cuius perpetuâ inſpiratione ne ad momentum quidem carere poſſumus, fortiúſque corpus noſtrum alterat, omni aliâ re nō naturali, vt atteſtante Hipp: in lib. de aëre, aquis & locis, ſit purus, ab omni inquinamento liber, & temperatus. Contemperatio caloris natiui, fit per attractionem aëris, & eius depuratio, per eius expulſionem; quod ſi corruptum & fœtidum inſpiramus, tunc calorem & ſpiritum innatum corrumpimus. Non parum ob id intereſt, qualis is ſit aër, quem ſubinde per os & nares, inuiti etiam, haurimus & attrahimus; aut qualis ille ſit, qui corpus noſtrum ambit & alterat. Nam ſubſtantia multâ exhalatione terrarum, aquarum, cadauerum, aliorúmque putre-

Qualis, Aër obſeruandus in affectu hypochōariaco.

 ſcen-

ſcentium inquinatur, peſtilentiæ ſeminibus vel in ſe genitis, vel cœlitus im̃iſſis polluitur. Qualitatum intemperies calidior, frigidior, humidior, aut ſiccior, ſiue à regione, ſiue à ſitu, ſiue ab anni tempore, ſiue à cœli ſtatu talis exiſtat, ſpiritus, humores, ipſúmque corpus immutat. Pro hypochondriaci itáque affectus curatione, optimus aër erit, qualitatibus primis temperatus, & ille præſertim qui ſecundùm Razouium de ſanit: tuend: fol: 14. vnicuique eſt natiuus: nam vniuſcuiuſque locus naturalis, vt Philoſophus inquit, ſui eſt locati conſeruatiuus: præterea purus, ſerenus, patens, nullis inquinamentis obſitus, vel putredinis corruptelâ fœdatus, vel fuligine perfuſus, difflatus leuibus ventis maximè ſeptentrionalibus aut orientalibus; leuibus dico, (nimij enim ventus pulmoni, reliquíſque ſenſorijs obſunt) irrigatus interdum ſalubribus pluuijs: nam ex eiuſmodi ſalubriori afflatu, corporis non tantùm vires melioreſcunt, ſed & animi quoque vigor intenditur. Illorum autem vitioſus mos nequaquam probatur, qui aëre ſereno, puro ac tranquillo, vix rimam in ædibus ſuis patere volunt, ſed tanquam in cryptis & ſpecubus carcere concluſi, aërem vix vnquam

mo-

motum, aut ſordibus alijs ex negligentiâ inquinatum attrahunt. Ille enim aër damnatur, qui craſſus, nubilus, pluuioſus, aquoſus, aliquando ex locorum ſtagnis, paludibus, mortuis & infectis aquis deprauatur, aut etiam cloacis, gurgitibus, & putidis exhalationibus è terrâ ſurgentibus, nec non animalium cadaueribus, alijſque id genus corruptionibus inquinatur: vnde hominum habitationes infici poſſunt, vt ibidem citrà valetudinis detrimentum hærere non liceat. Aſt vbi ædes lucidæ & excelſæ, aëri ſereno, claro, puro, & malignis omnibus carenti, extrà ſolum ſquallidum, muſcoſum, ſordidum expoſitæ fuerint, ibi vita diu conſeruatur, ac eiuſmodi ædificia quærenda ſunt. In æſtuoſis locis feneſtræ ſpectare debent ſeptentrionem, in frigidis meridiem, in temperatis exortum æquinoctialem. Nunquam ſe committat cœlo nubilo, pruinoſo, neque ante matutinum Phœbum conſideat, ambulétue in ripis, oríſque fluminum, amnium, lacuum, aut foſſarum ſæuam memphitim eructantium.

Prudentiſſimè autem agere videbitur, ſi, quod ad artificialem aëris vſurpationem attinet, ad ſequentia quinque notatu digna animũ aduer- *Quinque regulæ ad aëris artificialem.*

vsurpationem obseruanda. aduertere non grauetur. Et quidem Primò. Vt mansiones, seu habitaculum & dormitorium, orientalem plagam versùs, & Aquilonem dirigat. Ad Orientem quidem, vt sol exoriens ipsam habitationem aggredi, aërem mundare & illustrare, & vitiatos vapores discutere valeat. Secundò. Vt matutinis horis, aërem immoderatum & inclusum rectificet, accenso igniculo lucido in camerâ, cum lignis Iuniperi, Vitis, Lauri, Rorismarini, &c. Aut eundem corrigat suauissimo aliquo suffitu, ex Thure, Storace, Benzoi, Gallia Moschata, Moscho, & alijs odoramentis pro fumo concinnari solitis. Tertiò. Vt secundùm Auicennæ consilium, & secundùm Rhazem ad Almansorem, subindè rebus odoriferis, nares, caput, & faciem, inficiat: morbidi enim, inquit, semper aliquid benè redolens odorare debent, & suffumigijs vti: odores enim & suffitus oblectant, implent, & confortant spiritus tàm animales, quàm vitales, & aërem rectificant. Consultum igitur foret, assiduè secum gestare linimentum vel balsamum aliquod suauissimum antapoplecticum, & cordiale, ex opobalsamo, moscho orientali, ambrâ gryseâ, zibeto, oleis pretiosis, & balsamis odora-

tis apparatum, quo per interualla, horis maximè matutinis, ſutura coronalis, occiput, tempora, nares, labia, præcordia, pulſus arteriarum, &c. modicè poſſent illiniri. Aut ſi tantùm præſtans aliquod Pomum Ambrę manibus verſaretur, frequenter odorandum. Quartò, vt brumali tempore, hypocauſtum non nimio igne incaleſcat, ſed calore tantùm æſtatem referat: excedens enim, & nimia hypocauſti caliditas, corpus & ſpiritus (ſi quid aliud) quàm maximè reſoluit, ſomnolentiam, inappetentiam, catarrhos, apoplexiam, anginam, & alia huius generis grauia mala, accelerat. Sed ſit, vt idipſum Galenus ſuadet, hæc in aëre mediocritas, vt nec horreat propter frigus, nec ſudet propter æſtum. Quintò. Vt aërem vitet frigidum, nubilum, ventoſum, pluuioſum, & paludum & cloacarum halitu infectum: talis enim ingenium hebetat, ſpiritus obnubilat, conſtringit, cordi obeſt, & calorem natiuum extinguit manifeſtè. Cúmque à frigore facilè quis lædatur, ideóque commodum fuerit, non tàm thoracis & pectorales partes ab iniurijs externis munire, ſed inprimis caput in ſomno cooperire biretis ſcarlatinis: vapores enim noctu ad caput eleuati ipſum

psum infrigidant, & in cerebro in naturam aqueam conuersi, reumatismum accelerant. Quodsi pileolus ex odoratis gestari posset, vtique pro cerebro vigorando esset & præstantissimum, & simul cerebri humiditates consummeret.

CAPVT XIII.

De Cibo & modo Cibationis, Potúque in morbo hoc conueniente.

De Cibo & cibatione in melancholiâ hypochondriacâ.

Aëris in hoc affectu necessitate & temperaturâ explicatâ, ad *Cibum* & *Potum* procedamus: quod enim assiduè è corpore nostro effluit, illud aut est substantia ignea, aut sicca, aut humida. Ignea per aërem; sicca per cibum; humida per potum restituitur, reficitur, & restauratur. Quotidiè namque, vti prudentissimè de morte refert Seneca, morimur: quotidiè enim demitur aliqua pars vitę, & nunc quoque, cum crescimus, vita decrescit, & hunc ipsum quem agimus diem, cum morte comutamus: maiorem etiam mortalium partem cibo perire scribit Plinius, quod res cibaria ignoretur, intempestiuè quoque & nimis multum assumatur.

tur. Quotuſquiſque enim perſæpè in culinâ ſportulam parat, & menſam lautitijs, & dapibus onerat ſuperbis: ex patinâ tamen inopinatæ & immaturæ mortis ingerit principia. Vti Stigelius Poëta.

Corporis ignarus mortem inter prandia ſumit,
Qui benè ſe nouit ſanior eſſe poteſt.

Nocumentum enim ex vitiato cibo, docet Auicennas, etſi per ſingulos dies non ſentiatur, propter prauitatem tamen, quod congregatur ex ipſis, tempore multo fit manifeſtum. Promptiùs itaque pro malo bonum, pro morbifico ſalutare, & pro veneno notabili, alimentum, vt ſanitati conſuletur, apprehendendum.

Seruanda autem victûs ratio in myrachiali hoc affectu illa eſt, quæ moderatè refrigeret & humectet: nam ſi vllo alio in morbo eâ exquiſitâ & accuratâ opus eſt, in hoc morbo maximè neceſſaria eſt: cùm à diætæ erroribus originem habeat, & foueatur, ac ſine eâ parum medicamenta proſint: ſi verò accurata inſtituatur, non parum ad hunc morbum expugnandum momenti habeat. Cibi autem ſint boni ſucci, facilis coctionis, temperati, non calidi, non ſicci, non viſcidi, lenti, craſſi, non acres, qui intempe- *Victus ratio moderatè refrigeret & humectet.*

riem viſcerum augere, humores ampliùs adurere, & meatus obſtruere poſſint. Notum eſt, & vero verius, veterum Philoſophorum axioma. Nutrimur, quibus conſtamus. Iam verò, quicquid hominis causâ de terrâ creauit Dominus, quódque nutrire homines ſolet, illud aut eſt Piſcis, aut Caro, aut Fructus. Piſces itaque, vti & omnia conchilia & cruſtacea, tùm fluuiatiles, tùm marini, cuiuſcunque tandem ſint generis; paucis quidem exceptis: ſiue jam elixi, frixi, ſiccati, effumati, aut conditi quouis modo, illi menſis hypochondriacorum appōantur, quorum omnium vberrima vbiuis eſt copia & diuerſitas, melancholicorum non grata cibaria, ſed dulcia potiùs venena ſunt. Cùm omnia etenim hæc aquatilia, de ſubſtantiæ proprietate & naturâ, frigida ſunt, difficilis digeſtionis, multo calore indigent, ventriculum requirunt validum, humanum corpus multis viſcoſis aquoſis & mucilaginoſis replent humoribus: nutrimētum enim ſequitur naturam nutrientis, ex aquoſis aquoſum, ex terreſtri terreſtre. Itaque Carpiones, Tinca, Cyprinus, Muſtella fluuiatilis, Truttapiſcinaria, Naſus, Barbo, Anguilla, Lampreta, Cochleæ, Cancri, Limaces, Teſtudines,

Piſces non conueniũt hypochondriacis.

Piſces ſũmè nociui.

nes, Ranæ: pisces duri, maritimi plerique, inprimis exiccati, vt & alij sale conditi, vel fumo indurati, vt Asellus, Passer, Ostrea, Chamæ leues, longæ, &c. summè nocent. Minùs tamen nocent ex marinis, Sarda, Halec, Scombrus, Aurata: qui tamen, cùm omnes non nisi benè saliti, ad nos ferantur, priusquam in cibum admittuntur, benè edulcorari debent: nam sal cùm densandi, constringendi, & coagulandi vim habeat, facit, vt humores in hypochondrijs faciliùs cumulentur & detineantur. Ex fluuiatilibus admittendi, Funduli, Lucij, Percæ, Trutta salmonata, Trutta trusilis, parui Salmões, Thymallus: hi namque carnem habent alimentosam & suauem.

Sal.

Pisces minus nociui.

Alterum ex alimentosis, quod gelidos & limosos pisces sequitur, caro est, tàm quadrupedum quàm volucrum, tàm domesticorum quàm syluestrium. Conueniunt autem carnes vituli lactantis & per duos menses à natiuitate distantis. Capretina viginti dierum. Agni non lactantis. Castratina non macra. Bubula saltem junior & tenera, non pinguis aut frixa. Cuniculorum. Porcellorum recentium. Linguæ bubulæ. Vbera vaccarum juuencularum. Gal-

Quales carnes admittendæ.

linarum. Caponum. Gallorum indianorum. Pipionum. Turturum. Perdicum. Rusticularum. Turdorum. Merularum. Alaudarum. Fringillarum. Carduelis & cæterarum nemoralium auicularum varij generis. Nocent verò, carnes Porcinæ syluestres & domesticæ, Hircinæ, Caprinæ, Bubulæ vetustiores, Ceruinæ, Leporinæ, Anatum, Anserum, Columbarum, Pauonum, Sturnorum. Nocet quoque omnis caro salita, effumata & aceto condita: acetum enim humorem melancholicum fermentat & exaltat, & sal densat, constringit, & coagulat, vt suprà dictum est. Pedes quoque & viscera animalium in vsum non veniant; vti vitulorum capita, medullæ, pulmones, epata, corda, lienes, ventres & intestina, vngues, &c. Ad quem etiam censum referuntur composita, & arte coquinariâ cum & sine sumptu confecta edulia: vti caro in pastillis: bellaria ex farinâ & pastâ farinaceâ: panes crustacei, & alia liborum & placentorum genera: quæ & ipsa hypochondriacis huius gratiâ non competunt, quod longiùs in stomacho morentur, obstructiones causent, & suâ viscositate miris modis officiant.

Nocinæ carnes.

Acetum.

Nocent edulia ex pasta farinacea confecta.

Horrei

Horrei fructus, tertium sunt ex ijs, quæ nutriunt, quo nomine tamen tàm herbarum quàm arborum, semina & radices subintelligo. Sunt autem admittendi Spinacia, Cauli de fior, Napi, Naoni, Pastinaca, Oliuæ, Cappares, sine aceto tamen & sale. Asparagi, Lupuli, Caricę siccæ, Ficus recentes, Mespila, Pistacia, Pineæ, Amygdalæ, Zybeba Cypria, Vuæ pensiles, Poma granata, Poma citria, Aurantia, Limonia, Cydonia cocta & condita, Pruna vngarica. Ex leguminibus, Hordeum orbiculatū, Oriza, Ciceres, Gramen mannæ Himmelthaw / Auena decorticata Haberkoren / Amylum Krafftmel / &c. è Plantis. Cichoreum, Endiuia, Petroselinum. Reliqua ferè omnia cum sint frigida & cruda, ventriculum grauent, calorem innatum destruant, parum sanguinis generent, tormina & flatus turbulentos excitent ventris, & alia innumera inducant symptomata, tanquam summè nociua reijcienda sunt. Qualia sunt Fraga, Cerasa, Pruna nostratia, Pyra, Poma, Nuces, Castaneæ, Melones, Pepones, Citrulli, Cucumeres, Caules, Rapæ, Brassica præsertim muriâ condita, Lactuca, Milium, Panicum, Lentes, Pisa, Phaseoli, Fabæ, &c.

Horrei fructus admittendi.

Non admittendi.

Quantumuis autem sanitatem nemo sit qui

Quomodo in cibatione consuetudini indulgendū.

sedulò non inquirat & desideret: quorundam tamen appetitum, pro gulæ concupiscentiâ, tàm sæpè deprauatum cernimus, vt hisce enarratis frigidis, glutinosis, crudis, & excrementitijs cibis inhiare, imò cum eis mori potiùs malint, quàm salubriorum delectum instituere; tam nos

Nitimur in vetitum semper cupimúsque negata.

Non pauci, vt errorem & abusum pallient, culpâ ob id vacare existimant, quòd talibus ab ineunte ætate assuefacti sint, nec huc vsque minimam noxam ex ijs persenserint. Alij verò consuetudinem illis in alteram naturam versam arbitrantur, quòd prouerbialis sit Medicorum sententia, quâ dicitur, *Quod sapit, & nutrit: Ab assuetis non fit passio, &c.* Sinistrè autem, & non sine magnâ sanitatis jacturâ hæc sibi vendicasse, ex ijs manifestum est. Quod si itaque ex praui succi cibis, quidpiam à Medicis, ob consuetudinem, ex conniuentiâ, vt palato satisfiat, conceditur, tunc illud non communiter, hypochondriacis & malè constitutis, indultum subintelligitur: dubium enim nullum est, omnia quæ tales perperam ingerunt, indigesta, cruda, & inconcocta in ventriculis eorum persistere, non

secùs

ſecùs ac cruda manere ſolent iſta, quæ ollæ illi inſunt, cui coquus ignem ſubtraxit incogitantiùs. Nec obſtat, quòd ipſe Galenus in ſanitatis regimine aliquid dandum eſſe conſuetudini aſſerit, quandò dicit. Quilibet meliùs concoquit quod appetit, quàm quod nō appetit: quęcunq; enim cum voluptate aſſumuntur, iſta ventriculus amplexatur, & faciliùs concoquit. Et Auicennas Fen 3. pari ratione docens. Nutriens melius eſt quod meliùs ſapit, quoniam ventriculus & eius retentrix facultas, vehementiùs talem cibum amplectitur. Locis námque citatis, non de ordinariâ ægrorum & præcipuè hypochondriacorum diætâ ſermo eſt; ſed de aſſuetis & conualeſcentibus, qui fortaſſis ob morbi longinquitatem, appetitum ad conuenientes cibos amiſerunt, & ab omnibus alijs vehementer abhorrent. Quibus vtique ſatiùs eſt (ſi inter duo mala minus eligendum) aliquid, quamuis noxij, concedere, quàm, vt fame pereant, permittere. His itaque cibi ij exhibendi, quos optimè tolerare, concoquere, & citrà vllam moleſtiam diſtribuere animaduertimus. Neque enim tàm refert, quàm boni cibi exhibeantur, quàm quā benè coquantur: ſiquidem cibi etiam boni, ſi

non

non benè coquantur in ventriculo, plùs nocent, quàm deteriores, si benè coquantur. Quā in re inprimis ad ventriculum respiciendum, qui in omnibus hâc affectione laborantibus non semper eodem modo sese habet, & ob vitiosum, quo nutritur, alimentum, nonnullos cibos sæpè peculiariter auersatur. Ideóque non semper commodiores sunt cibi tenuiores, & qui facilè alterantur; cùm in ijs, quibus cruditas nidorosa familiaris est, tales cibi facilè corrumpantur, qui propterea ijs non sunt exhibendi; sicut contra ijs, qui cruditati acidæ sunt obnoxij, cibi frigidi non conueniunt.

Quid hypochōdriacis in assū ptione ciborum obseruandū.

Quod si verò absolutè id semper ad sanitatem faceret, quod vbiuis meliùs sapit, Diætâ nil amplius, sed nouo hoc canone opus esset. *EDE, BIBE, quod sapit.* Hypochondriaci itaque, quibus sanitas & vita curæ est, qui medicè potiùs, quàm immodicè viuere prælegerunt, qui perpetuis cruditatibus nō grauari, qui flatibus continuis non diuexari, qui frequentiùs infirmari non cogitant, in id pro virili ordinariè & communiter incumbere debent, vt cibos eligant facilis digestionis, qui citò benè & multum nutriant, qui bonum & laudabilem generent sangui-

guinem, qui in ventriculo nimis non remorentur, & totum denique corpus morbidum opportunissimè restaurent. Nam secundùm Galeni mentem: cibo nullâ aliâ de causâ indigemus, nisi vt alamus corpus: nutriet autem, si benè fuerit concoctus: concoquetur benè, si modicus: qui enim nimius est, hunc crudum manere non ignoramus.

Iuscula gallorum & gallinarum, carnis bubulæ, mediocri tamen quantitate sumpta, cùm æstum hypochondriorum temperare possint, nō improbantur: nimiâ verò quātitate sumpta, fluctuationem pariunt. Præstantissimum eduliorum, omnium Medicorum applausu est, Ptisana: de quâ Galenus (qui peculiarem tractatum de eius conscripsit laudibus) hæc recitat. Ptisana hordei benè cocta, est optimum edulium, & inculpatissimum omnium eduliorum ad euchymiam & sanitatem. Sed ne vllum quidem alterum datur inuentu, quod, siue vt medicamentum, siue tanquàm nutrimentum exhibeatur, huic sit compos: námque blandi saporis est, & nullam habens insuauitatem; citò digeritur, & facilè egeritur; arcet & abigit sitim ob lentorem; modicè nutrit & humectat; nusquam

Iuscula gallorum & gallinarum.

Ptisana præstantissimum eduliorum.

quam per angustos hæret meatus, sed ipsos permeat; putridos succos detergit, semiputres concoquit, &c. Debet autem fieri ex hordeo decorticato, non integro, sed confracto, neque coqui cum aquâ simplici, sed cum optimo gallinarum nigricantium jure, asperso parùm piperis & zingiberis puluere: sic námque propter chyli substantię similitudinem benè faciet. Carnis vicem gerunt, & post ptisanam, primas in nutriendo tenent oua recentia, tremula, gallinarum juuencularum. Quod Gal. in lib. de Euchymia & 3. de alim: insuper Auicennas 2 canon. cap. de ouis confirmant; ideò hypochondriacis admittenda. Quò autem ouum est recentius, eo melius. Totum ouum tamen non assumendum: albumen enim ægrè concoquitur, viscosum proinde est & frigidum. Existimatur ouum quod vnius horæ ætatem habet, tantum sanguinis generare, quantum mole suâ pendet idipsum. Quàm salubria autem hypochondriacis oua sunt tremula, tàm econtrariò noxia ijsdem sunt dura assata, vel quouis modo in sartagine frixa: nutrimenti enim crassi sunt, ad caput euaporant, facilè in ventriculo corrumpuntur, &c. A lacte & lacticinijs quàm

Oua gallinarum, recentia & tremula.

maxi-

maximè abstineat, quod lac propter calorem viscerum statim efferuescat, pars vnctuosa & pinguis in bilem vertatur, serosum & caseale humores crassos & pituitosos generet, atque ita tota substantia corrumpatur, humorésque adusti inde generentur. Aromatum quoque vsus moderatus sit. *Lac & lacticinia.* *Aromatum vsu.*

Panis, secundùm Gal: alim: 10. ferè basis est & fundamentum totius cibationis. Qui hypochondriacis quadrat, debet esse de puriori parte farinæ triticeæ, quam similam vocant, factus. Non ex siligine: is enim acidior est, & mediocre alimentum præbet. Sit autem benè salitus & fermentatus, duorum dierum ætatem habens: qui enim nimis recens est, in eandem pastam, qualis, antequam pinsaretur, fuit, in languidis hypochondriacorum stomachis redigitur, meatus obstruit, & flatus generat. Quò minùs autem inflet, concinnari debet cum anisi, fœniculi, vel coriandri præparati seminibus. *Panis qualis conueniat hypochondriacis.*

Cæterùm, in horum omnium & similium rectà administratione, sequentes regulæ probè obseruandæ. *Regulæ duodecim Cibationis rectè administrandæ.*

I. Quæ hactenùs de electione tot salubriũ ciborum fusiùs dicta sunt, non eò tamen spe-

ctant, quod omnibus, præſertim verò myrachiali affectu detentis, quibus Fatorum Collator Omnipotens, opiparam menſam decreuit, ob id liberum ſit, tot & tam variegatos cibos, pro diuersâ ipſius anni ſtatione, apponi ſolitos, vnâ ſeſſione deguſtare, inordinatâ ingluuie, & multiplici rerum varietate ventriculi deprauatum appetitum explere & onerare: monet enim Rhaſes: hypochondriaci neque multum impleri, neque etiam jeiunare debent, eò quod vterque exceſſus ijs maximè infeſtus ſit. Sed in id potiùs incumbere eoſdem decet, vt potiores tantùm, & illos ſibi vendicent cibos, qui ſunt melioris ſucci: (duobus ad minimum aut tribus edulijs contenti) natura enim paucis eſt contenta, & Hipp: teſte, ſaluberrimus cibus, eſt ſimpliciſſimus: cibi enim qui inter ſe diſtant, corrumpunt ſe inuicem, & ciborum varietas, nil niſi humorum parit varietatem.

II. Hora certa comeſtionis obſeruetur: vbi enim nulla temporis ratio, ibi inordinata digeſtio, vbi nulla digeſtio, ibi nullus appetitus.

III. Non accumbas iratus, negotijs diſtractus, ſollicitus, moroſus, aut quocunque animi

pathe-

pathemate perplexus: qui enim sic appetit, huic cibus haud, aut perparum assimilatur.

IV. Pransurus à pane exordium capias: est enim totius cibationis fundamentum.

V. In cibis, liquidiores, crassis prę mittantur.

VI. Non ingerendi cibi feruentes aut nimis calidi: qui enim tales sunt, ventriculum destruunt, & dentes putrefaciunt. Benè quoque masticentur cibi antequam deglutiantur. Edentuli verò, cibum multiplici cultelli incisione minuant: talis enim minuta incisio, digestionem maturat, vt chyli formam citiùs adipiscatur.

VII. Non comedatur ad stomachi grauitatem: qui enim cum voluptate prandium finit, cœnam cum voluptate incipit.

VIII. Si aluus non corresponderit, tunc lubricantes & laxantes cibi omnibus anteponendi.

IX. Pisces cum carnibus, vno pastu, nunquā misceantur: hæc inæqualiter etenim digeruntur.

X. Si cibi in stomacho senseris fastidium, protrahatur cœna: signum enim est, primum cibum non descendisse.

XI. Fame naturali stimulante, statim cibus capien-

capiendus: protractio enim cibationis aliorum gratiâ, appetitum illicò destruit.

XII. Cibi quoque flatulenti, non tantùm fugiendi, verum etiam cum cibis, moderatè flatus discutiētia, miscenda, quia affectio hęc valdè flatuosa est, & hâc detenti, ferè semper flatibus abundant. Hæc tamen omnia, non eo fine & supercilio protuli, quod syracusanam cuiuspiam Magnatis lautitiem, Dei benignitate, affluentem, censoriâ notare virgulâ, aut opiparam eius mensam spongiâ (quòd aiunt) delere præsumam (omne enim tulit punctum qui miscuit vtile dulci) sed potiùs vt attentionem conciliem salutarem, quò ex tam laudabili victu, tàm in dubiâ cœnâ, quàm prælauto prandio indies apponi solito, probatus etiam sanguis generari, & cruditas, quæ morborum mater est, euitari, & quàm fuerit possibile, omnis superfluitatum accumulatio, prohiberi possit.

Potus qualis esse debeat hypochondriacis.

Cibos insequitur Potus: hic ad cibum liquore aliquo imbuendum, & ad sanitatis tutelam non sanè minùs est necessarius Hypochondriacorum autem potus, sit vinū album, tenue, benè maturum, benè defecatum, non austerum, non sulphuratum

Qui bibit ingrato fœdatum sulphure Bacchum
Præparat ad diri se Phlegetontis aquam.

Nec quod in lapide calcario, & alijs locis materiam tartaream suppeditantibus crescit. Condiri potest vinum flor: & radic: Borraginis, vt & ex alijs plantis huic affectioni conuenientibus. Nec inutile est vinum Absinthites è musto paratum, cui, si libet, pars tertia rad: Borrag: vel Bugloss: addi potest. Quod necessarius in hoc affectu sit vini potus, non mirum est: nam moderatè bibitum, corpus alit & nutrit; vires corpori præstat, & reficit omnia membra; calorem innatum confortat; cibi mouet appetentiam; flatus dissoluit; obstructiones aperit; melancholiam compescit; cor recreat; animum erigit, & dat illi gaudium; curas hebetat; juncturas humectat; vrinam prouocat; somnum conciliat. Quibus sanè omnibus hypochondriaci maximoperè indigent. Quod ad modum & quantitatem assumendi vinũ attinet, circà illa non multum determinandum, cùm sit ex consuetudine, & in bibentis potestate: communiter tamen in principio pastus minùs, & in fine plùs, & largiùs bibendum esse consulunt Medici. Vnde antiquitùs triplex potus obseruari solitus

Vini potus.

Triplex potus.

litus fuit, nimirum: permiſtiuus: ſitis ſedatiuus: delatiuus. Permiſtiui locus erat, ſimul cum cibo in principio, vt cibus diluatur, qui vtique modicus eſſe debet, ne videlicet cibũ fluctuare faciat in ſtomacho, nec non in medio paſtus. Sitis ſedatiuus, regulariter differebatur ad finẽ comeſtionis: cùm enim ſitis nihil aliud ſit, quàm appetitus frigidi & humidi, & ille appetitus, ſeu ventriculi ęſtuatio, in ore ſtomachi percepta, hominem maximè circà finem paſtus moleſtet, ideóque in fine etiam plùs eſſe bibendum exiſtimarunt, donec ſitis ſedetur. Alter qui dicitur Delatiuus, competebat primâ digeſtione, vt chylus faciliùs tranſeat de ſtomacho ad epar, & ſtomachus ad nouum cibũ recipiendũ præparetur. Hoc omnibus tamen maximè inculcant, vt nunquam bibatur vinũ largiùs ieiuno ſtomacho: hoc enim cerebro & neruis magnum infert nocumentum, multis etiam epilepſiam, ſpaſmum, conuulſionem cauſauit, & amentiam, &c. Nec bibantur vina nimis potentia: ſicuti enim maius lumen obfuſcat minus, ſic intimus corporis calor à vini potentis calore, aut accenditur, aut ſuperatur. Vitentur quoque vina craſſa, nigra, nimis dulcia, & muſtum:

ſtum: hæc enim hypochondriaco ob id minus apta ſunt, quòd diu in ventre morentur, flatus turbulentos excitent, viſcera obſtruant, & vrinam ſupprimant. Síque potentia, craſſa aut nigra ſunt, non bibantur niſi diluta: ſic enim potentia infringetur, viſcera antea calida nimis non adurentur, craſſities attenuabitur, & faciliùs penetrabunt: conſideratâ tamen ſemper ætate, conſuetudine & temperamento. Abſtineatur denique à vino, niue, aut glacie frigefacto: tale námque neruis obeſt, tremorem inducit, & innatum calorem extinguit. Suadetur ergò iis, quibus ſanitas curæ eſſe ſolet vinũ Neccarino ſolo enatum, ſi eius vſus in menſâ poteſt eſſe continuus.

Zythum ſeu Cereuiſia, quæ in noſtris regionibus vſitata eſt, ſit pura, & benè defecata, enulã, meliſsã vel ſaluiâ, ſimilibúſue imprægnata. Cum autem omnis cereuiſia conſtet ex tribus. I. ex frumento aliquo, II. ex liquore quo mixtum frumentum coquitur, & III. ex condimento quaſi quodam, quod pleriſque in locis lupulus ſalictarius eſt: hinc de nullâ cereuiſiâ judicium prudenter ferri poterit, niſi hæc tria probè conſiderentur: imò præter hæc etiam *Cereuiſia potus.*

Notæ bonæ cereuisiæ.

præparationis & asseruationis modus, nec non ætas. Cereuisia itaque quæcunque, confecta sit oportet, ex tritico seu frumento bono; in præparatione, vel nimiâ maceratione, aut putredine, vel exiccatione, aut adustione, vel situ, aut alio modo non vitiato. Aqua etiam, quâ coquitur, sit fluuialis, limpida, leuis, nullo vitioso, aut extraneo odore prædita. Lupulus salictarius sit justo tempore collectus, ne immaturus decerptus, nimio amarore ac stypticitate cereuisiam vitiet, præque situ ac vetustate læsus vel corruptus. Hinc non parum adhuc requiritur diligentiæ ac dexteritatis in præparatione cereuisiæ, vt prædicta legitimo quæque tempore ac ordine misceantur, benè ac perfectè coquantur, debito modo dein ebulliant, ac vasis conuenientibus asseruentur, quo crassiora ac viscidiora excrementa motu interno separentur, tempore clara atque defœcata, nec non mediocriter vetus cereuisia reddatur, neque tamen præ senio acescat: recens enim stomachum inflat, interanea distendit, viscera obturat, renibus ac vesicæ incommoda est. Ex quibus, cuilibet patere arbitror, quæ sint bonæ cereuisiæ notæ, & quot requirantur, antequam

cereuisia boni fiat saporis, aut bona dici possit, hypochondriacis pro potu admittenda. Quod verò de cibo monuimus, idem de potu monẽdum. vt videamus, quem potum sine vlla cruditate ac incommodo, ęger meliùs ferat: alijs enim vinum, alijs cereuisia, & quidem hæc vel illa magis conuenit: ac sæpè obseruatum, nonnullos, cibos in hac affectione benè retinere, quamprimùm verò cereuisiam bibunt, vomere, & post horarum etiam aliquot interualla, cereuisiam parùm alteratam reijcere. Hinc quoque abstemios videmus, qui neque vinum, neque cereuisiam, sed puram & crudam aquam ferre possunt, tàm benè tamen, ac alij, hypohondriacis passionibus, imò fermè frequentioribus, obnoxios.

CAPVT XIV.

In quo defenduntur R. Patris Hieremiæ Drexelij Societatis IESV, *piæ memoriæ, & Medicorum Monacensium de vino lymphando aut diluendo opiniones.*


VAM generi humano, tùm quò ad corporis, cùm ad animæ sanitatem conseruan- *Quam nocivum sit vini potentis potus.*

uandam, nociuus sit vini potentis potus, maximè verò stomacho, aut ex senio, aut ex morbo, debilitato, hoc in libello suo aureo, quem ante annos aliquot de Ieiunio & Abstinentia R[dus]. ac pius Pater Drexelius, piæ memoriæ, edidit, & cum illo Monacenses Medici tum temporis medicinam facientes, à quibus pro confirmatione opinionis suæ, doctrinas mutuatus est, multis rationibus, experientijs & authoritatibus confirmant: dum nimirum nec malè, nec inconsideratè asserunt, proportionem esse debere inter agens & patiens, aliàs à maiori calore minorem extingui, & ideò debili ventriculo citrà morbi introductionem non conuenire vinum potens. Faciliùs quoque digeri à stomacho debili frustulum prægrande carnis bubulę, quàm vinum potens. Præstare dilutum bibere in quotidianâ mensâ, quàm merum, ne nociui spiritus capiti & corpori obesse possint. Quas tanquam pestilentissimas, & generi humano exitiosissimas doctrinas, vltrà sauromatas & glacialem oceanum relegandas, reijcit & redarguit, quidam ex antro Tryphonio, siue palude Lernæâ prodiens Medicus, Matthæus Clauss, Archiœnopota, in tractatu quem Oeniponti

di-

diuulgauit Oenohydromachico. Is, furiosè, ebriosè, ſcommaticè, ſtomachicè, & ſuperciliosè, animum ſublimioris de ſe opinionis palpo demulcens, & ex muſtaceo Laureolam quęrens, doctâ & ſubtili inſaniâ, thraſonicâ arrogantiâ, non minore proteruiâ, tanquàm coriphæus, & literaturæ dictator, omniſq; promus condus veritatis, doctiorum, & ſaniorum virorum longâ experientiâ approbata, & indefeſſo ſtudio confirmata dogmata, non modò debellare, ſed etiam funditus eruere tentauerat. Sed quàm fanaticè, iniuriosè, calumniosè, & inſcitè pugnam aggreſſus, eandémque proſecutus fuerit, ex monſtroſo & verminoſo illius certamine, palynodiæ ante victoriam inhiantis, quilibet qui ſanioris judicij eſt, & extremis labijs ſolummodò litteraturam deguſtauit, facillimè intelliget. Non enim vt magnus ille Macedonię Rex Gordium nodum, cuius lora contorta, & in ſemetipſa implicata diſſoluere non poterat, gladio diſcindebat, ita nos præcipiti judicio ad modum Clauſſij, rumpemus intricatas & vincula celantes quæſtiones: ſed rationis manu, leniter, ſingulos nexus Clauſſio inexplicabiles, extricabimus, totáſq; tandem difficultates

dissolutas, nudas & expansas proponemus, lucémque doctrinæ nostræ in Claussij tenebras diffundemus, & arborum instar, quæ inclinant ramos, fructibúsque grauidæ offerunt se carpi; sic verâ doctrinâ vberes ingenij nostri fœtus offeremus vltrò, & inuitabimus ad fruendum: ille racemum ex hâc vindemiâ, tu benigne Lector è copiosâ hâc segete, manipulum derues, vt lectione verorum nostrorum theorematum, oppressam salubrioris doctrinæ veritatem, surrigi videas, aduersus seculi proteruiam, & palmę instar, ponderi eius violenter obniti.

Similia similibus conseruari à quibusdam negatur.

Scio, principium hoc, quòd similia similibus conseruentur, cum Claussio, nonnullos negare, ratione, auctoritate & experientiâ moti. Ratione, quia simile non agit in simile, quod est in primo de generatione & corruptione sumptum ab Aristotele tanquam axioma: ergò simile nō conseruabit simile. Auctoritate, Hippocratis & Galeni. Hippocrates enim lib: de flatibus cap. 6. vbi definit Medicinam, tàm curatricem, quā conseruatricem, inquit, Medicinam esse additionem & ablationem: ergò similia in medicinâ non habent locum: quia Medicus semper addit, vel aufert. Similiter lib: de aëre, aquis, & lo-

cis

cis asserit, corpora calida meliùs conseruari in frigidis regionibus: ergò similia non cõseruantur similibus. Experientia, Galeni authoritas confirmatur in Trasyb: cap: 20. vbi probat exemplo duorum doliorum, totam Medicinam esse artem correctiuam: dicítque, esto quod sint duo dolia exiguis foraminibus terebrata, plena tamen, sed hâc lege, vt aliquis vni dolio assistat, & quantum liquoris egrediatur, tantum illicò vicissim immittat. Alteri verò dolio nemo assistat, & nemo infundat liquorem, nisi quandò notabiliter dolium est exinanitum: dicit Galenus, primum dolium assimilari conseruatrici: secundum verò curatrici. Ecce inquit Gal: quod conseruatrix & curatrix, pertineant ad artem correctiuam, quæ non per similia, sed per contraria procedit. Scio etiam, his non sufficere responsum Galeni 3. de simp: medica: cap. 11. Vbi inquit simile triplex esse, videlicet simile minus, simile maius, & simile ęquale; quâ positâ distinctione putatur, simile æquale nullo modo agere in simile: simile verò minus & simile maius agere, & pati inter se: ergò similia conseruantur similibus, non æqualibus, sed maioribus vel minoribus. Sed hæc responsio non a-

di-

dimet contrarietatem: insuper erit periculum ne istæ qualitates similes maiores vel minores corporibus applicatæ, efficiant morbum aliquem.

Quomodo simile possit conseruare simile.

Respondeo itaque, concedendo, quod simile æquale, quod est omninò eiusdem gradus & mansionis, non possit agere in simile: neq; possit corrigere suum simile: quia omne quod agit, agit in contrarium, vel vincendo vel moderando passum. Potest tamen omninò simile æquale conseruare simile, sequenti modo. Esto quod sit eiusdem gradus, eiusdem mansionis, & eiusdem virtutis: sed quomodo? *quatenus hoc simile, auget eandem molem, quæ aucta magis resistat, & per consequens, magis conseruet.* Hinc ignis in maiori mole, meliùs conseruatur quàm in minori, magisque resistit contrarijs. Pari modo aqua Maris in suâ immensâ mole, meliùs conseruatur, quàm aquæ pauxillum: quia in suâ magnâ mole multum resistit. Hinc Aristoteles quarto meteorum cap. 2. in fine ait. Pars Maris quæ separatur à toto, citiùs fætet, quia destituitur naturâ totius Maris: ideò in paucâ mole facilè destruitur. Sic vinum in magnis dolijs meliùs conseruatur, quàm in doliolis. Itidem manus nostra

stoma-

ſtomacho applicata, vel omentum ventriculo ſuperpoſitum, conſeruat ventriculum; tùm quia prohibet, ne calor exhalet, tùm quia omẽtum eſt, ſimile, & quantò ſimilius, eò meliùs conſeruat: quia per ſimile æquale, augetur moles caloris, vnde ventriculus magis reſiſtit, & meliùs conſeruatur. Sic vinum mediocriter calidum, dilutum, & ſtomacho æqualiter proportionatum, eidem conducit, calorem eius fouet & conſeruat, &c. Simili modo, ſimilia omninò æqualia (ſi inuenirentur) applicata epati, ſpleni, pulmoni, cerebro, vel cordi, maximè conſeruarent: quia aucta moles rei ſimilis non agit, ſed magis reſiſtit. Quòd verò conſeruatio non fiat per inæquale, patet per argumentum ex oppoſitis, ſicque probatur. Calidum vt duo, certè per calidum vt vnum non conſeruari in eodem ſtatu, ſed refrigerari, ratio eſt: quia calidum vt duo, habet duos gradus frigiditatis: calidum verò vt vnum, habet tres gradus frigiditatis: quare dum permiſcebitur calidum vt duo cum calido vt vnum, fient quinque gradus frigiditatis, & tres gradus caliditatis: quare hoc modo corpus refrigerabitur; ſi verò idem fiat cum exceſſu calidi, corpus inflammabitur, &

non conſeruabitur in eodem ſtatu: quia magis poſſunt quinque gradus frigiditatis, quàm tres gradus caliditatis, & quinque gradus caliditatis, magis, quàm tres frigiditatis: ergò vera conſeruatio, neq; per ſimilia minora, neque maiora fiet, ſed ſolùm per ſimilia æqualia, quæ omninò ſunt ſimilia in mole aucta, non agentia, ſed magis reſiſtentia.

D. Antonij Comitis Cæſana & Colle ſupra hanc opinionem rationes.

Sed audiamus Illuſtrem Dominum Antonium Comitem Cæſana & Colle, Sereniſſimi Electoris Bauariæ, & reliquorum Principum noſtrorum pro tempore Archiatrum primariū: Virum profundiſſimæ doctrinę, judicij incomparabilis, feliciſſimæ praxeos, indefeſſi laboris, gratiſſimæque modeſtiæ & patientiæ, de hâc controuerſiâ differentem, cuius bonâ veniâ hęc ſcribo. Quàm iniquè, inquit, pius Pater Drexelius à D: Clauſſio laceſſitus fuerit, clarè patet, ſi quis prima tantùm Medicinæ Principia legat: artem nempe medicinalem Galeni, vbi intemperierum omnium præcipuorum viſcerum ſigna tradens, ait, quòd intemperata viſcera modico contrariorum vſu juuentur: intemperata viſcera; intellige intra ſanitatis limina conſiſtentia, modico contrariorum vſu conſeruari; non

ægris,

ægris,ſed ſanis,& jeiunare potentibus,victus in tantùm præſcribitur, in quibus pro præſeruatione nō exquiſitè requiruntur contraria. quod ſi verum,ſicuti veriſſimum, quomodo ſtomacho frigido vinum potens conducet, in quo non modicum ſed validum reperitur contrarium? quinimò ſtrictè obſeruant Medici etiam in curatione morborum, vt remedia ſint morbo æqualia,ne vno curato morbo, alius introducatur curato contrarius: ſi ergò in curationibus ita attendēdum, ne maius ſit morbo remedium, quantò magis in præſeruatione, quę modico tantùm contrariorum vſu eſt contenta: quâ ratione ergò ſtomacho frigido, ſed ſano adhuc exiſtente, qui modico contrario juuari poteſt, exhibebimus vinum potens, quod eſt validè calefaciens,& potiùs contrarium:& quis niſi ebrius,in declinatione,vel etiam in fine febris,in quâ ſtomachus paſſus eſt,& debilitatus, vinum potens exhiberet,propter hoc ſolum,vt debilitatum ſtomachum reficeret? & ſi Galenus,quem Clauſs adducit,vinum dilutum calidis & ſiccis exhibet, non autem aquam, quare ſtomacho frigido exhibebimus nos vinum potens, quod eſt valdè recedens à ſtomachi frigi-

ditate, quæ modicum solùm contrariorum vsum desiderat? sed clarius tale sit argumentum. Sicuti Galenus non dat valdè refrigerans stomacho calido, sic nec stomacho frigido valdè calefaciens, quia contrariorum eadem est ratio: sed Galenus non concedit calidis intemperiebus valdè refrigerans, ergò neque nos in stomacho frigido valdè calefaciens, quod est, vinum potens, concedere debebimus; in ijs præsertim, qui ab ortu talem intemperiem sortiti sunt. Contrariam intemperiem introducere in ipsis, si contenderit, tantùm abest, vt juuet, quin potiùs offendet: contentus enim debet esse Medicus eam conseruare sanitatem, quam à naturâ quis adeptus est: salubre enim vt multùm, si quis sortitus fuerit corpus, non potuit Medicus facere ipsum salubre simpliciter semper, sed satis erit, si excessus corrigat, & ipsum in natiuâ suâ sanitate conseruet: stomachum enim à natiuis principijs frigidum, calidum non faciet, quia Medicina non de nouo, sed tantùm facta resarcit, & calidam si in ipso medicamentis introduxerit temperiem, non ea erit concoquens caliditas, sed ipsi accidentalis & noua; aliàs nullus magis & perfectiùs concoqueret,

quàm

quàm hecticus aliquis, qui calidam eámque habitualem patitur intemperiem, quod est contrarium; vel dicere debemus, quòd seipsos concoquant cibi, quod est absurdum: quinimò neque in morbosis semper conuenit exquisitè cõtrarium, vt videre est in refrigeratis: non enim eos ad fornacem statim jubemus, sed in frigido loco, quod tamen ratione refrigeratæ partis, rationem habeat caloris facientis; & hoc ad vitandas extremas mutationes, quæ si neque in curationibus semper conueniunt, vt visum est, quâ ratione ergò stomachum maximè à naturâ frigidum, vel senio resolutum, vel alio modo debilitatum, vino potenti, quod est summè contrarium, calefacere statim suadebimus. Vinum potens nisi inuenerit obiectiuam materiam, in quam agat, aget in stomachum senis, & residuum ipsius humidum resoluet, natiuum calorem debilitabit, & consequenter concoctiones imminuet, & si quid boni præstat, tanquam medicamentum hoc facit, quia frigida calefacit, excrementa attenuat, & per vrinam deducit; quod nullo modo necessarium, si proportio concoctibilis ad concoquens obseruaretur, neç esset, quòd vinum potens desideraretur;

nec imaginaria est ista distinctio, de alimento simplici, & alimento medicamentoso, sed Fernelij potissimum 4. meth: medendi cap: 1. vbi habet. *Alimentum quidem est, quod corporis substantiæ quodammodo simile, in eam tandem faceßit atq; conuertitur, quod tum alit, tum interdum auget, id si ita simile est, vt in corporis substantiam conuersum, nullâ interim qualitate alienâ illam insigniter afficiat, simpliciter & absolutè alimentum dicitur, vt panis, vt caro, vt ouum; at si substantiâ quodammodò simile exuperante, qualitatem corporis immutat, alimentum est medicamentosum, vt Lactuca, vinum generosum, Mespilum, Cotoneum malum.* Hæc Fernelius. Ecce vinum generosum, nominat alimentū medicamentosum: sanis præterea alimenta præscripsit, non ægris, propterea non extremè contrarijs, sed modico contrariorum vsu fuit contentus; nec aliter sentire debebat prudens senex, nisi & Hippocrati & veritati ipsi contradicere voluerit. Multa conglomerat Clauss Galeni loca, Platonem inuocat, & quasi Plutonem, quibus eadem posset esse responsio, quàm ipse Valesio: sed modestiùs nos cum tantis viris, quàm ipse cum alijs. Dicimus itaque nos stante præallatâ alimenti distinctione, quòd præfati viri, dum vinum potens

ꝛens ſuaſiſſe viſi ſunt, illud tanquam alimentum medicamentoſum jure conceſſerint, vt vel coaceruata incocta excrementa alterarent, attenuarent, per vrinam deducerent, &c. Fruſtrà inſtitueretur, ſi talia haud eſſent excrementa, circà quæ vini potentia refringeretur: illud idem enim faciunt frigida excrementa, impediendo vini potentis actionem in natiuum ſtomachi humidum, quod aqua, dum vinum diluitur, ita vt etiamſi detur in ſic conſtitutis vinum potens, excrementis frigidis ac humidis in ventriculo coaceruatis, intrinſecè quaſi diluatur, quò minùs natiuum humidum, reſoluere poſſit: hinc doctiſſimè Fernelius, non de vinis tantùm, ſed & de alimentis loquens, aureis iſtis verbis admonitos nos voluit, ſic inquiens. *Vt enim Calx ad arboris radicem conſperſa fructum accelerat, arborem verò perimit, ita calidius alimentum, maximéque vinum, ſuſcitato calore, ſpiritus facultatéſque erigit, mortem verò maturat: dum enim corporis calorem auget, ſubſtantiam minuit, dúmque innati calidi ſpiritum & calorem halitu fouet, eius ſubſtantiam, quæ humidum eſt primigenium, diſsipat, exſorbétque, omnem vitam alacriorem ac vegetiorem, ſed tamen breuiorem facit, &c.* Quæ ratio eadem etiam

am est, quòd Abstemij vtplurimùm sint longęuiores: quòd si tanta esset ad vitæ conseruationem vini potentis necessitas, quomodò viuerent Abstemij. Defecisset natura in necessarijs, cùm dederit eis esse, & negârit consequentia ad illud esse. Vinum non omnibus conuenit hominibus, ergò multo minùs potens, quàm dilutum, quia magis hoc quàm illud à non vino distat. Incalescit Clauss, dum frigida inquirit vina, hoc interim non attendit, quòd idem & calidum & frigidum ad temperamentum hominis relatum, esse non implicat; sic eadem vina quæ stomacho frigido sunt calida, calido erunt frigida, absolutè tamen vinum non dicitur nisi actu frigidum. Sed missa faciamus hęc, támque inutilia, sicuti & sententiam illam, quod vinorum alborum nullum sit calidum; támque sensui repugnantia prætereamus. Valesij rationes cum viderit meraci potator insolubiles, tētaueritque mentem Valesij explicare, videlicet mala quę à vini potentis vsu prouenire Valesius deduxit, eum intelligere, si immoderatè bibatur; quasi quid daretur nimium, quod esset naturæ amicum; furit, tantúmque Philosophum & Medicum, virum perturbatum & men-

mendacem inuerecundè appellare non erubescit. Scripſit notum eſt lippis atque tonſoribus, quòd vinum immoderatè aſſumptum noceat, imò quòd nullum detur alimentum qualecunque excogitetur bonum, quod immoderatè aſſumptum juuet; qualis ergò eſſet tanti viri diſtinctio? puerilis & indigna Medico: admonuit enim nos ſatis ſuperque Hippocrates, quòd nec cibus, nec potus, nec ſomnus, nec vigilia, nec quicquam quod modum excedit, bonum; imò idem in aphoriſmis habet, quòd ubi cibus plùs præter naturam ingeſtus ſit, morbum faciat &c. Quare nulla eſt Clauſiana ſuper Valeſium gloſſa: intelligitur enim non tantùm de immoderato, ſed etiam de moderato meraci uſu, in ijs in quibus non convenit tanquam alimentum medicamentoſum.

CAPVT XV.

Continuatio Præcedentis Capitis contra Matthæum Clauß.

FVRIOSVS modum non habet: quippe furiâ agitatus, in proximũ quemq; ruit, & inſtar canis in lapidem ruentis, quo ictus eſt, *Thomæ Mermanni defenſio*

citrà rationem inuolat. Erat Mermannus, olim Medicorum coryphæus, ocellus, primipilus, theoriâ clarus, praxi promptus, & experientiâ probatus: Serenissimi Electoris Bauariæ Archiater: Principibus, aulicis, ciuibus, religiosis & secularibus acceptissimus, propterea, quòd doctâ felicíque operâ morbo perituris, adfuerit, & mortem ante tempus præcipitem, in seros distulerit annos: magnus quoque & fidelis Patris Drexelij amicus. In illum Claussius inuehitur, quòd dixisset, difficiliùs digeri vinum potens, quàm frustulum prægrande carnis bubulæ. Non attendit autem, quòd ex supra dictis, proportionem inter agens & patiens semper intellexerit Pater Drexelius. Sed periculum quis faciat, détque vni carnem bubulam, in quo calor innatus adeò concoquendo, vt ait, laborat; & alteri vinum potens, quod tam benè ac tam facilè, vt Clauss vult, nutrit: videbit profectò citiùs ad interitum tendere vini potatorem, quã carnis comestorem, & ratio ea est, quia caro solùm se habet, vt alimentum, vinum autem potens, vt alimentum medicamentosum: quâ qualitate medicamentosâ, si nihil in corpore inueniat cui sit medicina, ad corruptionem humidi

midi agit, ſicuti ex Fernelio primùm habuimus, & ſenium accelerat, neque hoc in ſtomacho ſolùm, ſed & in toto corpore, cui officiale eſt ſtomachus membrum; præterquam quod potus altera neceſſitas eſt, ac præcipuè vt ſit alimenti vehiculum, vt chylo mixtus, ipſum per anguſtas vias ad viſcera ſanguificantia introducat, &c. quo functo officio per vrinam expellitur. Meracum pro potu exhibitum, in concoctione, potiore ſui parte euaporat, vapáque pro vehiculo remanet inepta, quæ tartaro plena, tot calamitates, quas Pater Drexelius recenſuit, in vijs, per quas pertranſit, cauſat: hinc arenulæ, calculi, arthritides, & plures hominum tyrannides, quæ vini abſtinentiâ ſi non curantur, ſaltem miteſcunt. Sed ſi natura ſtomachum alijs membris pluribus frigidiorem voluit, quia ſic requirebatur ad elixationem pro concoctione, ne adurerentur cibaria, quare contra hoc naturæ intentum tentabimus potentioribus vinis ſtomachum calefacere, quem natura voluit appoſitè frigidum? ſi inceſſerit corrigere quidem ſecundum exceſſum, tentabimus, ſed non extremis, ſed paulò calidioribus, quàm ſit introductum, vel à naturâ conſecutum tempera-

mentum frigidum (de præſeruatione enim loquimur, & de ijs qui intra limites ſanitatis adhuc cõtinentur) cur ergò vina tam potentia exhibebimus? quaſi cibariorum concoctio à vino, non autem à natiuo ſtomachi calore celebraretur. Ergò eſt falſiſſimum, vt videre eſt non ſolùm in Abſtemijs, Turcíſque ſaniſſimis, ſed & in brutis pluribus, quę eodem quo homo veſcuntur cibo: duriſſima enim concoquunt, & vinum etiam exhibitum renuunt. Sed dicet, diuerſa eſt natura hominum, & brutorum; concedo equidem: ſed quo ad facultates naturales eodem modo procedunt, ſtomachum & ipſa habent, ipſúmque membranoſum, & procul dubio alijs principalioribus viſceribus frigidiorem, duriſſima nihilominus ſine vino cõcoquunt, & benè habent, ipſorúmque ventriculus, vt & hominis, ſanguine nutritur, ſed proportionato: non enim valet, ô Clauſs! ſtomachus humanus ſanguine nutritur, cum quo proportionem habet vinum potens, ergò vinum potens conuenientiſſimum: ex quatuor enim partibus conſtat ſanguis, in hunc procul dubio finem, vt & heterogeneę partes, vnaquęque ſibi magis proportionatum pro ſui nutritione

tione seligat, & attrahat nutrimentum, sic diuerso sanguine pulmones ab ossibus, & sic de singulis nutriuntur: vnde nihil philosophatio tua de sanguine nutriente concludit; aliud enim temperamentum, aliud nutrimentum, & stomachus ijs membris quibus est frigidior, frigidiori etiam nutrietur alimento. Quòd etiam faciliùs in stomacho debili digeretur carnis bubulę frustum quàm vinum potens, inde patet, quia maiorem cum humano corpore ducit similitudinem, proinde ex eâ minùs prouenit nocumenti, & hepatis, aut mesaraicarum obstructio leuior, ac curationi minùs obsistens, imbibentibus membris longè procliuiùs ob cognationem, carnis succum, quàm vini. Caro calida est & humida, & facta ex sanguine, quas qualitates ad faciliorem coctionem esse aptas, testatur Auic: 1. 1. doct: vlt. cap. 3. Et carnem esse cibum facillimæ transmutationis in substantiam nostram, quia habet similitudinem, idem lib. 2. tract. 2. cap. 145. de carne. Dicat quæso Clauss, si pro conseruando stomacho, cuius naturale temperamentum pluribus membris est frigidiùs, & talis debet esse, si sanus esse debet, dat vinum potens pro potu ordinario, qualem ei exhibe-

hiberet potum, si calidius aliud membrum in naturali suo temperamento conseruare vellet? vinum adustum puto? quia vinum potens secundùm illum, si non excedit caliditatem stomachi, calidius membrum refrigerabit, & sic necessarium erit, vt & vinum adustum in potum veniat ordinarium, ad hoc, vt calidius membrum in suo temperamento conseruetur, & sic vno illius inconuenienti posito, mille inde nascentur.

Vinum potens nocituros cõtinet spiritus.

Sed aggreditur vlteriùs Clauss impudenter & inconsideratè Medicos Monacenses, asserentes, vinum, potens nocituros continere spiritus. Omnes vini spiritus, si innocui sunt, nihil faciliùs, quàm quod difficiliùs, spiritus nempe optimos regenerare sufficerent; nam spiritibus deficientibus ad spiritus vini venditores accedere, & sibi spiritus emere, ridiculum profectò. Non ex quolibet fit quodlibet; spiritus in humano corpore generantur etiam excrementitij, & procul dubio ex vino etiam potente, qui non difficiliùs accenduntur, ac vini spiritus. Præterea, spiritus in humano corpore vel sunt naturales, vel animales; spiritus vini nullo horum modorum spiritus dici possunt; quia essent

 ante-

antequam fierent, ſed tantùm materia ex quâ fieri poſſunt, vnde ſi non ijdem ſpiritus, in quos tranſmutari debent, conſequens neceſſariò eſt, vt aliquid ab illis ſpiritibus ſeparetur, per quod ſunt diſſimiles, illud quod ſeparatur eſt excrementitium, ergò nociuũ eſſe poteſt. Breuibus, illi ſpiritus, qui toti tranſmutari non poſſunt in ſpiritus animales, vitales, vel naturales, habẽt in ſe aliquid excremẽtitij, ſed ſpiritus vini, nõ omnes poſſunt trãſmutari, ſiue euadere ſpiritus animales, vitales, vel naturales, ergò habẽt in ſe aliquid excrementitij, & per conſequens nociui. Vnde ergò tantus riſus? natura hoc docet, non Monacenſes Medici. Pergit Cynicus, & capite fortè meraco ſuo onuſtus, blaſphemus, ad blaſphemias, Monacenſes deducit, & hoc ex eo, quia aſſeruerunt, vinum ſpiritus in ſe etiam nociuos continere, ſic arguens; quod Deus creauit eſt bonum, Deus vinum potens creauit, ergò eſt bonum. Subiungit poſtea, ſi Deus malum creaſſet vinum, Deus ipſe eſſet malus, & alia plura, quæ ibi leguntur. Multa creauit Deus quæ non ſunt bona, niſi quatenùs ſunt & ipſa entia; neque ratione formæ, vt ipſa probantur, quia perfectionem non ſunt adepta; neque ra-

tione

tione finis, quia ad hominem relata, nociua sunt: ergo Deus est malus. Qualis est ista consequentia, procul dubio non alia, quàm capitis meraco repleti. Missas propterea faciamus istas ineptias, sicuti & alia non minoris momenti ipsius dicta, dùm parui faciens contradictiones, eos dilacerare cupit, qui dicunt, vinum potens fugere, antequam concoctio perficiatur in stomacho: quod, quam verum sit, etiam ebrij sciunt: antequam enim è mensâ surgunt, plus oneris in capite à meraco, quàm in stomacho sentiunt. Dicat mihi in hoc expertus Clauss, si vinum potens cibariorum expectaret in stomacho concoctionem, & non fugeret, quomodò possibile foret, vt, dùm mensæ assidet, neque ad necessitatem adhuc comedit, tàm citò, & antequam assurgat inebrietur, cùm cōcoctio non nisi secundùm communem sententiam intra septem horarum spatium perficiatur. Dices fortè, verificari hoc in multa, non autem in pauca quantitate potatum: sed nihil est istud dictum: ascendit enim ad caput non vt quantum, sed vt vaporosum, & tale est semper tàm in parua quàm in multa quantitate assumptum, quamuis postea ebrietas vtplurimùm sequatur.

Sed

Sed quid dicet de ijs, qui neque ad necessitatem bibere possunt quin inebrientur, vt non vnus, sed multi inueniantur tales, quibus vinum statim nocet.

Certè si concoctionem expectaret, non tam citò caput peteret, quia non tam citò deserit stomachum chylus, cuius potus debet esse vehiculum ad epar, & inde ad totum corpus sub aliâ formâ alendum. Si itaque intrà horæ spatium, & minùs, quandòque vinum potens caput aggreditur, quomodò erit chyli vehiculũ, qui nec dum est in stomacho confectus. Hoc insolubile ex ipsâ naturâ videns, eadem retorquet Clauss in vinum dilutum, immemor quid antea dixerit, quòd vinum dilutum fluctuet in hypochondrijs, neque per vias vrinæ pertranseat. Sed dicat mihi? quomodò contingere hoc potest: si fluctuat dilutum in hypochondrijs, vt faciliùs penetret idem, imò idem & hęrere & penetrare eodẽ tempore impossibile. Sic videt, quàm oporteat dicacem esse benè memorem. Scit, Conciliatorem respõdere 10. Arist: problemate, dilutum citiùs inebriare, quia ait ipse, potens vinum vel non multum bibitur, vel si bibatur, in stomacho non retinetur, sed reijcitur.

Vinum potum coctionem nõ expectat.

Sed dicamus nos, vinum dilutum faciliùs penetrare cum alimento, meracum verò cum ipso difficiliùs, quia vt primo dictum, naturâ suâ vaporosum, concoctionem non expectat, sed euaporat. Plures alias Conciliatoris rationes si quis desiderat, præfatum legat authorem decimo problemate Aristotelis, vbi ad satietatem habebit. Interea firmum maneat, quòd vinum non potens conueniat semper, vt potus ordinarius, ac nutritiuus simul, meracum autem & potens, vt potus medicamentosus, & in ijs occasionibus conuenire, in quibus dictum est.

Vinum potens non semper pro potu ordinario conuenit.

Difficiliùs etiam est, vnum omnibus diętę modum præscribere, quàm omnes vno calopodio velle calcare: quod attendens Hippocrates, docuit nos, respicienda multa, loca, anni temperamentum, consuetudinémque, &c. quæ cùm altera natura dicatur, præcipuè consideranda; attendendum propterea, in quibus conueniat vel non; prætereà sympathiam & antipathiam: quę omnia vno constringere simul cingulo impossibile est. Quare non ita pertinax debet esse Medicus, vt semper meracum reijciat, & dilutum inculcet, præsertim in assuetis: quæ enim longo tempore assueta sunt, si mutanda, sensim

id

id faciendum suasit Hippocrates. Prudentia itaque, non pertinacia requiritur in Medico ob primò dictas causas.

Iam dudùm itaque Medici Monacenses, insanæ Claussij doctrinæ, ebriosisq́ue delirijs eius, indicere bellum potuissent, si in illius gangrenæ curationem, stili sui nouaculam acuere, nec non salutaria doctrinarum suarum caustica, in sontici morbi eius medicinam, immittere voluissent: haud rarò enim, quùm armis non potest, pugnatur calamis, qui sine tumultu, inducias aut pacem, sine sanguine, victoriam, sine cæde, trophæa moliuntur. Verùm, vt strenui & generosi milites, leuia & circum galeas & aures crepitantia tela contemnunt, sic viri sapientes & altæ mentis, obtrectationes & conuitia. Vt in viâ, si canis aut equus luto me aspergat, non quod Plautus ait, lapidem percutio, non excandesco statim, & vicissim in illum regero, sed eluo potiùs hoc lutum, quàm vt respergam: ita hic faciendum, & omnes isti pro caniculis aut equis habendi, qui non iudicio, sed impetu & conuitio lædunt: futiles quoque hominum sine fræno loquentium aut scribentium susurros, aut calumniæ audaciam (cui

proprium, magnum aliquid affingere viris magnis) generoſo contemptu, frangere & vindicare, virtus eſt. Poſſent Clauſſij illaudabiles mores, paupertáſque ſpirituum, facillimo negotio & acri Mineruâ diuulgari, ni verecundiæ mantili magis obtegere placeret, quàm diuulgando licentiùs profiteri, ſilentíjque ſupparo inuoluere, quàm apertis carceribus emittere ſtili equos ad palmam.

Atqui furit vlteriùs Bacchi athleta, quod inediam in morbis à repletione, & intemperie prouenientibus, tanquàm pharmacorum pharmacum, laudauerit ſobrius Pater Drexelius: cōtrà hoc Galenum inuocat, Hippocratem, & omnes quos poteſt, in ſubſidium implorat; ſed malè applicat. Proponit Pater inediam, & rectè, in repletis & intemperatis, intemperie non acceptâ quatenùs eſt miſcibilium alteratorum vnio, ſed quatenùs intemperantiam dicit in victûs ratione. Vbi eſt ergò Patris error? repletioni contrariatur remedium inaniens, atqui tale ſubminiſtrat inedia, ergò benè. Breuiter ſic argumentatur, quod inanitionem cauſat, tollit repletionem, ſed inedia inanitionem cauſat, ergò tollit repletionem: maioris propoſitionis

tionis veritas probatur ex eo, quòd contrariorum contraria sunt remedia: minor autem ex se euidens est, quia calor innatus nunquam otiosus, in replentem materiam agens, eò magis corpus inanit, quò minùs additur, inedia autem nihil addit, ergò, &c. Sed dicit Clauss: dantur morbi, in quibus inedia perniciosa est: concedimus totum: & in repletis transeat; sed non tollit hoc, quod inedia non sit indicatum repletioni contrarium; & si in omnibus non conuenit morbis, est quia vires non ferunt, vel permittunt: sicuti multoties contingit, vt neque venæ sectio, remedium alioquin magnum ac indicatum, quod vires contraindicant, administrari possit: imò tanta est veritas Drexelianæ propositionis, vt in omnibus materialibus morbis conueniret, si vires ferrent. Propterea Hipp: docet, coniecturari autem oportet, in quibus conueniat, & an tali victu perdurare possint, quasi dicat, victum instituas tenuem, vel tenuissimum, si vires persistere & perdurare posse conijcias. Insuper inediæ terminum non prescripsit Drexelius, sed dicit, quòd aggrediantur morbos diætâ (imò Auicennas ait, si morbum ignoras, victum attenua) proculdubio

quia conijciunt, ægrum perdurare posse, secùs non facerent. Dicit Clauſs, non eſt inedia remedium ſufficiens, & melius alio, euacuatione nempe, tollitur; tranſeat: atqui Pater Drexelius, cui tantùm curæ eſt, ne corpus repletum exiſtat, non reprobat alia remedia, prǽterquam quòd ille curationem morborum non inſtituit, ſed tantùm in intemperatis, inediam laudat, vt tempus detur calori ad ingeſta concoquenda, antequam alia ſuperingerantur, ne crudum crudo addas. Eſtne hic error Patris? eſt ne ille vel tu peſtis corporum & animarum ſimul? plures ne occidere putas crapulam, vel jeiunium? ſobrietatem, vel ebrietatem?

Denique Drexeliomaſtix, concoctionem in ore fieri, nullis rationibus admittere vult. Magnus profectò eſſet error Theologi, ſi medicis non vteretur terminis. Sed audiatur Auicennas Medicorum Princeps, qui eadem habet. fen. 1. doct. 4. cap. 2. leguntur enim ibi formalia hæc. *Nutriens maſticatione aliquam habet digeſtionem; ſuperficies enim oris, ſuperficiei ſtomachi contigua exiſtit, imò eſt, ac ſi vna eſſet ſuperficies, eſtq; in eo virtus digeſtiua ex ipſo: quúmque maſticatum tetigerit, aliquâ ipſum conuerſione permutabit, &c.* Si ijſdem ergò vſus

ſus eſt Pater terminis, quibus etiam magnus ille Philoſophus ac Medicus Auicennas, quo jure Clauſs inuehitur in Theologum? & quâ ratione tantos viros impudens vocat vermiculos? cur non contrà ipſum Medicorum Principem blaterat, qui non ſolùm & concoctionem in ore aliquam fieri aſſerit, verùm etiam, & digeſtionem pro concoctione nominat, intactúmque relinquit venerandum Theologum. Eâdem impudentiâ pergit, Patrémque quòd concoctionem à digeſtiuo ſucco juuari dixerit, inſulsè reprehendit. At Auicennam primo citato loco ſi legiſſet, non à centone, ſed à Medicorum primate acceptum vidiſſet: quid enim aliud ſignificat eò loci Auicennas, dùm habet. *Et in hoc quidem auxiliatur ſaliua acquiſita per digeſtionem, in quam cadit calor innatus*, quàm ſupranominatum ſuccum digeſtiuum, de quo loquens doctiſſimus Sanctorius, in expoſitione dicti capitis, admonet, ne tam frequentes fiant oris collutiones, quia ſic abluitur ſaliua, ſiue ſuccus digeſtiuus (quod idem eſt) qui facit ad concoctionem, quo priuatus cibus difficiliùs deinde concoquitur à ſtomacho. Vide ex his benigne Lector, quàm inuerecundè, quàm ignominioſè

sè

sè tantos viros, heteroclytum & à meracioris vini ſpiritibus & vaporibus deſtructum, verminoſum Claußij caput, idiotas, ac triuiales centones appellet. O ſupercilium! hinnulus leones impetit; aquilas ſcarabæus; & ex magnitudine aduerſariorum laudem captat, nominum & aliorum famæ ſordidus veſpillo.

Elogiũ R^dl. P. Drexelij.

Quid ſtupidiùs? quàm corrigere illum, cuius doctrina pectora adamantina percellit, & mentes caute marpeſiâ duriores: cuius virtutes Calumnia ipſa laudauit, Inuidia mirata eſt. Conſtanti R^dus. Pater iſte Drexelius per viginti tres annos (etſi tenuiſſimâ eſſet valetudine) nõ tàm corporis, quàm animi vigore, auditorum ora meruit. Neque contentus audiri tantùm, oculis ea quotidianâ induſtriâ parabat ſubijcere, quæ pro concione dixiſſet, datis in vſum lucémque publicam tot libellis conſcriptis, quibus legentium deſideria, irritabat veriùs quàm explebat. Benè dixit, benè ſcripſit, benè vixit: præſentis æui ſui fuit Phœnix & Phœbus, potens verbo & opere: viuens tuba in cathedrâ: dignus trium Neſtorum ætatem viuere, ſi Deo ita viſum. Sed heu res humanas! occidit Sol ille literarum, Virtutum viua imago, Eccleſię columen,

men, bonorum omnium delicium. Præmiſſus, non amiſſus; oblatus Deo, ſed ablatus nobis: nec tàm ipſe vitâ, quàm vita caret ipſo. Secutus eſt præmiſſos, præceſſit ſecuturos, ſequemur præeuntem. Claudo itaque Clauſs, quia vermis es & non homo.

Ne te forte meæ grauis vrat ſarcina chartæ.

CAPVT XVI.

De Motu & Quiete in Melancholia Hypochondriaca.

POST Aërem, Cibum, & Potum, progredimur ad *Motum* & *Quietem*. Conſiſtit autem Motus in Exercitio, quod vnicũ eſt, & verũ caloris noſtri innati fomentum. Quod etiam in cauſa eſt, vt meliùs digeramus, vt promptiùs appetamus, vt ad negotia ſimus aptiores, vt pori aperiantur, vt fuliginoſa expellantur, vt liberiùs ſpiremus, vt cibus in nobis meliùs aſſimiletur, vt calor ſuſcitetur, vt ſenſus vigorentur, vt placidiùs dormiamus, vt multos languores euitemus. Putret namque (inquit, 7. prob. Ariſt.) quod quieſcit, minùs autem quod mouetur. Et Gal: inquit de cauſ. ſympt. Exercitatio ro-

Qualis motus & quies conueniat in affectu hypochondriaco.

bus addit, ociũ verò diſſoluit & eneruat. Quod etiam Auicennas Fen. 3. doct. 3. confirmat. Vtrumque autem non decet eſſe nimium. Verùm cum varia & diuerſa habeantur exercitia, à Medicis in tres ſpecies reducuntur & diſtinguuntur. I. in laborioſa, vehementia ſeu violenta. II. in mediocria ſiue media. & III. in parua ſeu leuia. Vehementia ſunt, ſaltus, curſus, lucta, pugilatus, jactus diſci, ſaxi. Media ſiue mediocria ſunt, equitatio, vectatio in curru, luſus pilę minoris & maioris, ludus trunculorum, venatio, in quantum ſine violentiâ exercetur, & ars jaculatoria per arcubaliſtas & bombardas, ad illam requiſita, inſuper armorum exercitatio, & curſus leuis. Leuia verò, lectio, aut conuerſatio virorum doctorum, muſica vocalis & inſtrumentalis, ludus chartarum, tabularum, & deambulatio.

Tres ſpecies Exercitiorum.

Hypochondriacis (in primo gradu ita conſiſtentibus, non habituatis) qui validas commotiones, ne nimium incaleſcant, haud ſuſtinere poſſunt, omnium maximè conducet luſus paruæ pilæ: nullam enim (inquit Galenus in comment: de luſu par: pilæ) reperiri exercitationem, quæ tàm æqualiter, ſummâ cum modeſtiâ,

Luſus parua pila cõmendatur

destiâ, & in omni figurâ, maiori sollicitudine omnes corporis partes moueat, quæq; in summam vehementiam tolli, & in minimam motionem deprimi, & animum simul (laudis desiderio) oblectare possit, illâ exceptâ. Quandò verò actiuum hoc, vti & alia similia exercitia, neque status ratio, nec aulica, aut religiosa vita, admittit, nec extra sphæristerium commodum sit id instituere, ideò passiuæ, quæ non proprijs sed aliorum viribus perficiuntur, exercitationes sunt deligendæ. Veluti vectatio in rhedâ, gradariorum equitatio, per amœna loca deambulatio, ascensus collium, scalarum, & similes modicè corpus defatigantes. Qui enim prorsus otiosi sunt, & planè nullâ vtuntur exercitatione, corpus humoribus vitiosis replent, quæ multorum morborum sunt seminaria. Imitandus ergò Philosophus socrates, qui dum solebat quotidiè ferè ad vesperam vsque contentiùs ambulare, à quodam interrogatus, cur hoc faceret? respondit, quò meliùs cœnem. Quibus ostendit vir sapientissimus, deambulationis vsum, tùm ad ciborum appetitum, cùm ad cruditates absumendum non parùm conferre. Quod & Gal: confirmat 2. de san: tue: vti maxi-

Deambulatio.

mum est malum ad sanitatis custodiam quies nimia corporis, ita maximum bonum est moderata motio: neque enim ægrotabit debitè exercitatus.

Venationis exercitiū. Venatio, quod proprium exercitium est nobilium, & eorum, qui generoso & illustri stemmate procreati sunt, quo potentissimi Monarchæ & Principes summoperè delectati sunt, nec non nostro adhuc seculo quàm plurimi oblectantur, tempore scilicet pacis, armísq; vt aiunt, vnco suspensis; est maximè necessarium, vtilissimum, ac jucundissimum. Necessarium enim est, ad arcendas, & è medio tollendas atrocissimas & crudelissimas feras, vt sunt Vrsi, Lupi, Vulpes, ac aliæ rapacissimæ & nocentissimæ bestiæ, quæ non nisi noxam ac damnum hominibus ac reliquis animalibus inferunt. Vtile, quod corporis sanitati hinc prospiciatur ac cõsulatur, dùm scilicet id venator varijs exercitationum modis, prout ipsi visum fuerit, expedire potest, siuè pedes ire libuerit, siuè equi ministerio adiutus, incedere voluerit, siuè laborem grandiorem vt & leuiorem suscipere, eúmque longiori vel breuiori temporis spatio continuare placuerit: in quibus omnibus, tùm pro corporis

poris variâ constitutione ac conditione, cùm pro fortioris aut imbecillioris valetudinis ratione, cautè & adhibito judicio agendum est; deinde ideò vtile est, quod carnibus ferinis & deliciosis mensæ ac tabulæ refertæ videantur. Hæcque duo, venatio & bellum ex pari vtriusque conditione, & similitudine, se inuicem mirum in modum referunt: consuefacit enim ad surgendum diluculo, & ad frigora, caloresque perferendum, atq; etiam ad itinera & cursus, exercet. Præterea ferro, hastâ, glandulisque plumbeis ex bombardis cum fulmine, bestiam petere necesse est, vbicunque inciderit. Vnde insectatores animosi, cauti, & alacres, vt feras capiant, ab illisque non lædantur, fiunt.

Non minùs quoque sanitati conducit, jaculandi exercitium, siuè hoc fiat arcubalistis **mit dem Stachel**/ siuè bombardis **mit der Büx**: perspicimus enim, plurimos homines sedentariam exercentes, solere diebus festis à prandio hoc exercitio incumbere, idque non solùm in oppidis, sed pluribus etiam ciuitatibus primarijs, vbi publica loca talibus exercitijs destinata sunt. Hinc fuerunt multi potentes Monarchæ, Principes, Duces, alijque Magnates, qui summæ si- *Exercitiũ jaculatorium.*

 bi

bi laudi & gloriæ duxerunt, si in huiusmodi exercitijs eminere, & primas præ alijs partes obtinere potuerunt. Omissis vetustioribus, nostræ ætatis exemplum ex Eryci Puteani elogio Ciuitatis Bruxellensis narrabo. Bruxellæ, vti in omnibus ferè alijs primarijs ciuitatibus Belgij, Psittacum (hæc enim auis formâ & magnitudine placet) è turriculâ sacræ alicuius ædis perticâ elatum, petere balistis & bombardis quotannis, & statis veris temporibus, & Arcubalistarij & Bombardarij (quodlibet tamen Collegium separatim) solent: & illi quidem sagittis suis scorteum, hi glandibus siue globis (vt militiæ vsus est) ferreum. Ludicra hæc quidem certamina sunt, sed præmia seria, quia immunitatum prærogatiuæ. Ne & honores desideres, Regio quoque nomine, nec non Cæsareo æstimantur. Ipsi huc etiam inuitari Principes, alijque à Nobilitate primi, ac Patricij solent, & vt Populo placeant, libentes venire: verè Principes, Primi, Patricijque, quia ad humanitatem se demittunt, quia ludos Plebeios, & Regis nomen in Plebe amant. Anno itaque M. DC. XV. ad modò narratum ludum inuitata comparuit optima Princeps *Isabella Clara Eugenia*, pietatis, om-

Historia generosi facinoris Isabellæ Claræ Eugeniæ.

niúm-

niúmque virtutum memoriâ ſemper victura, non vicariâ, ſed ſuâ manu, inter tot Reges (quorum nomina in memoriæ tabulis ibi conſeruantur) verè hîc Regina. Cui in hanc quoque arenam deſcendenti, ſiue peritia (quid enim illa non dexterè?) ſiue fortuna (quid enim illa non feliciter?) fauit: Mulieri, ſed ad virilem gloriam natæ. O pulchrum & memorandum ſpectaculum! ſtetit cum marito Principe *Alberto* inter maioris Baliſtæ Sagittarios, poſitâ quaſi maieſtate: jaculatura, ſuſtulit machinam, collimauit oculum, emiſit telum, & dirigente quodammodò ictum Numine, non irrita miſſa ſagitta eſt: Auem deiecit. Bone Deus, quanto fauore populi! quanto applauſu! Omnes viciſſe diceres. Illa verò, vt magnanima, ita modeſtiſſima, Plebeium admiſit Reginæ nomen, heroicâ ſimul teſtata munificentiâ, ſe jam velut Ciuem inter Ciues eſſe. Totum illud agmen eſſe ſuum vt oſtenderet, veſtes aſſumere ſericas, auro ornatas, voluit; ſuo ſumptu, & colore eminere. Cùm ex Aerario Vrbis, Donum honoris cauſsâ oblatum eſſet, in dotem conuertit, quâ ſenæ quotannis virgines, vinculo ſiuè coniugali, ſiuè monaſtico ſeſe obſtringerent, non jam pau-

per-

perculæ, quia felicem in paupertate conditionem inueniebant. Gemino res tota Epigrammate expressa est, quod in *Æde Sabulonis* legitur, ingenium simul *Hermanni Hugonis*, viri in Societate *IESV* nuper eminentis, repræsentans.

Dextera Parte Vestibuli.

Annuus hoc Templi celebratur culmine ludus,
Lignee, cùm celsâ, Psittace, turre sedes,
Tum fremit infestis circum plebs festa Balistis,
Rexque salutatur, qui jaculatur Auem.
Ecce Isabella *aderat, vix teláque torserat Arcu,*
Reginam agnouit Psittacus, & cecidit.

Sinistra

Obtulit è censu sua dona senatus Elisæ,
De templi postquàm cuspide jecit Auem.
Rursus at in censum censum jubet illa referri,
Dos foret vt senis annua virginibus.
Hinc senæ incedunt discincto crine Puellæ,
Festo, quo colimus Pneuma, sequente, diem.

Nouam insuper generosissima Heroina Balistarijs suis juxta Palatium domum struxit, vt publicas solennésque inspectura epulas, ipsam

regere

regere & complecti hilaritatem videretur. Hi contrà quid referrent? Matrem rati, quam Reginam acceperant, amore & obsequio complexi sunt; & ne mutare felicitatem cogerentur, ab omni deinceps certamine, eâ viuente abstinuerunt.

Deductus est fortè iste ludus à *Gotefrido Bullonio, Lotharingiæ Duce*, qui tres vnâ sagittâ Alites, in obsidione Ierosolymitanâ vno ictu transfixit: pulcherrimum hoc portentum est, consensu præstantium scriptorum celebratum, & ab ipsa adeò Lotharingica Familia in Symbolum originis receptum. Sed quod Gotefridus siue arcu siue balistâ in obsidione Ierosolymitanâ præstitit: hoc *Sigismundus Franciscus Archidux Austriæ & Tyrolis*, præterito anno bombardâ, magnâ, dexteritate, in venatiõe, Imperatore & comitatu aulico eius spectante, cum Miluo gyratim se supra capita illorum in aëre librante, exhibuit: dùm eundem ita circumuolantem bombardæ explosæ fulmine & grandine tactum, instar Iouis terrestris, pedibus suis subiecit. Narrant maiores nostri, non multum absimiles jaculatorios ludos etiam *Bauariæ Principes* olim instituisse: nec apud eosdem propriâ

manu cum inuitatis aulicis, nobilibus, patricijs, & plebeis tàm externis quàm incolis, in arenam descendere dedignatos esse: per hanc quoque humanitatem, omnes sibi tam obsequentes & fauorabiles reddidisse, vt præter Deũ & Principẽ suum nihil expetierint. Verùm hoc tempore

Laudamus veteres, sed nostris vtimur annis
Tempora mutantur, & nos mutamur in illis.

Redeant vtinam aurea illa tempora cum germanâ fide, & exulet fucatus Policismus, nobísque tandem in longùm vigeat

Pax secura focis, & tranquillæ otia vitæ,
Et nunquam turbata quies.

Sunt hæc exercitia Iuuenum, virorum, & vigorosorum magis, quàm senum & morbosorum.

Musica. Inter leuia autem exercitia, est *Musica*, quâ sensus exhilarantur, quâ capitur omne, quod viuit: quæ lenit passiones animorum, & sollicitam explicat frontem: hæc tristitiam & melancholiam discutit, curas abigit, & ad leniendos affectus plurimum valet. Laudanda quoque pro leui exercitio, sedatior illa animorum relaxatio, quæ ex virorum eruditorum sermonibus capi non raro potest, dùm illi honestos jocos & doctas facetias apportant: nam virtutis quædam

Conuersatio cum viris eruditis.

exer-

exercitatio est, cum bonis ac sapientibus viris conuersari, qui facetijs mentem demulceant, & ad praeclara facinora acuant.

Quòd si verò desint sapientes; (quis enim nescit, quãta sit sapientũ paucitas, si modò quisquam inueniatur? quanquã ex tot seculis, Graeci septem omninò numerent, quos me herclè, si quis accuratiùs excutiat, dispeream si vel semisapientem inueniet, imò si vel trientem viri sapientis) aut si nil nisi triste adferant, suáq; doctriná freti, non vereantur aliquoties auriculas teneras mordaci radere vero; sique duas illas linguas habeant, quarum alterâ verum dicant, alterâ, quae pro tempore judicarint oportuna: talium sapientum, si quis pertaesus fuerit, moriones, fatuos, ac bliteos vel stultos, vt illud hominum genus appellatur, ad animum exhilarandum, admittat: non solùm enim illi perpetuò gaudent, ludunt, cantillant, rident; verùm etiam caeteris omnibus quacunque se verterint, voluptatem, jocum, lusum, risúmque adferunt, velut in hoc ipsum à Dei indulgentiâ dati, vt humanae vitae tristitiam exhilararent: nam fatuus quicquid habet in pectore, id & vultu prae se fert, & oratione promit: nec vera modò, ve- *Morionũ vsus in exhilarando*

rùm etiam aperta conuitia cum voluptate ab ipſis audiuntur, adeò vt idem dictum, quod ſi à ſapientis ore proficiſcatur, capitale fuerat futurum; à morione profectum, incredibilem voluptatem pariat. Nec quicquam feliciùs iſto hominum genere; principiò vacant mortis metu, non mediocri Iouem malo; vacant conſcientiæ carnificinâ; non territantur manium terriculamentis; non torquentur metu impendentium malorum; non ſpe futurorum bonorum diſtenduntur. In ſumma, non dilacerantur millibus curarum, quibus hæc vita obnoxia eſt. Non pudeſcunt, non verentur, non ambiunt, non inuident, non amant. Denique ſi propiùs etiam ad brutorum animantium inſipientiam acceſſerint, non peccant autoribus Theologis. Quàm verò ad vitam producendã neceſſarium eſt moderatum corporis exercitium, tàm perniciosa è contrà hypochondriacis eſt perpetua inquietudo: quod enim caret alternâ requie, illud ſanè durabile non eſt. Sunt quidam tam duri Catones, qui cœlum potiùs ruiturum arbitrantur, ſi ſe quibuſdam curis, laboribus, moleſtijs, manibus pedibúſque implicare deſiſterent, potiùs vires languidas eneruãt,

Quàm perniciosa ſit perpetua inquietudo.

dies

dies coniungunt noctibus, & requiem non inueniunt. Velut autem eum qui in excessu exercitij peccat, vitam abbreuiare non dubium est: ita vicissim, qui planè otiosè delitescunt, & vitam sedentariam habent, culpâ non vacant: quid enim agunt aliud, quàm vt morbos melancholicos foueant, podagras nutriant, superfluitates cumulent, catarrhis, ophtalmijs, apoplexijs, paralysibus & alijs morbis fomenta ministrent. Quemadmodum non inconcinnè lusit Poëta 1. part. 6. *Otium p̃priũ nocivum.*

Cernis vt ignauum corrumpunt otia corpus,
Vt capiant vitium, ni moueantur aquæ.

Obseruandum itaque hoc symbolum.

Ne quid nimis.

CAPVT XVII.

De Somno & Vigilijs. Excretione & Retentione, & Animi Affectionibus in morbo isto obseruandis.

QVANTVM ad *somnum* & *vigilias* attinet in hoc affectu, sacra mediocritas seruari debet: multum enim ad integrè & commodè viuendum interest, dormiatne homo, an vigilet,

nisi hæc duo sibi inuicem debitè succedant, illicò summa corporis proclamatur confusio: *Somnus* enim, vt nemo non nouit, curarum abolitor, virium stabilimentum est, membrorum lassatorum refocillatio, atque fultura, & vt cõpendio dicam, corporis salus existit. Omnis enim potentia, quæ actum habet determinatum, quandò excedit modum in operando, fatiscit & lassatur, & nisi quiescat, aut ab opere cesset, dissoluitur, ac tandem corrumpitur; necesse ergò est, vt sensus, cùm sit potentia huiusmodi, quiescat: hæc autem quies sensuum in suis actionibus, somnus est: quo reciprocè cum vigiliâ egent animalia, vt in suo esse naturali persistant ac conseruentur. Quamobrem somnus & vigilia teste Hipp: 2. aph: 3. vtrumque, si modum excesserit, malũ, quoniam plurima damna ex horum immoderantiâ & plerumque mors subsequi solent. Sed hæc quæ ob vigiliam accidit, dissolutis viribus, & dissipato natiuo calore tardior est, quàm quæ ob immodicum somnum, retentis excrementis, & suffocato natiuo calore contingit. Non attingendus cibus est, nisi corpus exercueris, hinc quieti locus datur, quæ moderata esse debent:

Somnus in hypochondriacis.

nam

nam quod labor articulis & carnibus, id cibus & somnus visceribus. Argumento sint nobis ij, qui vel vnam saltem noctem insomnem abigunt, totâ die sunt fracti, tædiosi, nauseabundi, oscitantes, debiles, facie alienâ, flatibus & cruditatibus abundantes cernuntur. Ideò qui aliquâ ratione vigilare coguntur, parcè admodũ edant, ac bibant, si salutis suæ curam habere velint. Quanto verò temporis interuallo somno indulgendum sit, ex alimentorum perfectâ cõcoctione id æstimandum venit. Omniũ quippe vna & eadem somni quantitas esse nequit, cùm nonnulli citiùs, alij tardiùs concoctionem perficiant. Quamobrem Galenus, ob diuersam ętatum, temporúmque mutationem & faciem, nullam certam & æqualem mensurauit dormiendi mensuram. De hoc tamen nos non occultauit, somnum minorem horarum 6, aut 7. nec maiorem 8, esse debere, eâ videlicet de causâ, quòd alimenti concoctio in ventriculo ac epate tanto temporis spatio absoluatur. Ad somni tamen quantitatem limitatiùs definiendam, temperamentum, ætas, alimentum & labor antecedens, consideranda. Longior quippe somnus conuenit biliosis, quàm pituitosis, seni-

ſenibus quàm iunioribus, ijs quibus liberalior, quàm quibus frugalior heſterna extitit cœna, nec non & ijs, quibus improbus corporis aut animi præceſſit labor, quàm quibus nullus. Diurno nocturnus præſtat, pomeridianus conſuetudine, vigilijs, ventriculi imbecillitate, curis grauioribus aliiſque cauſis vtilis eſſe poteſt, aliàs minimè. Nunquam ſub Ioue frigido, vel arboribus, quarum vmbræ peſtiferæ ſunt, dormiendum eſt. Expedit à cœna vnam aut alteram horam honeſtè confabulando, aut Muſicæ concentibus, aut alio quopiam modo, lætando tempus tranſigere, quàm ſtatim cœnâ peractâ, ſomnum capeſſere. Forma decubitus, ſecundùm communem ſententiam, ſit in dextrum primùm latus, ad promouendum cibi deſcenſum, vt eo promptiùs cibus in ventriculi fundum deſcendat, dein conuertendum in ſiniſtrum, quo jecur incumbens, cœptam coctionem adiuuet. Decubitus ſupinus, caput, neruóſque offendit, ſtuporem, paralyſin, apoplexiam, & calculum procreat. Pronus verò, ijs potiſſimum noxius exiſtit, qui oculorum defluxione laborant.

Abſoluto ſomno & vigilia, ad *Excreta* & *Retenta* progrediendum eſt. Breuem námque vitam efficiunt, teſte Ariſt: lib: de longit: & breuit: vitæ, excrementorum in nobis prouentus, & eorundem plùs juſtô retentio, cùm inutilia ſint, morbos generant, & vitæ curſum intercidunt, eorum autem præcipuè, quorum corpus multâ prauorum humorum ſaburrâ oneratur. Quod teſtatur Hipp: 2. aph: quando inquit; vbi alimentum præter naturam plùs ingeſtum eſt, hoc morbum facit: oſtendit autem ſanatio. Quemadmodum autem plures ſunt excremẽtitiarum ſuperfluitatum differentiæ, ita varias etiam & diuerſas natura ijs deſtinauit ſentinas, cloacas & emiſſaria. Repleti námque oculi, per eorum cauitates: caput, per aures: cerebrum, per nares & ſternutationem: thorax, per pulmonem & tuſſim: ventriculus, per vomitum & ſcreatum: inteſtina, per aluum: renes, per veſicam: lien, per hæmorrhoides: cutis, per poros & inſenſibilem tranſpirationem (naturâ validâ exiſtente) euacuantur. Quando igitur natura ſuâ ſpontè de dictis membris, & per ea quæ enarrata ſunt inſtrumenta, debito modo, ordine, & tempore ſuperfluitates ſuas excludit &

Excreta & Retenta.

ſecernit, tunc ſalua res eſt, & nulla querimonia. Quòd ſi autem ab actione ſua impediatur, & æger perſentiſcit plethoram illi moleſtam fieri, tunc morbus quicunque in promptu eſt, niſi per artem inanitionis promoueatur: (ars enim naturæ imitatrix) ſi itaque natura, munus diarium conſuetum non perfecerit, ars eidem opitulabitur: ex retentione enim & conſtipatione alui, plurima mala euenire poſſunt, vt catarrhales deſtillationes, aſthma, vertigines, paralyſis, imò & ipſa apoplexia. Nam aſtrictâ aluo, laborat detentis fæcibus caput, ſtatímq; fumis, tetríſq; vaporibus tentatur, vertigo oboritur, hebetantur ſenſus, ſitis, oris amarities, torpor, tædium ferè vitæ, oneroſa denique omnia redduntur, adeòque iniucunda: cor fuliginibus oppletur, jecur concaleſit, obſtruitur: niger aut flauus icterus in aſtrictiore aluo ſuboritur: inappetentia, halitûs fœtor, omnia denique in morbum prona, ſi venter reddendo cõtumax. Aluus itaque ſemper lubrica & mollis ſeruanda: ſiquidem nihil eſt, quod Hypochondriacos magis infeſtet, quàm alui adſtrictiò, viſcerúmque obſtructio. Quod ad remedia verò adſtrictioris alui attinet, certa definitione

Ex alui cõſtipatione qualia proueniãt mala.

præ-

præſcribi nequeunt. Erudito itaque Medico negotium hoc committendum, qui cathartica pro cuiuſque indiuidui temperamento, ætate, regione, humoris prædominio, exhibere poterit: nec fortioribus ſolutiuis, ſed magis laxatiuis vtatur: nam nulla eſt medicina ſolutiua, quæ non aliquam de viribus & ſubſtantia corporis noſtri partem deprædetur: & vti Hipp: docet; medicinæ purgant & inueterant: potius caſſię florem, mannam, rhabarbarum, cum frequentiſſimo Clyſteriorum vſu imperet: omnibus enim ſeculis (inquit Celſus lib. 2. de med: cap. 12.) nihil inuentum eſt mitiùs, nihil benigniùs, nihil vtiliùs, ſi aluus parum ſuo officio reſpondet, quàm Clyſter ſapienter accomodatus; & vbi cætera purgantia, quantumuis mitia ſint, ventriculum peruertunt, appetitum deijciunt, ſitim inducunt, & diu morantur, & alias ſecum trahunt moleſtias: ibi Enemata operationem expediunt ſtatim, trahendo per ſucceſſionem, non tàm quæ ſunt præ foribus, quàm quæ longiùs remota. Quæ vtiq; cauſa eſt, cur Itali hoc inanitionis tutiſſimæ genus ſeruitiale nominent, ceu gratum aliquod ad ſanitatem ſeruitium, quo Magnates Italiæ & Gallię ſingu-

Clyſteriorum vtilitas & beneficium in ſoluenda aluo.

lis mensibus vti solent. Vnde & Gal: inquit, Clyster est juuamen seu medicamen nobile, euacuans ab inferioribus, & diuertens à superioribus, cumprimis autẽ in hypochondriacis, &c. Reliquas inanitionis species, cùm magis pertineant ad Chirurgiam & Pharmaciam, hic fusiùs tractare intermittemus.

Tandem procedimus ad *Animi affectus* siuè *pathemata*, quæ sola affectum hypochondriacũ producere valent, præsentémque miris modis fouent & augent. *Tria generalia animi vitia.* Tria sunt generalia animi vitia, quæ tribus animæ partibus respondent, ad quas scilicet referuntur: Plato enim in Timæo, & 4. de rep: tres tantùm facultates constituit, quas partes animæ vocat, nimirum rationalem siuè intelligibilem, animosam, & concupiscibilem: singularum vt suæ sunt actiones, sic & vitia. Ad primam enim, quæ mentis & rationis author est, referuntur symptomata paraphorica, quæ rationem & intelligentiam, principis facultatis actionem, deprauant; quæ quidem Gal. ad Pathologiam reuocat, quòd grauem aliquem corporis affectum consequantur, nec nisi curato corpore mitescant. Ab animosa verò facultate, quæ in corde sita est, ani-

mi

mi pathemata excitantur, eáque tantò leuiora aut grauiora, quantò illa languidiùs aut vehementiùs commouetur: quæ facultas, licet ſit expers rationis, ei tamen aſſidet, tanquàm auxiliaria, ſed ad cohibendum cupiditatis impetum, ſi quando rationis juſſa reſpuerit. Tertij generis ſunt amarthimata, quæ Ariſt: 5. Ethic. ſunt tantùm leuia errata: ſed apud Xenophont: 5. Pæd: etiam pro grauioribus peccatis ſumuntur. Galenus eo nomine quælibet morum vitia intelligit, ſiuè ex falſa opinione ſiuè ab immenſa quadam gloriæ, pecuniæ, ciborum, veneris cupiditatė proficiſcantur. Ex quibus cōſtat, non ad ſolam vim concupiſcibilem quæ in jecore ſita eſt, ea poſſe referri, cùm multa ex ijs pendeant, partim ab animali appetitu, partim à voluntate, quæ cùm ſit homini propria, ſi rationi obtemperet, nihil appetit, niſi quod ſit honeſtum, & virtuti conſentaneum. Quòd ſi ſenſuum illecebris adhæreat, nec rationis fræno coerceatur, bonis apparentibus deluſa, nihil aliud quàm monſtra vitiorum producit: quæ non ſolùm animi temperamentum, ſed etiam totius corporis œconomiam non rarò peruertunt, & animæ lethum adferunt. Moderare

autem, & ea juxta normam rationis gubernare, ne ſuos cancellos excedant, ſoliùs S. Spiritus auxilio & verbo DEI poſſumus, juxta illud Gen. 4. ſub te erit appetitus tuus. Quomodo autem ſint gubernandi, in eo præcepta omnia Decalogi, tota Philoſophia Moralis, & vniuerſa Iuridica facultas occupata eſt.

Quid ſit perturbatio animi.

Eſt igitur perturbatio animi, motus quidam in ſpiritibus pręceps & inordinatus, turbulentũ & inquietum animũ à via recta rationis agitans. Cùm itaq; animus cũ corpore indiſſolubili quadam vnione cohæreat, vt impoſſibile ſit vnum valere, altero languente: ideò cura haud leuis eſſe debet, frenare & adhibere modum & rationem, graues hoſce impetus & ſanitatis hoſtes compeſcendi. Variæ autem numerantur ſpecies à Medicis perturbationum mentis, quę longæuitatis fila præſcindere conſueuerunt: veluti *Ira, Gaudium, Triſtitia, Timor, Auaritia, Cura, Inuidia, Venus*, & huius generis aliæ. Quæ quoſdam angunt de die, inquietant de nocte, vrgent in aurora, ſtimulant veſperi, vt tandem (ſarcina ingraueſcente) ante diem ſuccumbere neceſſe ſit. Quamobrem Gal: cap. 25. art: medic. ſaluberrimè præcipit, omnibus ab eiuſmodi animi

Variæ ſpecies perturbationum.

affe-

affectibus cumprimis abstinendum esse, eò quòd eorundem magna vis sit ad corpus alterandum, & à naturali statu euertendum: nec ex illis omnibus vllus vsus, præterquam *gaudij* existat: hoc enim solùm teste Fernelio, cor exhilarat, spiritúsque lætitiâ diffundit, natiuum calorem suscitat, sanguinem humorésque extenuat, quibus salus comparatur, conseruatúrque sanitas: animus enim gaudens (vt ait Salomon) ętatem floridam facit: spiritus verò tristis, exiccat ossa; & sane *tristitia* carnificina est, animum hominis exedens, planéque conficiens, ex quo Chrysippus ipsam mœstitiam, ægritudinem appellatam putat, à græco vocabulo lypyn quasi lypsin, id est solutionem totius hominis; nec immeritò: siquidem homo mœrore confectus tabescit, macescit, senescit miser. Vnde non abs re celebratum olim extitit Samij Pythagoræ symbolum. *Cor non comedendum:* quod signat mœrorem ex animo eijciendum: simus ergò in gaudio, in hilaritate: simus animo, quantùm licet, defœcato: simus exporrectâ fronte, non corrugatâ; imitemur Socratem, qui in omni æqualitate fortunæ ac mentis, semper fuit sereno & tranquillo animo. Denique

Tristitia carnificina corporis & animi.

que pro istis animi pathematibus auerruncandis, obiecta grata, & animum recreantia, omnibúsque modis spiritus exhilarantia sectemur: siuè verbis facetis & delectantibus id fiat, siuè Musicâ vocali, aut instrumentorum harmoniâ, concentibúsq; summè mentem reficientibus, quæ non minima solent esse hilaritatis illicia, spiritúsque & animum omni delectationum genere pascunt & erigunt, sensus exhilarant, quâ capitur omne, quod viuit: quæ lenit passiones animorum, & sollicitam explicat frontem, tristitiam & melancholiam discutit, curas abigit, & ad leniendos affectus plurimùm valet. Vno verbo, quęrenda honesta curis solatia, juxta illud Poëtæ

Vtere conuiuis non tristibus vtere amicis
Quos nugæ & risus & joca salsa juuant.

Fides & *Spes*, inquit Celsus, lætitiæ affines sunt perturbationes, & quę ęgris plurimùm prosunt ad sanitatem recuperandam. Erigēdi sunt semper in bonam spem, etiamsi plurima occurrant sinistri ominis: plùs enim potest, inquit Auicenna, ægri bona confidentia in depellendis morbis, quàm omnia Medicinæ remedia; dicíq; vix potest ad hoc, quantùm possit de Medico

Confidentia ægri in Medicum quantùm possit.

dico

dico aniticipata opinio; meliùs enim habet æger ad omnia quæ offeruntur, & faciliùs benè monenti paret. Proinde ex Galen. Comm: 2. ad 1. Progn. Medicus ille plures sanat, in quo plures confidunt. Quantùm *Ira* corpori humano & pręcipuè hypochondriacis noceat, in capite octauo, in quo de causis externis tractatum est, demonstrauimus: patientiâ igitur, continētiâ, & mansuetudine, infrænis affectus iste, frænandus est, & eiusmodi ignis aquâ continētiæ à ratione sublimatâ, & alembicatâ extinguendus est. At quæret aliquis, qui in iracunda affectione, aut irato homine, eiusmodi sedatiuum, ac illud contemperans papauer reperiatur? si in cordis, linguæ, manuúmque hortis maturè transplantetur, colatur, foueatur, & sedulò educetur. Quemadmodū enim transplātatiōe & cultu, cichorea naturâ amara hortulani artificio edulcescunt: ita si colamus & alamus in nobis hanc contemperantiam, hoc est, si docilitati, mansuetudini, moderationi assuescamus, naturam nostram, alioqui agrestiorem & ferociōrem cicurabimus, ac ita moderabimur, vt contrarias facultates ac vires conciliet acquirátque. *Auaritia* quæ comitem semper ha- *Ira moderanda.* *Auaritia.*

bet *Ambitionem* siue *superbiam*, violentissima animi perturbatio est, quę sola hypochondriacos, melancholicos reddere potest: gurgites maris citiùs expleueris, & dolia Danaidum, quàm illos bonorum helluones: cani similes, qui quicquid excipit, protinùs integrum deuorat, & semper ad spem futuri hiat: aut renibus, qui adipe circumuoluti, sicci semper sunt, & aridi: sic isti dùm stipantur vndique diuitijs, & opibus eorũ scrinia restagnant, nunquam tamen ac ne minimo rationis dictamine, honestíque sensu, ad fugiendam auaritiam, sordidósque quæstus muniuntur. Nam præter animi perpetuam sollicitudinem, metũ, & angorem, quam fouent die noctúque, etiam parcissime edunt & bibunt, & subinde corrupta quæque: ex quibus omnibus nihil in corpore præter salsum sanguinem, retorridũ, impurum, ac pessimos humores valetudinem labefactantes gignunt: vnde redduntur valetudinarij, & de perpetuis doloribus cõqueruntur. Cúmque æstiuis & hybernis tempestatibus sese negotiando citra quietem torqueant, nec corpus aduersus aëris iniurias sufficienter muniant, quas nõ cruditates, incoctiones, obstructiones, affectus hypochondriacos

&

& melancholias, innumeróſque alios affectus cauſant? quibus vt medeantur, quid agunt? abſtinentiâ nempè nimiâ, ſeu parſimoniâ ſibi familiari vtuntur pro refectiõe: in purgantis verò medicamẽti vicem, ſi adſtricta ſit aluus, drachmam vnam granorum ebuli, rhabarbaro alioqui cariori ſubſtituunt, vſi alicuius veneficæ conſilio: ne apud medicos & pharmacopœos ſumptus vllos faciant. Tandem huiuſmodi auari, ſi bonorum aliquam jacturam patiantur, eo adiguntur, vt ſibi laqueo vitam eripiant, vel in puteos præcipites ſe dent, vt hâc ratione corpus & animam juſto Dei judicio perdant. Auaritiam ſequitur portentoſum mõſtrum *Inuidia*, quod longè horribiliore, & magis execrandâ ceteras vincit pernicie. Ambitio ſiquidem virtutis ſpeciem ſuſtinere videtur: auaritia boni alicuius imaginem ſimulare, quo ſibi & poſteris conſulat: at inuidia nihil habet, quod jure fucũ ſuæ perturbationi comparet: ſed ex felicitate alterius ſuum contrahit infortunium, & ex alterius infortunio ſuam ſibi conciliat felicitatem. Inuidus eſt alter Prometheus, cuius cor à vulture acerbiſſimis, ijſq; aſſiduis cruciatibus eroditur & vellicatur: ipſum theatrum, ipſum ſuppli- *Inuidia.*

cium, ac simul sui carnifex: cui tabes illa instar hirudinis sanguinem exhaurit, medullas exiccat, ossa absumit, vt macie, pallore, squalore, & habitu corporis prorsùs deformi & horrido sceleton potiùs quàm hominem referat. *Ambitiosus* itaq; per humilitatis panaceam: *Auarus* per liberalitatis præcipuè verò in pauperes Eleemosinæ Gazophylacium: *Inuidus* verò per beneuolentiæ media nutriri & curari debet. Spirituališ remediorum electionem, in aureis opusculis magni animarum Medici R^{di}. *P. Drexelij* qui volet inueniet, cum theologica magis quàm medica in his animi perturbationibus requirantur media.

Venus. Restat adhuc *Venus* siue Amoris perturbatio, velut aliarum radix & scaturigo: inde enim oritur æmulatio, ab æmulatione ira & furor, à furore vindicta, &c. quæ animum nocte dieque contorquent: acutissimos reddit stupidissimos, & qui judicio pollent, dementat: prudentissimos ad insaniam redigit, moderatos effrænat, & hominem in brutum commutat: nec modò juuenilis ætatis homines, sed etiam senes, qui prudentiæ prærogatiuam sibi vendicant. Nam nestoreâ senectâ senem videas, cui jam ne species quidem hominis superest, balbum, delirum,

rum, edentulum, canum, caluum, vsque adeò amore venereo & vitâ delectari, vt alius tingat canos, alius appositítiâ comâ caluitium dissimulet, alius dentibus vtatur mutuo fortassis à sue quopiam sumptis; hic in puellam aliquam miserè depereat, & amatorijs ineptijs quemuis etiam superet adolescentulum. Nam vt capulares jam, meráque silicernia, teneram aliquam juuenculam ducant vxorem, eámque & indotatam, & alijs vsui futuram, id adeò frequens, vt propemodum & laudi detur. Sed multò etiam suauiùs, si quis animaduertat, anus, longo jam senio mortuas, adeóque cadauerosas, vt ab inferis redisse videri possint, tamen adhuc catulire, & magnâ mercede conductum aliquem Phaonem inducere, fucis assiduè vultum oblinire, nusquam à speculo discedere, tremulóq; gannitu languentem solicitare cupidinem, potitare, misceri puellarum choris, literulas amatorias scribere, &c. Ridentur hæc ab omnibus tanquam, vti sunt, stultissima: at ipsæ sibi placent, & in summis interim versantur delicijs, totásq; se melle perungunt. At si spectemus morbos ex amore venereo prodeuntes: videbimus quòd corporis & animi mollitiem pariat, lan-

guores, lipothymias, ſyncopes, paralyſes, cruditates, omnis generis arthridites, vigilias perpetuas, omnem corporis œconomiam vitiet, vt ſubtumidi, pallidi, liuidi, & omni vegeto deſtituti colore huiuſmodi homines conſpiciantur: quin& luem illam veneream tàm famoſam, leprámque quâ totum corpus in fruſta putrida ſoluitur, progignat.

Ideò eius exceſſum, inquam, tanquam venenum peſtiferum fugiendum, ita etiam vt natura ad actum venereum exercendum ſtudiosè nullatenus inuitetur. Credatur hic Auicennæ, lib. 3. natural: dicenti, quòd aliquis plùs ſibi noceat excretione ſeminis (audite venerei) quàm ſi quadrageſies tantum ſanguinis effudiſſet. Nam ſpecta mihi ſeminis primordia, non tantum ex ſanguine ortum habet, ſed diuiniore origine gloriatur. Plenum quippe ſemen ſpiritibus eſt, qui ſingularium partium Idæam continent, ſexuum diſtinctionem, viuendi moriendíque fatale imperium tenent, quibus velut inſtrumentis natura corporis architectrix partes delineat, membranas extendit, canales in longum producit, & velut ſufflatione quâdam perforat. Veneris ergò exceſ-

ſus,

ſus, teſte Bartholomæo Montagnana, vltimos medullis immittit aculeos, vt accedente ſenio incurabiles & effœminatas paſſiones, quibus mors præeligenda foret, adducat. Plures mea opinione Venus, quàm gladius interficit. Vnuſquiſque igitur in palæſtra amatoria ſemetipſum noſcat: nam qui ſibi notus erit, ſolus ſapienter amabit.

Remedium autem, qui nimium ab hac animi perturbatione exagitantur, primum & vniuerſalè quærant à Deo tanquam ſupremo Medico, iudicia eius in ſe acerba reformident, cœleſti beatitudine æternùm carituri: proponatur quoque & prædicetur à fideli Medico periculi metus, vt monitis ac pręceptis alacriùs obtemperent ægri. Suadeatur etiam viuendi ratio perparca & ſobria, quę mirum in modum huic perturbationi animi conducit: ſine Cerere enim & Baccho friget Venus. Otium fugiatur: ad venerem enim exercendam proni ſunt, qui otio torpent. Proponatur etiam infelix exitus aliorum & ſubſequentes miſerabiles affectus, torſiones nempe, dolores, putredo, fœtor, lues venerea, cancer vultum ac totum corpus virore ſuo depaſcens, & id genus

alia

alia symptomata, quæ sine funere perpetuum funus indies minantur, ac cruciatus ipsâ morte ferociores eiusmodi ægris pariunt. Quibus omnibus succedit horror, turpitudo, infamia, dedecus. Atqui de immoderata hæc dicta sint venere, quæ hypochondriacis quoque summè nociua est. Moderata verò venus, quibus ratione status & matrimonij in sanitatis tutelam eâ vti licet, exhilarat mentem, corpus degrauat, confortat sensus, fomitem melancholiæ expellit, & dolori capitis, lumborum, hebetationique oculorum medetur, multas denique prohibet ægritudines, si rarò, leniter, & cum vxore exerceatur. Aurea igitur mediocritas, si in omnibus rebus vt Hippocrati placet seruanda sit, profectò in venereorum vsu obseruanda est. Medicè itaque, hoc est modicè & temperanter viuamus, vt optimè & verè ac jucundè viuamus: nullâ enim (vt cum doctissimo Fernelio concludamus) calamitate vel ærumnâ premetur, qui vitæ fundamentum jecerit *Temperantiam*.

EX.


EXPERIENTIA
SENUM
AGILITAS
IUVENUM
ADVERSA
FORTITER
DVBIA
PRVDENTER
CHIRVRGIA

EXPLANATIO

Secundi Emblematis.



Vrationem Melancholiæ hypochondriacæ cũ ex triplici desumamus fonte, diætatico nempe, chirurgico, & pharmaceutico: diætetico modò prælibuto, ad chirurgicum procedimus, qui præsenti Emblemate proponitur. Est autem chirurgica operatio, salutis restituendæ, vel conseruandæ gratiâ, manuum Medicarum salubris & artificialis ad corpus humanum admotio, quæ in hoc affectu, aut per conuenientem venarum apertionem, aut per fonticulorum inustionem, aut per hirudinum dexterrimam applicationem, perficitur. Cúmque ad similes operationes, in Chirurgo potissimùm, manuum requiratur firmitudo, robur, dexteritas, & promptitudo, sensuum omnium, maximéque visus integritas: hæc autem requisita in iuuenibus frequentiùs, quàm in senibus reperiantur: ideò iuuenibus agilitas in operando, senibus verò experientia, in peractis & perficiendis operationibus adscribitur; & propterea in aduersis, iuuenibus fortiter & animosè operari, senibus autem, in dubijs, prudenter procedere, & consilia sua experta proponere licebit.

CAPVT XVIII.

De Curatione per Chirurgiam Melancholiæ Hypochondriacæ, & primò per venæ sectionem.

Quales venæ secãdæ sint in hoc affectu.

HIRVRGIA succedit, quæ in causæ antecedentis amolitione, non vltimum sibi locum vendicat: absoluitur illa vel phlebotomiâ, vel eius vicarijs. Si itaque plethora adest, venæ sectio institui potest: nam inde calor vasorum & viscerum ventilatur, chyli & serosi humoris plus exugitur substantiæ, & obstructioni præpeditur locus. Factâ igitur priùs alui lenitione per clysterem, si materia cruda in intestinis hæreat, aut per lenientia, si in ventriculo & venis meſaraicis materia vitiosa stabuletur: si plethora sit in capitis vel cerebri venis, statim vena Cephalica secanda est, & quidem lato foramine transuersè secundùm latitudinem suprà juncturam, non sub eâ, neque in eâ; nonnunquam etiam per longitudinem, si secundatione opus fuerit; si verò simul in capite & toto corpore, vitio cordis aut epatis, vena Media brachij dextri per longitudinem; si in liene & hypo-

hypochondrio ſiniſtro, Baſilica cubiti ſiniſtri transſuersè ſecundùm latitudinem, vel vena inter medium & annularem digitum, ſiuè inter annularem & minimum, Saluatella dicta, ſecũdùm rectitudinem ferienda eſt. Verùm Andreas Laurentius Anatom. 5. cap. 2. Bauch: in Theat: anatom: 4. cap. 13. Galenus de Anatomica administratione lib. 3. cap. 5. de Saluatella hęc ponit. Quædam pars venæ ad minimum digitum vergit, quam venam nonnulli in ſiniſtra manu ſecantes, ſinentéſque ſanguinem ex ea fluere quouſque vltrò ſiſtatur, lienem ex tali euacuatione juuari adſerunt. Et ſanè abundante humore craſſo, ſanguineo, aduſto in venis, præſens eſt remedium, quum ventilet feruorem eius, & per ſucceſſionem arteriarum ſanguinem euacuet & refrigeret vt ſupra dictum: è magna verò vena craſſus ſanguis meliùs fluit, cúm tali ſanguini copioſum ſit ſerum. Ex Saluatella plus ſeri quàm ſanguinis exudat. Sunt tamẽ qui ſibi & alijs perſuadent, ab alto trahi ſanguinem, quem eructando Saluatella deponit, corpus, & præcordia, neſcio quomodò inde meliùs habere. Ego tamen non ſine ſuperſtitione illam obſeruari venam puto, quum ramum ſibi imagi-

Medicorũ opinio de apertione Saluatella.

nentur ibi perrepere ex vena cordis: quare auro muniunt digitos illos postremos, vt cordi virtutem communicet. Quòd si ab hæmorrhoidibus suppressis, in corpore aliquid melancholici oriatur, vena malleoli seu Saphena aperienda est, quæ si magna sit & turgida, transuersè secundùm latitudinem, sin obscura, per longitudinem findatur. Quod etiam conueniet, si malum à mensibus suppressis originem habeat, vel augeatur: per venarum enim in pedibus apertionem, menstrua prouocari possunt.

In venę sectione autem ritè peragenda, à Medico & Veniseca, sequentia probè obseruanda veniunt.

Quæ sint obseruanda in venæ sectione.

I. Vt Medicus ex præscripto Galeni semper huic sectioni venæ intersit, & qualitatem sanguinis fluentis diligenter obseruet: nàm si ille planè nō videatur esse melancholicus, eò quòd succus ater sanguini non sit exactè mixtus, supprimendus est; si verò appareat melancholicus, tunc pro viribus atque habitu corporis ægrotantis, detrahere licet, quantum satis fuerit. Neque tamen semper sanguis, etiamsi in principio sectionis subtilis effluat, statim supprimendus est, cùm sæpenumerò eueniat, vt præcedat sanguis

guis

guis ſubtilis, & deinceps craſſus ſubſequatur.

II. Vt ſanguine in corpore pauco exiſtente venæ ſectio ſuſpendatur, cùm tunc ſanguis calidus & humidus, tepore & vapore ſuo mitiſſimo, vitali ſpiritui, nec non animali, adeóq; partibus omnibus in corpore natis & educatis, per proprios ductus ceu radios quoſdam, ſeſe fomentum ſalutare & viuificum ſpiraculum exhibens, malitiæque melancholię & eius ariditati ac frigiditati reſiſtens, educatur: vnde in hoc caſu meliùs fuerit, humorem crudum & melancholicum priùs pręparatum educere & purgare, quàm venam ſecare.

III. Vt inciſio venæ, ſeu foramen, quandóque amplietur, ne per anguſtam inciſionem ſanguis tantùm tenuior effluat, & quod craſſum eſt, relinquatur, ſicque illius malitia augeatur; tum etiam, ne tumor circa ſciſſuram excitetur.

IV. Vt diſſectâ venâ, vinculum aliquantulum laxetur, ne craſſioris ſanguinis effuſio præpediatur.

V. Cùm maiores aut minores venæ ſint incidendæ, Veniſeca ſcalpellum ad venam aperiendam habeat idoneum, benè acutum, ter-

ſum, maius, minuſuè, cuſpide planiore, vel magis acuminatâ, prout maior minoruè vena fuerit aperienda. In cubito acutiora, in manibus pedibúſque planiora locum habent.

VI. Studioſè attendat Chirurgus, ne juſtò altiùs attrahatur cutis à vena ſubiecta, ex quo fit, vt relaxato poſtmodum vinculo, cutéque in locum ſuum redeunte, os venæ inciſæ obſtruatur, ſanguiníſque fluxus intercipiatur, demúmque ſugillationes, tumoréſue circà locum venæ ſectæ ſuboriantur.

VII. Quæcunque autem ſecetur vena, diligenter cauendum, ne arteria aliqua, neruus, vel tendo vulneretur: ſub Baſilica enim arteria comes deliteſcit: ſub Communi ſiuè Mediana, neruus: ſub vtriſq; muſculorum tendines plerumque ſubſternuntur. Nam hinc maximæ & impetuoſæ ſanguinis arterioſi hæmorrhagiæ, & aneuryſmata, intumeſcentiæ quoque & indurationes dolorificæ, cū periculo inflamationis, gangrænæ & ſphaceli totius alicuius membri, cauſantur. Cephalica tutiùs ſecatur, cui neq; neruus, neque arteria ſubiacet. Non vrgendi ideò tam ſcrupuloſè à Medicis ſunt Chirurgi, de vena certa, ſi ſinè manifeſto periculo fieri non

poteſt,

potest, aperienda, sed proximè illi adiacens, & quę sinè metu maioris mali secari potest, substituenda: omnes enim minores, qui tàm sollicitè à quibusdam Medicis distinguuntur rami, à maioribus truncis venarum, originem, vti ex Anatomiâ patet, desumunt.

VIII. Vno eodémque tempore & die, diuersis in membris inter se oppositis, duplicata venæ sectio nunquam instituatur: maxima enim inde in corpore, præsertim in hepate, fit sanguinis & humorum agitatio, fluxus & refluxus ad contrarias partes simul: vocatur talis, Neroniana venæ sectio, idque non immeritò; olim enim apud Tyrannos, huiusmodi venæ sectio, genus erat supplicij, quo suos intimos saltem amicos, veluti ex gratiâ afficiebant, vt apparuit in Seneca: meritò ergò tanquam barbarica excludenda.

An in venæ sectione ex calendarijs cursus siderũ & eorum influxus cum signis Zodiaci sint obseruandi.

IX. Cùm Populus lectione calendariorum, quæ singulis annis noua prodeunt, Astrologorum nugas obseruet nimis curiosè, qui signa Zodiaci singulis corporis partibus attribuunt, & quũ Luna vel Sol in eiusmodi sunt signis, nefas esse putant, illis vti remedijs, quæ partes illas spectant, quibus eiusmodi signa præesse creduntur.

duntur. Alij concursus & oppositiones considerent Astrorum cùm purgandum est, aut sanguis mittendus, vt quādo Luna cum Sole coniungitur, piaculum esse censeant hæc remedia adhibere. Auicennas quoque fen. 4. lib. 1. cum Hipp: & Galeno lib: de aëre, aquis & locis, jubeant obseruare magnas temporum mutationes, & solstitia, vt neque medicamenta in illis exhibeamus, neque vramus, neque secemus, priusquam prætereant decem dies & plures, propter mutationes caloris, & frigoris variationes, quæ in solstitijs, æquinoctijs, sub cane & ante canem, & ex quorundam syderum ortu oriuntur, quia illis temporibus morbi finiuntur vel immutantur; quæ Hippocratis sententia intelligenda est, propter mutationes repentinas aëris. Quibus sideribus quidam addunt Lunam, cuius maxima vis est in hæc inferiora, eámque humoribus maximè dominari experientiâ constat, quod etiam Galenus confirmat, 3. de diebus decretorijs.

Verùm si omnes hæ Hippocratis & Galeni obseruationes veræ sunt, vix supererit remedijs locus: nàm in singulis æquinoctijs, solstitijs, circà ortum & occasum Arcturi & Pleiadum, quie-

scen-

ſcendũ erit per decem dies, ante Canem & ſub Cane, per dies ad minimum quadraginta, ſic in omnibus Lunę oppoſitionibus, coniunctionibus, quadratis aſpectibus abſtinendũ erit ſecundũ Aſtrologos. Quæ omnia ſi ſuperſtitioſè obſeruentur, nullus relinquetur remedijs locus, etiamſi ea negligamus ſidera, quorũ vires nondum ſunt obſeruatæ. Aſtra igitur in curatione morborum ſpectanda non ſunt, quatenus ſunt in cœlo, ſed propter vires ſuas & alterationes eas quas in aëre faciunt. At quæcunque demum ſit aëris alteratio, ea neque pariter omnibus vtilis eſſe poteſt, neque noxia ad euacuationem, ſed quibuſdam proderit, alijs nocebit, prout varia eſt hominum conſtitutio: quoniam ſiderum vires, quæ ſemper ſunt vniuerſales, eodem tantùm modo agunt, & quibuſdam nocent, alijs proſunt, ſecundùm variam morborum, & ægrotantium naturam, ætatem, regionem, anni tempus, aliáſque eiuſmodi circumſtantias, quæ cauſarum vniuerſalium virtutem determinant. Deinde aſtrorum concurſus cauſa tantùm eſt procatartica & vniuerſalis, quæ internas ſuſcitat & agitat: hæ autem ex proprijs ſuis ſignis cognoſcuntur, nec opus eſt a- *Opinio noſtra.*

ſtra conſiderare, ſed tantùm motiones cauſarum internarum, quæ tempora morborum conſtituunt.

Quapropter cùm reuera plurimi Medici parum curaſſe viſi ſint aſtrologicas iſtas obſeruationes: in ſolſtitijs & æquinoctijs plurimos viderim ægrotantes, quibus ſalutariter adminiſtrata fuêre prædicta remedia, quæ ſi omiſſa fuiſſent, forſitan æger priùs perijſſet. In vrgentibus itaque morbis, vt in apoplexiâ, anginâ, pleuritide, febre ardente, periculoſum eſt propter cœli diſpoſitionem, neceſſaria remedia vel omittere, vel differre. Nam morborum tempora, naturæque actionem potiùs ſpectare oportet, & ex eiuſmodi obſeruatione, remedia modò hæc, modò illa, quæ varia varijs temporibus morbus exigit, præſcribere. At cùm præcautionis gratiâ, vel catharſin, vel phlebotomiam Medicus imperat, licebit obſeruare quatuor Lunæ quadras, & primis potiùs quàm poſtremis prædictis vti, quoniam Lunæ in humores manifeſtum eſt imperium, eâ creſcente augentur, decreſcente minuuntur. Poterunt pariter æquinoctia & ſolſtitia vitari. At in ægris abſque periculo prædicta nequeunt obſeruari,

In præſeruatiua cura poſſunt obſeruari ſigna aſtrorum, ſiue mutationes illorũ.

cùm

cùm morbi tantas moras non patiantur: sed ſemper reijcienda ſunt Aſtrologorum placita, de dominatu ſignorum in ſingulis corporis noſtri partibus, cùm abſurdum ſit vnum ſydus huic, aliud illi parti præeſſe, quoniam omnia ſydera omnibus partibus præſunt, nec agunt immediatè, ſed per aëris alterationes, â quibus totum corpus immutatur.

Ludouici Septalij admonitio in vena ſectione.

Vt autem phlebotomia eò meliùs in hoc affectu procedat, neutiquam pretereunda eſt vtilis admonitio & diſtinctio Ludouici Septalij quam habet lib. 6. caut: medic: animad: 85. pag: 181. cuius verba hæc ſunt. In miſſione inquit ſanguinis per ſectam venam, quamuis ſciam pleróſque Galeni autoritate innixos hâc vti diſtinctione, vt viribus conſentientibus & morbo magno ſecetur vena, & ſi ater effluat ſanguis, ad debitam quãtitatem educatur, ſin ſubtilis & rubens, vbi ad vncias tres effluxerit, ſupprimatur: perpetuò tamen hoc obſeruandum non eſt; aliquandò enim aliquâ datâ occaſione affectus hic (melancholiam puta) in cerebro optimo ſanguine exiccato, ſi in vniuerſo abundauerit ſanguis, & toroſæ fuerint venæ, ſanguíſque in ijs nullam conceperit labem, ſed

copiâ ſolum peccet, ſecanda quidem erit vena, & ſanguis etiamſi ſubtilis & rubens effluat, omninò in debita quantitate erit euacuandus, vt reuellat à capite, & impediatur, quò minùs in nigram bilem vertatur & melancholeſcat (hoc eſt, tenuioribus partibus abſumptis craſſiores relinquantur) Galeni igitur ſententia vera erit, vbi non adſint veræ plethoræ ſigna, tunc enim pro reuulſione expedit ſecare venam, & ſi nigrum effundi viderimus, cùm in venis magnis abundare nigrum ſanguinem conſpexerimus, effluere ſinemus: ſin verò ſubtilem & rubrum, ſiſtemus, quòd potiùs aptus ſit melancholicum ſanguinem in ſupernis exiſtentem attemperare, & ad benignam naturam reuocare.

CAPVT XIX.

De applicatione Cucurbitularum, Hirudinum, & Fonticulorum inuſtione.

Vicaria Phlebotomiæ remedia.

ICARIA Phlebotomiæ ſeu chirurgica præterea auxilia (quæ tamen nō niſi corpore priùs probè expurgato in vſum commodè trahi poſſunt) ſunt frictiones extremarum partium earundémque ligaturæ, cucurbitulæ

non

non ſcarificatæ, (ſcarificatæ enim in hoc affectu extrà conſuetudinem improbantur, vtpote quibus ſubtilis extrahitur ſanguis, craſſus verò in corpore relinquitur) prouocatio item, ſi affectus ſit pertinax, hæmorrhoidum, nec non applicatio ſanguiſugarum ſeu hirudinum, præſertim ſi cappillares venę atro ſanguine turgent: cùm etiam per illas, ex portæ venis educatur humor crudus & craſſus. Nonnulli hìc, ſi flatus valdè vrgent, etiam leues cucurbitulas hypochondrijs affigunt, ad illos diſcutiendos. Imò Hieronymus Mercurialis, magnas & cum multâ flammâ vmbilico admouet, cùm illæ veluti incantamentũ quoddam, dolorem ex flatuoſo ſpiritu ortum, confeſtim leuent. Quòd ſi malum diutiùs duret, aliqui Fontanellam ſuprà ſplenis vel ventriculi regionem inducere ſolent. Alij pro auerſione vaporum à capite & corde, extremorum frictiones, lotiones, ſcarificationes, fonticulos in brachijs & cruribus excitant. Quæ omnia ſingulis verè temporibus, & vbique paſſim practicantur, cum optimo ægrorum comodo. Sed de Hirudinibus & Fonticulis cùm in quotidianum ferè vſum medicum veniant, fuſiùs parum tractabimus.

Applicatio cucurbitularum ſine ſcarificatione contra flatus.

Hirudinũ applicatio & selectio.

Hirudines itaque in hoc affectu sæpiùs ano admouentur, vel ad euacuandas hæmorrhoides intumescentes, vel ad easdem prouocandas. Est autem hirudo, vermis quidam aquaticus, oblongus, figurâ lumbrico penè similis, vel caudæ muris, vt ait Auicenna: habet autem in sua extremitate maiore, quã caput est, osculum rotundum, & in eo, tres aculeos, valdè exiguos, quibus & cutem pungit, & eidem hæret, interim, per vlcuscula exugendo, sanguine turgescit & distenditur, quod paucis expressit Horatius, dum ait

Non missura cutem, nisi plena cruoris hirudo.

Auicenna, ex Indorum Philosophorum sententiâ venenatas esse ait, quæ magna habent capita, virides, splendentes, & nitedularum more emicantes, lineas cæruleas in dorso habentes, & cuipiam serpentum generi similes: & eas similiter, quę in cœnosis & vitiosis aquis viuunt. Ob id enim, ab his omnibus cauendum esse existimant, quod suo venenato morsu, phlegmonem, maligna, & insanabilia vlcera pariant, syncopen, sanguinis immodicum profluuium, febrem, & lassitudinem inducant. Plinius etiam, rufas maximè formidandas esse ait. Eas autem

eligendas esse volunt, quæ sunt colore hepatis, tenues, teretes, parua capita, ventrem rubrum, & dorsum viride habentes, & in dorso, lineas aureo colore micantes, & quæ in aquis salubribus, & fluentibus degunt. Recens captæ, ad vnum diem in aqua limpida seruantur, modico sanguine (inquit Galenus) in alimentum ipsis obiecto, vt earum virus exprimatur: sed non liquore perlarum, vt quidam Chirurgulus empiricorum astutissimus & mendacissimus Lutetiæ fecerat: qui sex aureos postulabat, quòd hyrudines duas ęgroto admouisset; quod cum mirarentur multi, maiorem, inquit, mercedem deberem efflagitare, quia mensem integrum illa duo animalcula liquore perlarum cibaui: de quo Ioh: Dan: Horstius in suo Dispensatorio vniuersali nuperrimè edito. Deinde, in aquam tepidam, vase lato contentam, im̃ituntur, vbi spongiâ à mucore & sordibus repurgatę, rursùs in aquã limpidam im̃issæ, ad vsum reseruantur in vitro linteamine lineo simplici tecto: cùm nec vesicam, nec chartam pro tegumento ob aëris priuationẽ admittant, sed vnica nocte erodãt. Vsus tempore, pars, cui admouẽdę sunt, linteo calido, vel nitro fricanda est, donec rubescat:

bescat (quamuis etiam sine partis frictione pungant) tum, per caudam linteo mundo prehendendæ, & parti admouendæ sunt: quòd si locus sanguine liniatur, auidiùs adhæreſcunt. Alij per fistulam, aut arundinem, quatuor aut quinque simul fistulæ imponendo, in partem laborantem demittunt priùs scalptam aut leuiter incisam ex Gal: cap. 1. lib. de Hirud. & Oribaſ. cap: 15, lib: citati. Si modicè attigerint, caudas ipsarum forfice incidere expedit: sanguine enim effuso, attrahere non cessant. Cùm verò eas decidere voluerimus, salem, cinerem, aloem, aut linteolum vstum, oribus earum aspergimus. Suâ etiam sponte sæpè decidunt, satietate, & pondere ipso sanguinis detractæ. Aliquandò tamen, affixa relinquunt capita, quæ causa, vulnera insanabilia facit; & multos interimit: sicut Messalinum è Consularibus Patricijs, cùm ad genua admisisset. Ergò sugentium ora forficibus præcidunt (inquit Plinius) ac, veluti siphonibus, defluit sanguis, paulatimq; morientium capita se contrahunt, nec relinquunt. Postquàm exciderint, tutiùs erit, cucurbitulam loco admouere, vt virus educatur. Si cucurbitula admoueri non potest, abluatur locus a-

quâ

quâ calente salsâ. Quòd si sanguis supra modum fluxerit, linteolum ex aceto madidum, vel galla vsta, vel aranea tela imponatur. Si verò vlcuscula, veluti lachrymas fundant, fabaceâ farinâ aspergenda erunt, & lanâ, modico oleo imbutâ, obuoluenda. Itaque trifido morsu cutem vulnerantes, si venam attingunt, copiosum sanguinem etiam ex alto exhauriunt: alioqui partem cui applicantur, tantùm euacuant; quò fit vt exugendis vitiosis humoribus habitum occupantibus potissimùm conueniant.

Verùm de hæmorrhoidalibus venis Medici dissentiunt. Hieronymus Fabricius ab Aquapendente, de operat: chirurg: cap. de hæmorrhoidibus: & Ioh: Riolanus Anthropographiæ lib. 2. cap. 17. statuunt hæmorrhoides duplices, internas, à vena Portæ, & externas, à vena Caua ortas. Atq; venas illas è Porta antiquis notas, has verò à Caua incognitas esse, eâ de causâ, quòd hæmorrhoides quę à Porta proueniunt, sanguinem crassum nigrum & feculentum euacuent, adeóque morbis melancholicis & à lienę ac venâ Portæ ortis prosint, vti Gal: 3. aph. 4. 6. aph. 11. 12. 21. 47. 48. 2 ad Glauc. 6. epid. comm: 3. & comm. 6. t. 8. Quæ verò à Caua, plerumque te-

Medicorũ dissensio de hæmorrhoi dalibus venis.

nuiorem & serosiorem euacuent. Hinc non sine causâ quæritur, an vtræque, seu à natura seu arte apertæ, idem in hypochondriaca affectione comodum præstent: statuunt enim supra citati Medici, hæmorrhoides internas prouenire à ramo venæ portæ hæmorrhoidali, externas verò ab hypogastrico, illásque recti intestini partibus internis inseri, has, in partes externas, ani musculos scilicet, disseminari; hæmorrhoidalem Portam esse vnicam, sociámque habere arteriam à mesenterica infrà ramos producentem; hæmorrhoidalem verò Cauæ, esse duplicem, vtrinque vnam, & vtramq; comitem habere arteriam ab hypogastrica deriuatam: ac proinde per illam Portæ, cacochymiam, per has, venæ Cauæ plethoram euacuari. Proinde Medicos reprehendunt, hæmorrhoidibus addictos, quòd dum externas aperiunt, purum aç tenuem sanguinem extrahant, crassum & impurum intus relinquant. Verùm enim verò, licet hęc verissima sint, neque negandum, externas hæmorrhoides non satis commodè aperiri ad humorem melancholicū euacuandum, nisi spontè à natura aperiantur: in hâc tamen controuersiâ, sequentia diligēter animaduertenda.

Sit

Sit quòd antiqui exquisitam originem externarum hæmorrhoidum à vena Caua prodeuntiũ ignorauerint, tamen illas extrà considerationem originis negligere, aut inobseruatas relinquere non potuerunt, vtpote quas oculis obuias habuerunt, quásque sæpè vsserunt. Vnde facilè colligitur, per hæmorrhoides externas, etiam atros & alios vitiosos humores, qui circà lienem & epar colliguntur, euacuari. Cùm enim antiqui affirment, per hæmorrhoides euacuari hepatis materiam feculentam, bilémq; atram; esse maximum melancholiæ remedium; lienem induratum sanare, &c. facilè hinc patet, experientiam ipsam eos edocuisse, atros & alios vitiosos humores circà lienem & epar, in venæ portæ ramis collectos, per eos euacuari, neque eos antiquos ignorasse: hócque ita se habere, quilibet in praxi quotidie obseruare poterit. Si enim eos qui ex hęmorrhoidibus commodum percipiunt, inquirat, omnes ferè hypochõdriacos esse animaduertet. Si porrò quęrat, vtræ hæmorrhoides fluant, externæ vel internæ: in plerisque externas fluere, ægrísq; etiam hypochondriacis cõmodum afferre; internas verò rariùs aperiri, & proinde per illas, non solùm ple-

thoram, ſed & cacochymiam euacuari intelliget. Licet verò etiam interdum tenues quidam humores, & ſanguis rubicũdior, per eas euacuari videatur: tamen is non purus eſt, ſed ſeroſus & ſalſus, ac ichor etiam ſine ſanguine profluit. Colliguntur verò in venę Portæ ramis non ſolùm humores craſſi & nigri, ſed etiam ſæpè ſeroſi & ſalſi. Etſi verò, à diuerſis venis hęmorrhoides internæ & externæ ortum habeant: tamen quia eidem inteſtino recto inſeruntur, cõmunicationem quandam horum vaſorum eſſe, & oſculis ſibi mutuò occurrere, & ex hęmorrhoidibus internis, humores vitioſos externis etiam communicari, & per eas effundi, res ipſa, & quę quotidiè circà ęgros accidunt, loquitur; cùm videamus, affectibus hypochondriacis laborantibus, hęmorrhoides etiam externas fluentes plurimùm prodeſſe.

Hæmorrhoides nunquam ſcalpello ſed hirudinibus ſolum aperiendæ.

Cœcæ itaque, hoc eſt nondum apertæ, ſed ſuppreſſæ, cũ in ęgro aliquo appareant hęmorrhoides præſertim cùm ſunt dolorificę, tumentes, & inflammatæ, nunquam lanceolâ vel alio inſtrumento, aut ſcalpello, aut phlebotomo, ſed hirudinibus ſolis aperiendæ ſunt: hę enim appoſitæ, placidè & ſenſim ſanguinem exhauriũt,

cùm

cùm econtrariò sectæ, aut imedicabilia & fistulosa causent vlcera, aut tantum sanguinis effundant, vt nullis auxilijs, nec cauterio sisti possit, sed sanguine nimium fluente, viribúsq; exhaustis, æger subinde exanimis occumbat. Quod accidit Ioañi Austriaco Duci strenuissimo, Caroli Quinti Imper: Filio, qui plurium Medicorũ consilio, cùm hæmorrhoidibus laboraret, admoto scalpello, largâ secutâ hæmorrhagiâ, nullis proficientibus auxilijs, intrà quatuor horas è vitâ migrauit, vt refert Dionysius Daca Chirurgus Hispanus famigeratissimus. Sunt etiam abhinc aliquot anni, à quibus, ob melancholiam aliquam, religiosus, ano hirudines apponendas sibi curaret: ecce Chirurgi digitos hirudo subterfugiens, & per rectum intestinũ ingrediens, altiùs penetrauit: consternabatur in principio Chirurgus cum ægro, præsertim cùm nullum vnquam huius exempli audiuissent aut habuissent apud auctores scriptum vestigium: periculum itaque & angor ingenium acuit, secúmque ex tempore ita ratiocinatus est Chirurgus: à sale & cineribus extabescunt hirudines, inijciamus muriam per modum Clysteris, sine dubio secernet aluus & eijciet hirudinem, quò minus in

Obseruationes ex hirudinũ sinistra applicatione.

corpore nocere possit. Iniecta ergò muria suum habuit effectum, hirudo excreta, & æger simul ab omni metu cum Chirurgo liberatus est. Idem præstare potuisset stercus bouinum siccũ modicè calidum, irroratũ priùs Cimicum puluere (vel loco huius Castorium) ano admotũ, cuius fumo, & clystere ex folius cæpæ succo confecto, hirudo cum fæcibus eijci debuisset. Peiùs tamen cessit non multum absimilis casus Baroni cuidam hic Monachij degenti: is Cephalalgiâ laborans, quùm cætera non prodessent, hirudinem anteriori narium parti consilio Medicorum sibi admouere curat, sed quùm Chirurgus eam adaptat, hęc illius incuriâ per nasum ingrediens, ad cerebrũ penetrans, præsentibus Medicis biduò hominem interfecit, quùm vsque ad tunicas perreptans, nullo posset remediorũ genere, nec extrahi, neq; necari. De pauperrima fœmina narrat Zacutus Lusitanus, quùm antiquâ ophtalmiâ laboraret, Medicorũ voto, in angulo maiori, sibi venam secandã curauit, sed nullus huic operi artifex idoneus inueniri potuit, quùm hæc sectio nõ ita frequenter celebretur; quare illos adijt, qui sectionis loco hirudinem eâ parte imponendam imperârunt.

runt, quam Chirurgus huic loco impoſuit: cùmque putaret eam adhęſiſſe, ipſe ad aliud cubiculum faciendæ venæ ſectionis causâ ſe contulit, tunc hirudo oculum perreptat, morsùque ſuo coniunctiuam tunicam dilacerat: Chirurgus autem ſi præſtò non adfuiſſet, exhauſtis oculi humoribus, in perpetuum cœca euaſiſſet. Quæ ideo apponere volui, vt in hirudinibus applicandis cautè agatur.

De Hirudinibus procedimus ad Fontanellas ſiue fonticulos, qui ſunt parua vlcera ferro ignito, vel medicamento cauſtico, ad vitioſos humores per eâ euacuandos, reuellendos, deriuandos, atque ita morbos qui ab alijs pendent, curandos vel præcauendos: cauterijs enim inducta vlcera, partem ad Diadoſin Rheumaticam (id eſt diſtributionem ſiue protruſionem humorum nociuorum fluentium ad carnoſas cutis partes) deducunt, vt ex ijs, quaſi fonticulo, quicquid vitioſi humoris cumulatum fuerit, euacuetur. Atque ita in morbis ſaltem diuturnis, vti myrachialis affectus aut melancholia hypochõdriaca eſt, locum habent fontanellæ: non in acutis, qui ſubitas euacuationes requirunt. Etſi verò id, quod quotidiè euacuatur, *Fonticulorum inuẽtio.*

exi-

exiguum ſit: tamen quia continuatur, temporis progreſſu plurimùm iuuat. Tempus fonticulos parandi eſt primò, quandò præſidia mitiora nihil proficere videmus: eſt enim extremũ præſidium ſecundùm Hipp: 7. aph: vlt: Quæcunque non ſanat medicamentum, ea ſanat ferrum: quæ ferrum non ſanat, ea ignis ſanat: quæ ignis non ſanat, ea incurabilia putari oportet. Vbi item corpus benè priùs à cacochymia per purgationem, vel à plethora per venæ ſectionem depletum fuerit, ne propter attractionem humorum, inflammationes & tumores propè fonticulos excitetur. Secundò, Ver, ratione anni temporis maximè omnium aptum eſt, quo humores à natura funduntur, viæq; dilatantur. Tertiò, ratione ætatis, pueri tenelli, & ſenes decrepiti, propter virium imbecillitatem, nõ facilè tolerant magnum remedium, quale eſt fonticulus, illi, quòd facilè exhauriantur, hi, quòd exhauſti ſint. Niſi igitur vrgeat grauis morbus alijs remedijs incurabilis, illi ætati eſt parcendum. Adhibentur autem in affectu hypochõdriaco pro reuulſione & deriuatione humorum, vel in brachijs vt à capite humores reuellantur, vel in cruribus, vt ab epate & liene, vel

aliJs abdominis partibus trahantur. Et quidem, ſiniſtrâ capitis parte affectâ in ſiniſtro brachio, dexterâ in dextro. Iecore affecto, in dextro crure; liene, in ſiniſtro fonticulus ponendus. Etenim cùm fonticuli diligenti curâ indigeant, & quotidiè mane & veſperi detegendi ſint, eo in loco conuenientiores ſunt, quo ipſe æger oculis & manibus pertingere poteſt. Et quia propter humores ſuperfluos, vel euacuãdos, vel reuellendos, vel deriuandos, excitantur fonticuli; humores verò in vaſis conſiſtant: non in quocunque brachij vel cruris loco commodè excitatur fonticulus, ſed vbi venæ maiores ſunt, aut earum propagines: non tamen ſupra venas, ſed propè venas. Et quia crura & brachia ad motum deſtinata ſunt, ne fonticuli propter dolorem, aliquod inſigne motui impedimentum adferant, non in ipſo corpore muſculi & eius carnosâ parte, ac multò minus circà tendines & neruoſas partes excitandi, ſed in ſpatio ſeu interſtitio inter muſculos. Atque id interſtitium in brachio ex cubiti valida flexione & extenſione: in crure verò, ex pedis flexione & extenſione exploratur, apice indicis digiti in muſculorum interſtitio compreſſo.

Locus aptus pro fonticulis. Itaque in brachio commodissimus fonticuli locus est inter musculum Deltoidem & alium, qui cubitum flectit, bicipitem dictum. In crure verò communiter fiunt infra genu, & tùm in externa tùm in interna parte, sed cùm pars externa nō habeat vicinas venas, interna verò habeat saphenam; & prætereà, interna pars, non habeat latum tendinem, quem vitari oportet, atq; insuper in mulieribus ob vterum: rectiùs paratur fonticulus in interna tibiæ parte, & ea quidem, quæ aptè deligari potest, non nimis propè genu. Fiunt autem Fonticuli, vel medicamento caustico, vel ferro. Medicamento caustico vel cauterio potētiali hoc modo parantur fonticuli. *Quomodo fiant fonticuli per cauterium potentiale.* Loco cui applicari cauterium animus est, capillis, si adsint, priùs derasis, ad defensionem vicinarū partium imponitur Emplastrum Triapharmacum vel aliud conueniens & tenax, in medio ad magnitudinem pisi perforatum, postea locus cauterisandus, scalpello aut phlebotomo superficialiter solummodò vulneratur, donec sanguinis cruore madescere videatur: foramini deinde huic, particula cauterij, magnitudine pisi, sputo prius, si duriùs sit, madefacti, applicatur, vt cutem tangat. Cauterio applicato aliud emplastrum imponendum, quod


caute-

cauterium admotum firmet ac retineat; fascijsque membrum obuolendum. Post quadrantem, aut sesquihoram, horam vnam, duas vel tres, prout medicamentum vim operandi habet, omnia remouentur, & eschara seu crusta apparebit, quæ illicò phlebotomo in crucis formam secatur, & vt pisum aut globulum ex cera vel ligno recipere possit, accomodatur. Digestiuum posteà vnguentum & emplastrum tamdiu escharæ, bis in die renouando, superponitur, donec illa separetur, & totalem formam fonticuli acquirat.

Itali, Cauterium actuale, quod fit ferro candente, præferunt. Verùm, cum pauci ferrum ignitum in nostris regionibus admittant, eadémque pericula per actuale, quàm per potentiale, si minus benè administretur, introduci possint: cúmque experientia testetur, potentiale sine incommodo applicari posse; in actuali verò tria occurrere soleant, quæ homini molestiam pariant, calor scilicet, dolor, & ignis aspectus, ac horror; modum supra narratum, in melancholiâ hypochondriacâ, in quâ impressiones aliâs semper fortiores sunt quàm in alijs morbis, qui sine omni dolore perficitur, vsurpabimus. *Per cauterium actuale.*

Quousq; verò aperta sint ista vlcera seruanda, ex affectûs pertinacia, ægríque viribus colligendum est. Affectus itaque, si perpetuò foueatur à viscerum cachexiâ, naturâ, morbo aut ætate introductâ, exempli gratiâ, si quis naturâ sit catarrhosus, obstructionibus, morbo hypochondriaco detentus, vertiginem, apoplexiam, epilepsiam, aut alios morbos metuat, si morbis articularibus laboret, &c. gestatio fonticuli diuturnior, ac per plures annos, imò ad finem vitæ vsque continuata, indicatur: cùm obseruationes Medicorum attestentur, eos, quibus etiam post multos annos eiusmodi ulcus coaluit, præsentissimum vitæ periculum, sæpè etiam mortem subitaneam incurrisse. Verùm, vires si incipiant debilitari, cùm membrum fonticulum gerens gracilescit, aut fluxione copiosiore tentatur, cùm ulcus sordidum malignúmque euadit, cùm super articulum descendit, aut spontè exiccatur &c. hisce in casibus tempus est, ut vel claudatur ulcus omninò, vel alio conuenientiore loco aliud excitetur.

TER-


SANVS ET HVC ÆGER
NVLLO DISCRIMINE CVRRANT
INDIGET ET DIVES
PAVPER ET ARTE MEA
GALENICA
CHYMICA
PRECIOSA
PRECIOSA
SALVS INFIRMORVM
ACIDV
ACI DV LÆ
PHARMACIA



TERTII EMBLEMATIS
Declaratio.

D*Vobus jam fontibus*, Diætetico *nempe &* Chirurgico, *promanantibus, ad tertium* Pharmaceuticum *progredimur: & vt primus, victûs lege; secundus, manûs opera; sic tertius, medicamentis medetur: cuius nomine, quicquid nostri corporis substantiam immutat, intelligitur. Repræsentatur autem hic fons, per* officinam pharmaceuticam, *varia in se tàm* Galenica *quàm* Hermetica *vel* chymica, *& inter illa* preciosa *quoque complectens medicamenta, tùm simplicia, cùm composita; quæ non minùs separando purum ab impuro, aut à Medicis ipsis, aut ab illorum alumnis, dextrè & laboriosè præparata & elaborata esse, sed etiam summâ cum cautione, studio, & experientiâ, ægris exhiberi & applicari debent. Quod* Laboratorium chymicum *sinistræ partis, vbi manus admouenda cum Mineruâ; &* Bibliopolium *dextri lateris, pro frequentiori studio continuando, indicat.* *Mineralium quoque aquarum vsum, in hypochondriaco affectu maximè prodesse*, per acidulas va-

sculis suis inclusas, ab officinæ ministro quodam, indigetatur. *Denique, omnium medicationum & medicinarum Patronam, propono* Beatissimam Virginem MARIAM Deiparam, salutem infirmorum, Saluatorem, Natum, & suum, & nostrum, vlnis suis indefessis baiulantem.

Sanus & huc æger nullo discrimine currant,
Indiget & Diues, Pauper & arte suâ.

Hæc est illa Virgo Angelica & dulcis, verum Polypodium (Englsüß *dictum*) Hellebori *purpurei veri* (Christwurtz) *Genitrix, quibus tanquam panacæis, omnis pellitur melancholia, curatur hypochondria. Hæc est Alabastrum vnguenti; Armarium vitæ; Exordium humanæ salutis; Flos florum, & gemma mulierum; Fons perennis curationum; Gratiâ Dei plena; Hortus conclusus non seminatus; Interitus corruptionis; Lignum vitæ singulis mensibus reddens fructum suum; Lilium conuallium; Magisterium fidei; Margarita preciosa cælestis; Microcosmus omnem capacitatem excedens; Nutrix panis cælestis, & omnia nutrientis salutis; Officina medicinæ; Pratum totius fragrantiæ spiritûs sancti; Radix bonorum omnium; Solatium in terrâ vnicum; Tota mitis, tota serena, tota suauis, tota benigna; Vrna cæli manna gestans. Serpenti venenato caput conterens, mulier amicta Sole, Lunam pedibus premens: per quam Deus, quidquid creauit,*

creauit, recreauit; verè nostra Euphrasia & Origanum. Dedit nobis Deus Euam secundam, sorte tamen diuersâ, quæ virtute spiritûs sancti obumbrata, & amoris diuini thyrso percussa, adeò diuinæ placuit maiestati, vt rem nobis omninò deperditam integram restituerit. Hæc sola fuit, toti generi hominum, juuamen vnicum & expectatum, de quo Deus ipse, in creatione Adami locutus est, faciamus inquit adiutorium simile sibi, istud adiutorium simile, nobis est sola Virgo Maria, *quæ nobis fuit vero & vnico juuamento.*

Prima parens amoris œstro percita, fructum vitæ comedendi, vitam sibi & nobis eripuit. Secunda parens nostra, ad amorem anhelans diuinum, & solò hoc vnico amore, ancilla Domini facta, verbum concepit, salutis nostræ & redemptionis tutißimum & certißimum elementum. Ita vt verè dicere poßimus, amor nos perdidit, amor etiam nos restituit; quid enim est Maria? *quàm* Amari? *fœminarum nulla est, nec fuit, nec erit post hac, quæ æquali solum erga Deum ardeat amore. Vnde meritò benedicta est inter omnes mulieres; Dominus cum ipsa fuit ab æterno, & gratiâ diuinâ vndequaque perfusa est. Cernimus terram primam, parentem nostram, ob deglutitum spiritum ante tempus suum debitum, præparatæ corruptioni esse obnoxiam, & morti, & nos omnes in peccato ipsius mortem eandem sequi & corruptionem. Salem verò, qui est*

terra

terra ſecunda, pura & nitida ab omni elementari maculâ vindicata, ſpiritu vitæ impręgnata, ipſam à morte vindicare, & nos omnes ab ipſa morte, & corruptionis totius labe eripere, & tutiſsimè defendere. Terra ſordida & ſqualida, ſpiritum vitæ deglutiens, nonne Euam, *crimine diuinæ læſæ maieſtatis conſpurcatam, fructum vitæ deglutientem & vorantem, mortem ſibi & nobis omnibus aſciſcentem, repræſentat & exhibet. Sal verò, qui eſt pura terra, & terra virgo, ſpiritu vitæ fœcundata, ad vitam rerum omnium nonne ſacram & intemeratam* Virginem Mariam *nobis figurat, quæ ſacratiſsimo vtero ſuo verbum concepit, & vitæ veræ, verum & vnicum ſpiritum nobis dedit, ad vitam fidelium omnium in æternum conſequendam. Nemo igitur cum S. Auguſtino, ſatis laudauerit vitam nullis ſæculis morituram; nemo ſatis accuſauerit mortem nullis æternitatibus victuram. Atqui per fœminam mors, per fœminam vita; per* Euam *interitus, per* Aue & Mariam *ſalus; illâ corrupta, ſecuta eſt ſeductorem; hæc integra, peperit Saluatorem, Archiatrum ſupremum, vitæ neciſque Imperatorem.*

In Candelabro propendente, Cerei conſpiciuntur accenſi, *ſed qui Virgini, qui puritati conſecrentur: non quia lumine eget virgo puriſsima; mundi ſolem peperit: ſed quia hoc ſacrorum ornatu & religionis ritu, cultus pietatis explicatur. Luna in tenebrarum remedium*

medium prouidentiæ nutu data, cum sola argenteo orbe noctem illustret, infinita tamen stellarum frequentiâ cingitur: tot facibus non juuare, sed ornare familiarissimum terris sidus natura voluit. Velut Luna, nostra Virgo, nisi quòd inconstantiam non agnoscat. Solem refert, & stellas omnes vincit. Quæ est ista quæ progreditur, quasi Aurora consurgens, pulchra vt Luna, electa vt Sol, terribilis vt castrorũ acies ordinata? *Sed quid cœlo lustro stellas, quas in terra inuenio?* Vos, ô Bina Sidera, quorũ Insignia *officinam hanc pharmaceuticam in suprema fornicis parte ornant*, Ferdinandus Maria *nempe, &* Adelaidis, *Coniuges, Serenissimi Principes, & spectati Bauariæ & Sabaudiæ flosculi; Charitum curæ; Cælestium corollaria; Sexuum columina; Ætatum specimina: sic annos longè superatis delectu morum, judicio, sagacitate, sermonis gratiâ, elegantiâque in compositione vestri, in regijs virtutibus memorabiles; nati parentibus serenissimis digni; delitium horum vnicum; nec satis pro dignitate visi diligi; estis aulæ dominicæ admiratio, necessariorum exultatio. Vos inquam, qui communi pietatis tesserâ animos Mariæ obstrinxistis, ignes estis, flammæ estis, stellæ estis; & Virginem cingitis, Matrem stipatis, Dominam circumsistitis. Vos alumni, filius & filia, vos clientes: in vobis & Virgo pura, & Mater fœcunda, & Domina fortis. Paucis di-*

 cam:

cam: inter vos Maria *virgo est,* Maria *Mater est,* Maria *Domina & Patrona est; deniq; vt nihil omittam,* Omnia.

Ergò venientem, & præsentem, non alia vox excipere potest, quàm vox sponsi sui. Quàm pulchra es, amica mea! quàm pulchra es! *Imò vt pulchritudinis pretium æstimetur, quàm pura es, amica mea! quàm pura es! meritò pulchra, pura es; meritò pura, virgo es. Iterum:* tota pulchra es, amica mea, & macula nō est in te. *Pulchra, quia velut noui diei Aurora, & mater diuini roris; pulchra, quia velut Luna extra nubem splendens. O pulchrum, ô diuinum par!* Christus & Maria. *Ille est Filius, hæc Mater; ille sponsus, hæc sponsa, ille pulcher, hæc pulchra; ille dilectus, hæc dilecta.* Ecce tu pulchra es, amica, ecce tu pulchra es; oculi tui, columbarum. Ecce tu pulcher es, dilecte mi, & decorus: lectulus noster floridus. *Qualis* Christus *talis* Maria: *ille purus, hæc pura: ille Deus & Homo, hæc Virgo & Mater; imò ille seruus, hæc ancilla. Ast, nisi* Jesum *feramus, sequi* Virginem *non possumus: nec* Jesum *ferre nisi* Virginem *sequamur. Prorsùs, non sine* Jesu Virgo *est; non sine* Virgine Jesus. *Imago Dei Virgo est, quæ Deum concepit, quæ peperit, quæ lactauit, quæ nutriuit. Virgo Sole clarior; Oceano purior; Cælo maior.*

Quid opus est verbis? Purißimæ coniunctionis huius san-

ſanctitatem, omnis Eccleſiæ celebrauit ætas, omnis ordo, omnis doctrina, & nunc demum ſeneſcentibus rerum annis reuireſcens humani generis, pietas ſtabiliuit. Quod maius religioni Chriſtianæ bonum, Patrum æuo accedere potuit, quàm vt turbato opinionum diſsidijs orbe, viri prodirent optimi, doctiſsimi, ſanctiſsimi; quorum operâ & induſtriâ, aurea virtutis renaſcerentur ſecula, & nouo feruore chriſtianæ legis arcana inualeſcerent, nouo diuinitatis pondere firmarentur, mortalium partim frigore, partim ſcelere expugnato? Societas illa Ieſu eſt; *quam cùm nomino, ſatis laudo. Illa victrix hæreſium, pharus virtutum, perfectio ſæculi, gloria diſciplinarum, pediſſequa Chriſti, arx Eccleſiæ, alumna Dei. Et tamen vt* Societas *duraret,* Sodalitas *acceſſit; vt* Jeſu *nomen reluceret,* Mariæ *adiunctum eſt. Penes* Societatem *eſſe* Sodalitas *debuit; à* Jeſu *athleticus* Mariæ *cultus propagari. In* Societate Maria *eſt, vt in* Sodalitate *quoque* Jeſus *eſſet.* Jeſum *colunt, nominéque poſsident, qui* Sodalitatem *dirigunt:* Mariam *colunt, & peculiari ſtudio aſſerunt, qui in* Societatem *adſcripti ſunt. Vnde clarè elucet;* Filium *ſine* Matre *eſſe non poſſe, nec ſine* Filio Matrem. *Hos itaq; colam, hos venerabor, his inſeruiam, & ſodalis & medicus, licet indignus, donec*

Lumine adempto animam moribundo è corpore fundam.

 Benè

Benè cecinit Medicus quidam Poëta.

Dulce sapit grauida quod pendet in arbore, pomum
Et mel, fructus, apis, non nisi dulce sapit.
Vua, quis ignorat? pectus dulcedine complet.
Plurima lac purum, dulciter ora rigat.
Quilibet exoptat dulci gaudere sapore,
Quilibet & dulci membra fouere mero.
Dulcia non sunt ista mihi, quæ terra ministrat,
Virginis & Christi, dulce solamen amo.
Hoc mihi dulce sapit; nam longè dulciùs exit
Pomo, melle, vua, lacte, sapore, mero.

ET

Cymbala dulce sonant digito percussa volanti,
Testudo dulces reddit & icta sonos.
Fistula dulciloquas fundit per jugera voces,
Et spargit placidum chorda canora melos.
Ipse tubæ clangor dulcis se ad sidera tollit,
Et vocat ad nutus Martia Castra suos.
Virgineis modulis meritò jam musica cedunt
Cymbala, testudo, fistula, chorda, tuba.



CAPVT

CAPVT XX.

De Curatione Affectus Hypochondriaci per Pharmaciam, & primò de philoſophatione quorundam hypochondriacorum medicinas reſpuentium, de chymicis quibuſdam rebus, & indicationibus curatiuis melancholiæ hypochondriacæ.

RESTAT nunc Pharmacia, cui alij in eradicatione huius mali primum locum dant: corruptos enim & melancholicos humores viſcera interna occupantes & obſtruentes, propter diuerſos meatus & anfractus in quibus hærent & latent, per chyrurgiam ſatis evacuare, aut per obſeruationem & inſtitutionem licet exquiſitiſſimæ diætæ (cum ex optimis cibis vti ſupra recenſui etiam ſubindè exoriantur) impedire aut expellere nemo poterit, niſi quoque beneficio & auxilio pharmacorum innitatur, próque morbi, complexionis, conſuetudinis, ætatis, ſexus, ſtatus naturâ & ratione, cuiuſque etiam palatui & guſtui grata & acceptibilia remedia tàm dogmatica quàm chymica offerantur: taliter enim hoc tempore conſtituta ſunt quorundam hypochondriacorum ingenia & phan-

Pharmacia neceſſitas in curatione melancholia hypochondriaca.

tasię, vt pręter chymica omnia cętera pharmaca nauseent, & ideò Galenicos & Dogmaticos omnes contemnant; quidam verò tam refractarij sunt, vt licet pinguioris fortunæ & optimorum mediorum sint, tamen ob tenacitatem & sordidum auri retinendi studium, solis miraculis aut verbis curari velint, & ideò sapientiores quòd hypochondriaci sint (cùm hypochondriaca melancholia quibusdam signũ prudentiæ habeatur) tanquam mortis contemptores taliter philosophantur. Mortem haud improviso ipsis interventuram: quippe mortem omnibus promiscuè proponi. Rem illis esse satis lautam, ac proindè obitum illorum, nemini detrimento, quin potiùs multis vsui futuram; magnam fortunam, magnum decere animum. Se jam satis Philosophiæ sacris operatos, & abundè scire, non perpetuò timendum, quod semel faciendum. Mortem etiam non terrere sapientes, sed quâuis vitâ esse optabiliorem. Imò stultum, somno delectari, & mortem perhorrescere. Iuisse aliàs alios, quò necessitas vocarit: ituros & se, quamcunq; viam ingrederetur morbus, à quo jam obsiderentur. Vitam circæis illecebris fucatam, fallere quidem imperiti vulgi sensus, sed philoso-

Philosophatio cõtemptorum mortis.

philoſophorum ſupercilio nihil indigniùs. Quocirca ſe beneficij loco accepturos, ſi poſſent maturam oppetere mortem: & breuitate vitæ, ſuperare incommoda, quæ fortè adferret inſequens ætas. Neminem ſecundùm S. Paulum Apoſtolum ad Rom. 9. ſe voluntati diuinæ opponere poſſe, ſe fortè ad mortem jam prędeſtinatos, ſibiq́ue Fatis cedendum eſſe ſecundùm Senecam

Fatis agimur, cedite fatis,
Non ſollicitæ poſſunt curæ
Mutare rati Stamina fati,
Quidquid patimur mortale genus,
Quidquid facimus venit ex alto.

Non conſiderantes, præſcientiam Dei, non eſſe cauſam neque neceſſitatem, vt hoc aut illud ideò neceſſariò aut certò fieri debeat, quia Deus præuidit, ſed ideò præuidere & ſcire DEVM, quod homo liberè hoc ſit facturus: in arbitrio enim viri eſſe, ſiuè faciat ſiuè non faciat. Veteres quoque Theologos docere. Neceſſitatem præſcientię Dei non ſimpliciter eſſe antecedentem hominis libertatem, ſed conſequentem, hanc videlicet conſenſum voluntatis liberum ſequi, & illum præſupponere. Quare quemlibet

bet ægrum admonere sapientem Ecclesiasticum, c. 38. sequentibus verbis. Fili, in tua infirmitate ne despicias temetipsum, sed da locum Medico, quia creauit eum altissimus, & eius opera sunt tibi necessaria. Manus igitur mouenda cum Minerua.

Quæ tamen speciosa fiducia, quàm breui destituit tales philosophos, vbi vident futiles argutias suas difflari, aluo non correspondente, stercora subinde per os erumpere, & gloriosam illam linguam continenter perfundi fędâ nidorosâ & ęruginosâ alui illuuie, crebris euomitionibus & doloribus, stomachum & totum corpus turbari; caput & cerebrum vigilijs, insomnijs & phantasijs pessimis exagitari; cor maioribus infestari angustijs, palpitationibus & deliquijs, quàm vnquam cōceperant animo. Quàm non tunc lubentes exuunt vmbratiles philosophos? quàm non liberaliter omnia promittunt Medicis? quas non proponunt mercedes & præmia (quamuis postea parum aut nihil dent) modo arte illorum vendicarentur ab angustijs, quas intentat vrgens tunc temporis morbus? nullis tunc parcere volunt sumptibus, sed quiduis largiri Medicis: plurima quidem improuida

sibi

ſibi excidiſſe dicunt, ſed nunquam cogitaſſe, tam acerba fore mortis ſpicula, neque tam imbellia tela, quę imaginaria Philoſophia opponeret morti. Se quiduis remedij admiſſuros, & nihil non acturos, modò liberarentur à præſentiſſimo hocce vitę periculo. Taliter philoſophantur illi, qui ſapientiæ ſpeciem inter mortales tenent, & aureum illum ramum, vt aiunt, aucupantur: præſertim verò ætate graues & ſenes, qui ratione ętatis, hoc eſt annorum & non morum ſiue virtutum, ſapientię prærogatiuam ſibi vendicant: quibus continuè defloreſcit formæ nitor, langueſcit alacritas, frigeſcit lepos, labaſcit vigor, moleſta ſenectus, nō jam alijs modò, verùm etiam ſibimet inuiſa. Hi gralli ad lethes fontē producendi ſunt, vt ſimul atq; illic longa potárint obliuia, paulatim dilutis animi curis repubeſcāt; aut ad Inſulas fortunatas, in quibus neque labor, neque ſenium, neque morbus eſt vllus, nec vſquam in agris aſphodelus, malua, ſquilla, lupinúmue, aut faba, aut aliud hoc genus nugarum conſpicitur: ſed paſſim oculis, ſimúlque naribus adblandiuntur moly, panace, nepenthes, amaracus, ambroſia, lotus, roſa, viola, hyacinthus, Adonidis hortuli,

Pharmaceutica cura consistit in Galenicis & Chymicis medicamentis.

Pharmaceutica itaque cura in melancholia hypochondriaca, consistit in applicatione, exhibitione & assumptione medicamentorum tàm Galenicorum quàm Chymicorum, eorúmque partim internorum, partim externorũ. Sunt autem Galenica, quę non multum immutata, sed leuiter & antiquorum more præparata exhibenter. Chymica verò sunt, in quibus pura ab impuris exquisitiùs separata, vt faciliùs penetrare, & in minori quantitate assumi possint: nam cùm nihil creatum, quod puro & impuro non constet, necessitas postulat eiusmodi diuersarum substantiarum purificationem & separationem: quâ factâ, sibi Medicus medicamenta salubria conficere, ijsdémque morbos, primò, Citò, propter sum̃am subtilitatem (quis enim nescit, ea, quæ in sum̃am subtilitatem redacta sunt, citiùs, & è contrario, crassâ & terrestri mole obruta, tardiùs operari) secũdò, Tutò, (si vsus adest circumspectus) quia non ampliùs sunt impura, violenta & venenata, sed pura, & omnis deleteriæ qualitatis expertia, & tertiò, Iucundè, tàm ob minimam dosis quantitatem, quàm ob saporem gratum, & non nauseabundum, odorem fragrantem, colorémque amabilem,

bilem, curare & propellere poteſt. Eſt autem Chymia duplex. Vniuerſalis & Particularis. Vniuerſalis circà lapidem Philoſophorum verſatur, quem multi ſibi imaginantur, pauci tamē aut ferè nulli aſſequuntur. Particularis iterum duplex, vna quæ circà metalla eorúmque tranſmutationes agit, paucis nota & vtilis, plurimis verò noxia & perniciosa, ob id, quòd ad extremam paupertatem, per hanc ludicram felicitatem, in indagatione huius artis, redigantur. Altera occupatur circà corpora naturalia, eorúmque partes, cauſas, affectionéſque inquirit, Medicinæ faciendæ gratiâ. Hæc ditat & ſanat, vtilíſque eſt ad morbos pellendos, præſertim cùm facundiam in dicendo, promittendo & prædicando habeat comitem, adeóque à nemine Medicorum contemnenda, ſed plenis vlnis excipienda & admittenda, quæ Chymiatria eſſata, quaſi eſſentiam extrahens vocatur. Extrahitur autem eſſentia ex corporibus naturalibus tanquam obiecto huius artis: & primò ex animalibus, aëreis, terreſtribus, & aquatilibus: ſecundò, ex vegetabilibus, vt arboribus, fructibus, & herbis: tertiò ex mineralibus, vt metallis, medijs mineralibus, & lapidibus. Conſtant autem

Chymica medicamenta cõstant ex tribus principijs.

hæc omnia ex tribus Principijs, quorum coniunctione conflata sunt hæc corpora, & eorum substantia vnita. Primum est, *Sal*, qui purgat, mundificat, balsamóque suo conseruat, ac in illa dominium habet, quæ tendunt in putrefactionem, & analogiâ Terrę respondet. Alterum est, *Mercurius*, qui aufert omne, quod habet cõsumptionis initium, & confertur Elemento Aëris & Aquę. Tertium est, *Sulphur*, quod in ea, quę superflua sunt ex alijs duobus, ac incipiunt corrumpi, dominatur, & assimilatur Igni, propter flammam, quam facilè concipit. Specimen datur à lignis viridibus, quæ si cremes, egredietur primùm aquosum quiddam, quod ignis flamæ concipiendę planè inidoneum est, & in fumum conuersum, si colligatur, in aquam resoluitur, dicitúrque Mercurius: deinde exibit oleaginosum quiddam, facilè inflammabile, quod in vapores resolutum, si cohibeatur, in oleum abit, vocatúrque Sulphur. Tandem remanet siccum terrestre, quod ex cineribus aquæ beneficio extrahitur, inque humido & frigido resoluitur, calore autem concrescit, ac Salis nomen obtinet. Ita Lac, substantiam continet sulphuream butyrosam, deinde mercurialem serosam, &

tan-

tandem salinam caseosam. Ita oui albumen mercurium exhibet, vitellum sulphur, pelliculæ & putamina salia. Pari ratione ex Garyophyllis, aqua mercurialis præstantissima, oleum sulphureum excellentissimum, & ex fecibus sal candidissimum elicitur. Felicissimè autem curabit Medicus, pręsertim hunc hypochondriacum morbum, si partim Galenicis, partim Chymicis eundem curauerit medicamentis: & quidem recentem & mitiorem, Galenicis; inueteratum autem & contumaciorem siue habituatum, Chymicis, hoc est magis penetratiuis & fortioribus. Cautus quoque sit in eorundem præparatione & administratione: nam chymica medicamenta, in manu indocti, sunt tanquã venenum aut gladius in manu furiosi & fatui.

Chymia enim, non est ars sui generis, sed est præparatio medicamentorum, & propterea propriè loquendo pertinet ad artem pharmaceuticam, nec nisi in Pharmacia de eâ tractari debet. Non fuit inuenta à Paracelso, sed pluribus ante illum natum seculis, exculta à Raimundo Lullio, Villanouano, & alijs quamplurimis, quorum habemus multa laudanda remedia chymica, aquas, quintas essentias, stillatitia bal-

ſama, & alia eiuſmodi, qui tamen eandem cum Galenicis profitebantur Medicinam. Vnde pręparationem iſtam remediorū chymicam, Medici non improbant, quamuis ſub eo nomine multæ fiant fraudes, & fermè omnes impoſtores hoc pallio technas ſuas occultent & tegant. Paracelſica autem hæreſis, quamuis maximè vtatur remedijs chymicis, vulgari tamen modo præparata, quæ Galenica vocantur, non reſpuit, vt videre licet in multis apud Paracelſum locis, & conſilijs, in quibus ſæpè remedijs vtitur chymicè non præparatis, imò integris, tantummodò inter ſe variè permiſtis. Ita vt quò ad hanc Medicinæ partem, quę medicamentorum pręparationem ſpectat, non magis vnam, quàm aliam affectaſſe videatur Paracelſus.

Indicationes curatiua affectus hypochondriaci.

Indicationes autem curatiuæ affectus hypochōdriaci per Pharmaciam, ſunt primò euacuatio humorum vitioſorū in hypochondriorum locis hærentium: diſcuſſio quoque vaporum, qui ab ijs eleuantur, & variorum ſymptomatum cauſa ſunt. Nec ſolum viæ illæ per quas iſti humores nociui euacuandi ſunt, lenientibus medicamentis expurgandæ, ſed cùm craſſiores ſint, & ob ventriculi coctionem læſam pitui-

pituitosi & viscidi humores admisceantur, incidentibus, attenuantibus, aperientibus ac detergentibus opus erit. Cúmque humores sint calidi, vasáque in quibus continentur calidiora & sicciora, inflammatoriámque quasi dispositionem habeant, non solùm citrà insignem calefactionem hæc peragenda sunt, sed & moderatè refrigerantia & humectantia, illámque intemperiem corrigentia admiscere debebimus. Postea partium intemperies & debilitas corrigenda, naturalísque constitutio conseruanda & roboranda, ne humores hi vitiosi regenerentur. Tandem partes, quæ humores & vapores illos suscipiunt, atque ab ijs afficiuntur, roborandæ, & ab insultu humorum & vaporum defendendæ, vaporésque à partibus principibus auertendi, ac symptomata tollenda. Difficulter hæc omnia expedientur, quia indicationes dantur cōtrariæ: ventriculus enim debilis calida requirit: attenuantia, incidentia, aperientia, ac detergentia medicamenta, pleraque quoque calida sunt; contrà, inflammatoria illa vasorum dispositio & humorum calida intemperies, refrigerantia expetit. Cautè itaque agendum, ne dum vni prodesse studemus, alteri noceamus.

CAPVT XXI.

De Curatione per Lenientia Aperientia Incidentia & Digestiua medicamenta.

PRo prima itaque indicatione explenda, vt primæ vię primùm euacuentur, primò leniora medicamenta exhibenda, ne per fortiora à longinquo & toto corpore vitiosi humores versùs primas vias trahantur, ibíque cumulentur, à calidioribus quoq; & siccis medicamentis, viscerum & vasorum intemperies cumulentur. In hunc finem prosunt Enemata lenientia cum Platero, quia intestina penitiùs subeunt, & à venis mesaraicis illuuiei partem euacuant, aluum humectant, & vasorum temperant calorem. Syrupus violarum solutiuus, de Cichoreo cum rhabarbaro, Magistralis, Aloë, Cassia correcta cum sem: anisi, vel cum additione specierum hieræ propter flatulentiam, Polypodium, Fol: sennæ. Elect: lenitiuum, diacatholicum, diaphœnicum, &c. Vomitus etiam in principio, sed lenioribus medicamentis conuenit, vt si quid pituitosæ & excrementitiæ materiæ in ventriculo hæreat, reijciatur, ne post aliorum medi-

Medicamenta Lenientia.

Vomitus.

medicamentorum vſum ad penitiores corporis partes deducatur. Pro alui itaque lenitione inijciatur talis Clyſter.

Rec: rad: althææ, polypodij qu: ana Dr: vj. *Herb: Maluæ. Parietar. Althææ. Violariæ. Mercurial. ana mj. Flor: chamæmel. mß. Furfur. in petia ligat. mj. Prunor: n.* x. *Coque in aqua pura. Colatur. Rec:* ℔j. *in qua diſſolue. Elect: Lenitiui vel Diacathol: Vnc.* j. *Elect: Hieræ ſimpl. Dr:* ij. *Mell: roſat: colat: Ol: violar: ana Vnc.* j. *Ol. chamæmel. Vnc.* jß. *Vitell: Oui. n.* j. *f. Clyſter.* Pro Vomitorio exhibeatur ſequens. *Clyſter Lenies.*

Rec: ſucci radic. raphani, expreßi Vnc. iiij. *Hydromel. Vnc.* iij. *In quibus miſtis macerentur per noctem radic: Aſari contuſ. Dr:* ij. *manè colentur & exprimantur, liquórque tepidè propinetur.* *Vomitorium.*

Talia igitur primò exhibenda medicamenta, quæ primas detergunt vias, & cloacam corporis eluunt: nam ſuccus craſſus ventriculo & inteſtinis adhærens, parietes eorum quaſi incruſtat, vnde aluus pigrior, deterſorio opus habet, quod ſimul leniendo ſaburram excludit, quale eſt Aloës inſuccata, quæ à Montano Conſ: 232. & 233. laudatur, eíque ſolam prærogatiuam dat, quæ ſtomachum confortet, in quo verſatur cardo: & Platerus ideò præfert, quia reſerat hæ- *Prædicatur Aloë inſuccata pro laxatiuo.*

 morrhoi-

Obiectio. morrhoides. At jam erunt, qui adserant, Aloën sicco obesse ventriculo? quibus ego siccum dico me statuere: quemadmodum senex frigido & sicco est temperamento, qui tamē superfluis multis scatet excrementis. Ventriculus, intestina, copiam eorum habent, & tamē siccâ & subcalidâ intemperie lædunt chylificationem. Excrementis igitur debetur Aloë, cuius exemplum paulò post dabitur, vt nutrita & imprægnata bonis succis, quasi appropriata reddatur, ad humorem peccantem euacuandū. Ad cuius normam plures possunt dari compositiones Aloëticæ: siquidem Aloë prout succo inebriatur ita & efficaciter agit. Sic cacochymico podagrico, cui serum abundās, Aloën succo rad: Ebuli, & cort: sambuci, ac primulæ veris, nutritam imprægnatámque, cum optimo successu ad scrup: 1. exhibere possumus. Contra vertiginem & Apoplexiam cùm succo Rutæ. Contra ventriculi debilitatem, & inflationem coli intestini cum succo Absynthij, nutritam dabimus. Talium pilularum vsus esse potest septimo aut decimo quarto quoque die, vt fermentatus nimium humor expurgetur: & Montanus, Aloën in pauca dosi ideò trahere vult, quia potest materiam

Salutio.

Aloës vsus.

riam peccantem contingere Conſ: 232. qui jubet omnia electiuè trahentia cauere, & ijs vti, quæ non è longo trahunt, ſed ſolo contactu Conſ: 233. Cùm benedictæ & quaſi lenientes medicinæ exhibitæ in maiori quantitate plus trahant, quàm electiuè educentes in pauca. Conſ: 232. Placet ſubiungere aliquam delineationem.

Rec: Aloën ſuccoteram ſubtiliſſimè pulueriſatam, Vnc: j. vel quantum vis, pone in vas vitreatum, & laua vicibus tribus vino albo tenui, ita vt ſingulis vicibus vinum abſumatur, idque fiat in loco calido aut Sole, moueatur ſæpiùs in die, donec exiccata ad duritiem fuerit, vt in puluerem redigi poßit. Poſt tertiam exiccationem rurſus pulueriſetur, ſed immergatur & nutriatur ſuccis ſequentibus. Rec: ſucci florum Perſicorum, ſucci pomorum redolentium, ſucci borraginis an. q. ſ. ſinguli ſeparatim affundantur, & aloës ijs nutriatur, ita vt à ſingulis ſeparatim humectatis aloës inebrietur, & in ſole, vel calido loco ſiccetur, ita vt pulueriſari poßit. Pulueriſata & nouo ſucco perfuſa ſemper benè agitetur, donec æquabiliter in maſſam vertatur. Si itaq; Aloës his ſuccis quantitatem auxit, & jam maſſa vna eſt. Rec: Rhabarbari electi & pulueriſati Dr: j. infunde in vino albo, & aqua flor: perſicorum, an. q. ſ. ad madefactionem dicti pulueris, **Formula Aloës nutrita.**

exprimatur hæc infusio post 24. horas fortiter, qua expressione Aloë madefiat, imbuatúrque ac quasi inebrietur, nutriatúrue; agitetur tota massa sæpiùs, & in sole siccetur aliquo modo: addantur deinde Myrrhæ electæ scr: ß. nucis myristicæ Dr: ß. f. massa. De qua sumatur scrup: j. pro alui detersione, seu purgatione, mensibus singulis bis terue, prout aluus respondet. Videmus tamen quosdam Aloën sine effectu assumere & latitare inertes pilulas in multis corporibus: quare interdum de alio cogitandum. Commendatur autem tunc hoc Electuarium.

Non omnibus conuenit Aloë.

Electuarium leniniuum.

Rec: Fol: sennæ Alexandr: mund: Vnc. ij. *Fol: Ceterach. Cort: Tamaricis an. Dr.* ij. *infunde in vini Rainfalici seu Puccini Mensura vna id est* ℔ ij. *ponderis ciuilis per horas 24. deinde bulliant leui ebullitione, in hac colatura fortiter expressa, rursus infunde per horas octo passularum corinthiacarum Vnc.* iij. *Prunorum paruorum exossatorum par.* v. *Pulpæ Tamar: Indorum Vnc.* j ß. *Bulliant iterum ad tertias, pistetur & mittatur per setaceum, addendo Mannæ Calabrinæ Vnc.* ij. *Tabularum de Oleo Anisi Vnc.* j. *M. f. Electuarium s. a. vtatur cochleari vno aut altero, pro vt aluus respondet, per se, aut soluto in jusculo aliquo.*

Aperientia incidentia & alte-

Primis itaque vijs euacuatis per lenientia medicamenta, antequam ad electiuè purgantia seu

solu-

ſolutiua feramur, pro ſecunda indicatione adimplenda, primùm ante omnia exhibenda & præmittenda ſunt ea, quę materiam peccantem calidam leniter alterando ſeu refrigerando, craſſam incidendo & attenuando, crudam concoquendo ac digerendo præparant, obſtructionéſque viſcerum ac vaſorum reſerant. Etſi enim humores hi coctionem propriè non requirant, vtpote qui putridi non ſunt, nec ſanguini in vena caua permixti: præparatione tamen indigent, & craſſi ac viſcidi attenuandi, incidendi & detergendi, atq; aduſti temperandi. Ad hæc peragenda, vtilia ſunt ſimplicia & compoſita. Simplicia ſunt fumaria, endiuia, cichoreacea omnia, cuſcuta, lupulus, ſcolopendrium ſeu ceterach, abſinthium, carduus benedictus, centaurium minus, violaria, malua, borrago, bugloſſum, rhabarbarum monachorum, ſpinachia, &c. Radices quinque aperientes, cichorei, aſari, liquiritiæ raſæ, capparum, fraxini, tamariſci, chamędrys, chamæpitys: flores 4. cordiales: ſem: 4. calid. & frigida maiora, & huius cenſus alia. Compoſita ſunt. ſyr: de ſucc. fumiterr: violar: capill: veneris, adiantinus Fernelij, de pomis, de ſucco borraginis, endiuiæ, de corticibus

Præparantia medicamenta.

Simplicia.

Composita.

&acetositate citri, de absynthio, bizantinus absque aceto. Aq: fumariæ. borrag: bugloss: lupuli: melissophyl: endiu: cichor: violar, &c.

Chymica. Chymicis in vsu sunt: magisterium tartari & omnia è tartaro parata, vt sunt, cremor tartari, crystalli tartari, tartarus vitriolatus, tartarus chalybeatus. Ex his verò nunc mitiora nunc fortiora eligenda, pro natura humoris, & loco in quo subsistit: nam cùm ipsi lieni humores impacti sunt, fortioribus medicamentis opus est. Inprimis verò in vsu horum medicamentorũ perpendendum, an acida, an verò nidorosa cruditas plùs ægro molesta sit, & ad hoc malum conferat. Etsi enim ex vtrâque generari possit, tamen secundùm hanc vel illam vt accidentia variant, ita etiam curandi ratio variat: etenim in acida cruditate calidioribus vti licet: in nidorosa verò, & vbi insignis adest phlogosis, temperatioribus vtendum, cichorio, borragine, quibus aliquid oxymelitis addi potest. A Crollio quidem tartarus vitriolatus, vniuersale digestiuum appellatur, & à non paucis vix vlla medicamenta præscribuntur, quibus non cremor & crystalli tartari & tartarus vitriolatus admisceatur: vnde fatendum, è tar-

De medicamentis ex Tartaro, an illa semper pro sint.

taro parata medicamenta in humoribus melancholicis crassisque incidendis & attenuandis, ideóque obstructionibus aperiendis, magnam vim habere. Cùm verò sæpè accidat, vt in affectione hypochondriaca bilis atra, humorésque salsi & acerbi, atque omninò acres, & qui ignis quasi seminaria in se continent, reperiantur: talibus certè humoribus, tartarus vitriolatus & huiusmodi acria medicamenta non conueniunt, cùm eorum acrimoniam nō retundent, sed eâ potiùs vsurpanda, quæ prauas qualitates talium humorum temperent: & omninò contrariæ qualitates contrarijs opponendæ.

Itàque I. sequens Apozema præstans erit. *Apozema.*

Rec: Polypod: qu: Vnc. j *ß. Herb: fumar. betonic. scolopendr. chamædr. meliss. borragin. bugloss. violar. an. mj. Maioran. Carduibened. thymi. chamæpit. cuscut. capill: vener. ana mß. Flor: ros: rub. nymph. violar. borrag. bugloss. anthos. meliss. tunic. stæch: arabic. lupul: salict. ana. P* ij. *Rad: 5. aperitiu. cichor. liquir: ras. ana vnc.* j. *Cort: rad: cappar. fraxin. tamar. an. Dr. ß. Epithym: cret. Dr.* vij. *Passul: min. leuiter conquass. Dr.* v. *Prunor: acid: exoss. Par.* xx. *sem: 4. frig: maior. an. Dr.* j. *minor. ana Dr. ß. anisi. fænic. an. scr:* iiij. *pæon. ocym. garyophyllat. ana. scr:* ij. *Tart: albiss. crud. vnc. ß. Cort: citri. macis. cinam.*

nam. an. Dr. j ß galang. nuc: moschat. cardam: min. ana scr: j. concisa & contusa omnia debito modo infunde per noctem in seri lact. parte vna, aquarum fumar. borragin. bugloss. violar. ana q. s. parte altera, postea sub Diplomat. coq. ad just. Apozemat. consist. Apozema opt. colat. & cum alb. oui clarific. iterum sub Diplom. redig. ad rem. ℔ iij. *Vsus: Rec: Huius decoct. vnc.* iij. *adde syr. de pomis. de cort: citri. è succ: violar. ana vnc. ß. Misce pro Digestiuo. Postea Rec: Decoct: praced. praeparator. Vnc.* j *ß. dissolu. in ijs. Elect. Diacathol. Dr:* vj. *Essent. fol. sen. Dr.* ij. *adde syr: de pomis Vnc. ß. Acid. Tartar. Dr.* j. *spir. salis gutt.* vj. *Ol: anisi gutt.* ij. *m. f. Haustus. vel. Rec: Decoct: praeparator. Vnc.* ij. *ß. dissolu. in ijs Elect: Diacathol. Vnc.* j. *Extr: fol: sen. scr:* iiij. *Helleb: nigr. scr: ß. adde syr: viol: caerulei Vnc. ß. Ambr. grys. gr.* iij. *spir salis gutt.* v. *M. pro Haustu. vel. Rec: Decoct. praeparator. cum Dr.* ij. *sem: anisi Vnc.* j. *ß. Extr: fol: sen. Dr.* ij. *syr: viol. Vnc. ß. cremor: Tart. Dr.* j. *spir: salis. gutt.* vj. *M. f. Haustus.* Nota. Purgantia hæc alternatim & successiuè quaternis diebus secundùm motum humoris melancholici exhibeantur, biduo vacuo semper Digestiua præmittendo seu administrando.

Si æger apozema respuat, fiat secundùm doctissimum Sennertum tale Claretũ aut Destillatum. *Claretum.*

Rec:

Rec: rad: fœnicul. eryngij. helen. scorzoneræ. ana. Vnc. ß. Cort. tamarisc. rad: cappar. polypod: qu. an. Dr. vj. cort: citri Vnc. ß. Zedoariæ Dr. ij. chamædr. ling: ceruinæ melissæ. capill: veneris. absinth. an. mß. flor: borrag: bugloss. an. mj. cinamomi. Dr. ij. spic: indic. ligni aloës an. Dr. j. affunde vini Nekarici vel Rhenani calefacti ℔ vj. *stent aliquandiu in infusione, & postea aliquoties traijciantur per manic: Hipp: vltimò adde sacchar: albiss: Vnc.* iij. mane post jusculum, vel in prandio & cœna, loco primi haustus vsurpetur. Vel paretur tale Destillatum. *Rec. rad: aperient, Vnc. j. helen. Dr. vj. cortic: tamarisc. fraxin. an. Vnc. ß. meliss. betonic, chamædr. chamæpit. an. mij. card: benedict. mj. sem: anisi. fœnicul. ana Vnc. ß. flor: bugloss. genist. centaur: minor. an. mj. macerentur omnia in aq: borrag.* ℔ iv. *vini* ℔ iij. *postea colentur. colatur: adde succi fumar:* ℔ j. *cochlear.* ℔ *ß. trochisc. de cappar. Vnc. j. destillentur.* Destillatum exhiberi potest vel solum, vel cum syrupo borrag: aut alio, aut etiam addi oxymel scillitic. vel tartarus vitriolatus.

Destillatum.

CAPVT XXII.

De Curatione Affectus Hypochondriaci per Purgantia medicamenta.

Vbi præmittuntur Leges ante assumptionem medicamentorum purgantium.

Leges in exhibitione medicamentorum purgantium obseruandæ.

PRæparato itaq; humore, Purgatio est instituenda, sub legibus tamē sequentibus.

I. Ne in principio in hoc affectu vehementioribus & validioribus medicamentis vtamur: siquidem laborantibus ventriculo & partibus illi vicinis, fortiora non conueniunt, cùm debilitatem & siccitatem ventriculi augere, & caliditatem hypochondriorum fouere possint: satiùs itaque fuerit, primò lenioribus agere, & quę à proximis tantùm partibus, in quibus noxia materia detinetur, hanc trahere valeant: vbi etiam maximè conueniunt Enemata, quæ tamen non sint admodum acria, sed potiùs temperata, ita vt simul flatus dissoluere, & æstuantes partes refrigerare possint.

II. Quod si contingat, vt mitioribus hiscè aliquoties exhibitis nihil omninò proficiamus, malum verò intereà altas radices egerit, ad fortiora

tiora & validiora nonnunquam, in robustioribus tamen corporibus (cùm duro nodo durus quærendus sit cuneus) ascendere licebit, modò debilitas & caliditas viscerum aliquo pacto remiserit, febris nulla adsit, & vires satis cōstent. Semper tamen præstat, si aliquas saltem morbus inducias præbeat, iterare seu frequentiùs exhibere medicamenta lenia, quàm valentioribus semel & vno impetu naturam prosternere.

III. Et hoc in recta purgationis administratione neutiquam prætereundum, ne humoribus mixtis in corpore existentibus, illos omnes simul & semel euacuemus, cùm in transitu vnus humor impediat alium, sed primò pituitam crassam, si quæ adest, cùm illa meatus, per quos transit, obstruendo, reliquos in corpore humores detineat, nec liberiùs exire sinat, educamus; postea verò reliquos humores deturbemus.

IV. Atque hoc ipsum fieri oportere, tùm ipsa corporis structura, tùm vsus partium satis supérque demonstrant: cùm enim ob nimium calorem, venæ mesaraicæ, chylum crudum & inconcoctum, ex stomacho sicciore, debiliore, & ægrè coquente, auidiùs justo rapiant, hepar

verò tàm primarium quàm vicarium (lien puta) supercalefactum itidem alimentum è mesaraicis non satis elaboratum ante perfectam concoctionem in sui cuiusque nutrimentum attrahant, vnde & postmodùm venæ reliquæ iterum suam portionem accipiunt, pituitosam materiam ex alimenti partibus reliquam, à neutro prędictorum viscerum totam expetitam, in præfatis venulis & intestinis relinqui, ibidémque indies cumulatam ac coaceruatam, crassitie & viscriditate suâ meatus obstruere plausibile est, adeò vt etiam ratio aliqua adstrictionis alui hypochondriacis satis familiaris, hinc desumi possit: vnde ratione necessariæ consequētię, mesaraicas venas & intestina primùm ab infarctu viscidæ materiæ liberanda (cùm causæ præternaturales eo, quo se mutuò pepererunt, ordine tollendæ sint) postmodùm verò alios quoque humores peccantes euacuandos esse, in propatulo est.

V. Si cruditas acida adsit, & humor aliquis pituitosus ac viscidior admisceatur, paulò fortiora & pituitam etiam purgantia, vt agaricum, turbith, spec: diaturbith, episcopi, & similia admiscerę licet: eâ tamen cōditione, vt ægri sumto

tò medicamento vltra duas vel tres horas non ieiunent, ne vis fortioris medicamenti vltra epar & lienem, ad remotiores partes penetret, sed solùm id, quod circa ventriculum & epar ac lienem est, euacuet. Si verò nidorosa cruditas præcesserit, lenientibus vtendum, vt mannâ. syr: rosar. vel violarum solutiuo, rhabarbaro. folijs senæ. Et ne calor viscerum purgantium vsu quocunque modo augeatur, vtile est, post sumptum purgans paulò ante cibum haustum bonum seri lactis caprini sumere, quod & purgans abstergit, & calorem illum in visceribus temperat.

VI. Si crudi humores in ventriculo generentur, ex solo caloris innati defectu, id quod in literatis & studio nimio deditis comuniter accidit (& tum ructus ac flatus, qui emittuntur, & aciditatis & nidoris expertes sunt) à frequentioribus purgationibus abstinendum; cùm ab ijs calor natiuus ampliùs debilitetur: sed calor natiuus augendus & fouendus, & bona diæta ordinanda. Ita si humores adusti, & intemperies calida maior sit, à valentioribus medicamentis abstinendum. Si verò humor crassior, & intemperies minor: fortiora tutiùs vsurpantur.

VII. Cúmque viscera in hoc affectu siccita-

te nunquam careant, à valdè calefacientibus & ſiccantibus abſtinendum; contrà, ſemper vtile eſt, medicamenta humectantia, & quæ alterandi vim habent, admiſcere. Hâc ipsâ de causâ aloës frequentior vſus non ſatis commodus eſt, præſertim ſi copioſiùs ſumatur, ita vt ad vaſa illa, calidâ & ſiccâ intemperie laborantia, & epar, penetrare poſſit. Interim ſi minore quantitate, & paulò ante cibum ſumatur aloë & ex ea compoſita medicamenta, pituitoſos humores è vẽtriculo & inteſtinis abſtergere poſſunt.

VIII. Vtiliſſimum quoque fuerit alterantia & pręparantia purgantibus miſcere, & inde idonea humori præparando & euacuando medicamenta præparare, eáque ſæpiùs exhibere.

IX. Quandoquidem etiam humor huius mali cauſa pertinax ſit, & vnâ vice non tollatur: neceſſarium eſt purgationem aliquoties repetere, & per epicraſin ſenſim materiam euacuare.

X. Si poſt purgantiũ vſum, medicamentorũ reliquię aliquæ, vel intemperies aliqua ſuperſit, refrigerantium, attenuantium, aperientium, & detergentium vſũ, eæ abſumendæ & tollendæ, ac venæ & viſcera alteranda.

XI. Vomitoria in aſſuetis etiam repeti poſſunt.

ſunt, & pro ægri tolerantiâ nunc leniora, nunc fortiora vſurpanda: per vomitum enim commodè euacuantur humores, qui in ventriculo gignuntur aut reſident, vt & ij, qui in liene, cauitate jecoris, & pancreate continentur: vndè fit, vt non raro ex his locis craſſiſſimi & maximè contumaces humores, qui alijs medicamentis extirpari non poſſunt, & diuturni, qui ab ijs pendent morbi, curentur, teſte Sennerto lib. 5. inſtit: part: 2. ſect. 1. cap. 9. Si itaque res ſuadeat, excitandus eſt aſper ille & membrorum jeiunus fractor vomitus, ex longioribus interuallis, poſt cibum, in hoc affectu, leuioribus tamen primò, vt ſunt, aqua hordei, vel ſimplex tepida, cum pauxillo mellis & ſalis, ptiſana cum melle, hydromelite, oxymelite ſimplici cum aqua tepida, juſculis pinguibus, ſyrupo acetoſo, violato, &c. Vbi verò malum hoc pertinaciter perſeuerat, fortioribus etiam ex mineralibus petitis id fieri poteſt, ceu ſunt: aſarum. rad: elleb: albi. vomitiuum Conradi, quod paratur ex rad: elleb: albi. bryon. cyclamin. & deſcribitur ab Heurnio lib. 2. meth. ad prax. c. 21. Gilla Theophraſti. Mercurius vitæ, vomitorium Hartmanni. Aqua benedicta Rulandi & Quercetani.

ni. Aqua nucum viridium. Syrupus emeticus Sennerti, &c. Optimo cum effectu, in quotidiana praxi mea, vtor oxysaccharo vomitiuo sequenti.

Vomitoriũ vsuale. *Rec: vitri Antimonij pulu: Dr: ß. Aceti vini albiss. Vnc.* viij. *infundantur in B M. leni igne per horas* xv. *colaturæ adde sacch: albiss. Vnc.* iv. *reduc in patina vitrea ad consistentiam. Dosis à Dr:* ij. *ad* vj. Quidam loco vitri antimonij, accipiunt crocum metallorum, vel etiam flores antimonij. Cauendus verò vomitus in ijs est, quibus ventriculus est admodum debilis, quique ad vomitum non sunt apti & idonei (cùm difficulter vomentes à vomitu arcendi sint, teste Hipp. 4. aph. 4.) vt obesiores, maximè, si frigus hybernum accedat, vt & in ijs, quibus ex quauis occasione caput facilè dolet; sicuti etiam in vomitorijs eligendis ex mineralibus petitis summâ cautione opus est, ne in grauissima pericula ægrotos conijciamus, vt sæpenumerò contingit: qualia exempla apud Rosenberg. in Ros: nob. Iatric. exercitat. 21. 22. Camerar. in syllog: memorab: med: & mirab: nat: arcan: cent. 10. part. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. & alios passim videri possunt.

XII. Interdum etiam in hoc malo tutò & cum vtilitate medicamenta diuretica adhiberi possunt, maximè temperata seu aliquantulum refrigerantia, ceu sunt rad: 5. diureticæ, graminis, liquiritiæ, capill: veneris. sem: 4. frig: maior. caro & sem: pepon: cucurbit: cucumer: hordeum. fraga. semen Halicacabi, seu Alkekengi fructus. syr: de althæa Fernelij. Spiritus salis, &c. siuè illa dococta, siuè destillata ex quibusdam facta fuerint: humor enim melancholicus maximè serosus & aquosus cùm sit, egregiè illum medicamēta diuretica expurgare solēt. Quamuis Hollerius in Scholio in cap. 40. nullam viam esse à liene ad renes putet, nisi multiplici tractu in venam cauam regurgitans humor eò perueniat: tamen res longè aliter sese habet, & expedita satis, nec ita longa via est à liene per arteriam cœliacam ad arterias emulgentes, & ab his ad renes. Hinc etiam Gal: 2. ad Glauc. c. 2. renes & lienem per vrinas expurgari docet. Testatur id etiam experientia, ac sæpè obseruauimus, ab hypochondriacis & lienosis nigerrimas vrinas, & quidem cum cōmodo redditas fuisse. Quod etiam Antonius Valetius obseruauit, qui, *Diureticorū vtilitas.*

in exercitat. in modò allegatum caput Hollerij idem refert.

Diaphoretica & Physagoga cautè exhibenda.

XIII. Nonnulli hic porrò, si flatus valdè vrgent, ex communi consuetudine ad diaphoretica, carminatiua seu physagoga electiuè sic dicta confugiunt: verùm viderint illi, ne ijs, præsertim calidioribus, & quidem intempestiuè exhibitis, calorem viscerum præternaturalem, sicque causam atque originem ipsius ægritudinis augendo, flatus potiùs cumulent, quàm dissipent, atque ita ægro hac in parte non solùm noceant, verùm etiam interitum persæpè accelerent.

XIV. Etsi verò quandóque purgantibus, & hactenus propositis medicamentis sæpè repetitis, malum hoc tollitur: tamen si paulò contumacius, & diuturnius sit, ijs non semper cedit. Vbi ad tria efficacissima remedia tandem confugiendum est. Chalybem. Acidulas, & Thermas. Verùm in horum & similium vsu, prudens Medicus semper ad morbum, causas, symptomata, ægri temperamentum, habitum corporis, ætatem, tempus anni, & alia respiciat necesse est: ex quibus facilè colliget, quidnam magis vrgeat: an magis refrigeratione, an calefactione,

Chalybs Acidulæ & Thermæ extrema remedia.

ne, aut humectatione opus sit, & quodnam remedium æger faciliùs & commodiùs perferre possit. Vbi etiam semper oraculum Hippocratis ante oculos habeat: vt in morbis prosit, aut saltem non noceat.

XV. Consultum est denique, vt interdum ab omni remedio abstineamus, & Naturæ aliquam remissionem concedamus, quę aliàs assiduis remedijs affligi solet, quiescens verò recreatur, & validiùs hostem deinceps aggreditur, illúmque faciliùs superat, cùm aliàs etiam nulla maior pernicies sit, & quæ magis in incurabiles ægritudines deducat, quàm pharmaca præsertim fortia multiplicare, sæpiúsque repetere. Opportunè quoque & tempestiuè taliter affecti singulis annis non solùm Vere, sed etiam Autumno purgandi: sicuti Galenus hoc facere solitus est, qui se hoc modo multos ab ista labe præseruasse gloriatur.



CAPVT XXIII.

In quo proponuntur medicamentorum purgantium formulæ in hoc affectu exhibendæ.

Medica mẽta purgantia mitiora simplicia. PVRGANTIA itaque in hoc affectu adhibentur aut mitiora aut fortiora, eáque vel simplicia vel composita. Mitiora sunt, epythymum, polypodium, sena: Montanus cassiam summoperè commendat, vt quæ qualitatibus manifestis, substantiâ & virtute aromaticâ huic ægritudini maximè conueniat, quia tamen flatulenta est, corrigentibus opus habebit: fumaria, myrobalani Indæ, &c. Ex quibus Decocta seu Apozemata, Infusa, Diluta, parari possunt, præparantibus anteà descriptis admixtis. *Composita mitiora. Galenica.* Composita verò partim ex Galenicorum, partim ex Chymicorum familia desumi possunt. Galenicis familiaria sunt: Decoctum senæ D. Gerconis, syr: de polypodio. de epithymo Mesuæ. de fumaria maior & minor eiusdem. syrup: ex multiplici infus: rosar. & violar. de cichor: cum rhab. Diaser: Andernaci. Puluis senæ præpar: Montagnanæ. Puluis melanagogus Quercetani. Syr: de sena Augustanorum. Syr: melanagogus

gogus Dorncreillij. Electuarium lenitiuum Nicolai & Florenzolæ, Passulæ laxatiuæ, Diacatholicon, &c. Chymicis in vsu sunt. Essentia foliorum senæ. Arcanum ex ijsdem absque vlla additione paratum. Extractum eorundē &c. Fortiora simplicia sunt. Lapis Lazuli. Lapis Armenus. Helleborus niger. Antimonium, &c. Composita itidem partim ex Galenicorū, partim ex Chymicorum penu depromi possunt. A Galenicis quæ petuntur, sunt. Mel helleborinum. Vinum helleboratum Quercetani. Vinū purgans senæ vindemiæ tempore optimè præparatum eiusdem. Oxymel helleboratum Iuliani & Gesneri. Oxymel de Peto Quercetani. Decoctum epithymi Mesues. Syrupus rosatus laxatiuus compositus seu helleboratus Montani. Diabalzemer seu Electuarium senatum Renodæi. Electuarium melanagogum Quercetani. Diasena. Diapolypodium magistrale. Hiera Logadij. Hiera Ruffi. Hiera Pachij. Hiera Abbatis. Hiera Archigenis. Hiera Diacolocynthidos Fernelij. Confectio Hamech cum infuso vel decocto hellebori. Pilulæ de fumaria, de lapide Lazuli, Armeno, Indæ. De 5. generibus Myrobalanorum. Tartareæ, Melanagogæ

Chymica.

Fortiora simplicia.

Composita Galenica.

Quercetani. Assaieret cum helleboro nigro, & sexcenta alia. A Chymicis verò quæ subministrantur, sunt. Extractum Panchymagogum. Melanagogum Quercetani. Melampodij, seu hellebori nigri, tanquam specificum. Antimonium seu stibium à varijs variè præparatum. Turpethum minerale, Mercurius præcipitatus albus. Flores Antimonij correcti. Mercurius seu Rosa vitæ. Electuarium Antimonij Crollij, & multa varijs nominibus insignita alia.

Composita Chymica.

Historia de exhibitiõe Hellebori crudi.

In Helleboratis autem & Antimoniatis alijsque fortioribus tùm præparandis cùm propinandis magnâ cautione opus est: nec cruda tam facilè, aut sine corrigentibus exhibenda. Non multi enim abhinc elapsi sunt anni, à quibus empiricus quidam, aliàs balneatorem se professus (quod genus hominum plerumque omniscium, temerarium, & superciliosum, de cæterò tamen stupidum & phantasticum est) nostram accedens vrbem, publicè iactare se ausus est, quòd nouâ methodo, & singularibus remedijs, sepositis & spretis omnium Medicorũ scientijs, quascunque melancholias, recentes & inueteratas, in quocunque etiam gradu & habitu essent, tollere, & è corporibus humanis pellere

lere possèt. Peruenit hæc fama non solùm ad sordidum vulgus (quod nouitates amat, mirè credulum est, & libenter decipitur) sed Primatum quoque, aliàs veratrum ægrè admittentium, aures titillare cepit (nam & hoc nostratium voluptatum genus non inelegans est, quã maximè peregrina maximè suscipere, & domestica negligere) quòd tandem melancholiæ propugnator aliquis aduenisset. Itaque nouum Æsculapium celebrare, & de nouis curationibus periculum facere, statutum est. Pro prima autem victima se Rusticus quidam maniâ furiosâ detentus, nolens volens offerre debuit: nam sæpenumero rustici pro dominis occumbunt, vt verè dictum sit

Quicquid delirant Domini, plectuntur Achiui.

Is infortunio suo, ad suburbium nostrum, Augia dictum, aliunde aduenìens, domos exurere, incolas excipere verberibus, & nescio quas insolentias furijs & morbo exagitatus, exercere instituit. Verùm postquam res ad Augiæ Præfectum delata est, ne officio suo deesset, incolísque, aut sibimet ipsi maniacus vlteriùs nocere posset, carceri ad pontem Isaræ proximo, includi, & ad atram bilem discutiendam empiri-

cum

cum prænominatum panaceam suam adhibere jussit. Vocatus igitur, præstò fuit, ægróque salutem (vti liberales sunt in promittendo & mentiendo) restituere non dubitauit. Certam hinc quantitatem radicum Hellebori albi in aqua simplici parùm coquit, decoctámque ei exhibet; deserto postmodum per horam ægro, dùm medicamenti effectum & operationem bonam expectat, corpus miseri ex toxico violentiùs commotum (sine dubio viribus non sufficientibus, & forsitan etiam ex actibus furiosis & vigilijs continuis) fractis, conuulsionibus correptum, & ex vehementibus crebrísq; euomitionibus suffocatum est. Superueniente tùm empirico, vbi contrarium curæ suæ euentum & successum vidit, pœnam, quam ipsi consciẽtia dictauerat, relictâ vxore & prole propriâ, fugâ declinauit. Cadauer postea extincti ex mandato Consilij Aulici à me inspectum, totum rigidum & conuulsiuum apparuit: cutis ab occipitio per integrum tergum vsque ad plantas pedum, ex rubro, cæruleo colore tincta: os, spumoso & bilioso humore repletum, certa conuulsionum & suffocationis signa dedêre. Error itaq; temerarij huius empirici fuit in hoc, quòd

Helle-

Helleborum crudum, incorrectum, & in magna nimis quantitate exhibuerit ægro: solutiua enim hæc simpliciter pota, nullísque antidotis infrænata, vel maiori mensurâ aut pondere quàm par sit, sumpta, non minus homines interimunt, quàm quæ propriè venena vocantur. Matthiol. fol. 1002. Auic. lib. 4. f. 6. t. 1. cap. 16. Capiuac. cap. 10. Petrus cap. 33. Cæsalp: cap. 24. Dioscorid. lib. 4. cap. 145. Hinc ille, cui succus Hellebori datus fuerit, aut radix eius, patietur strangulationem gutturis, & nisi succurratur, subitò suffocabitur, Petr: Aponens: fol. 36. Sed opponi posset? eundem haustum pluribus sine nocumento exhibitum fuisse. Respondeo, rem ideò non carere periculo, licet exinde non omnes statim moriantur: nam ex assumptione eius, horribilem vomitum ingentia sequuntur alui profluuia, intestinorum tormina, suffocationes, conuulsiones, animi deliquia, palpitatio cordis, linguæ arefactio, dentium constrictio, & vniuersi corporis inflammatio atque tremor, cum quo postremo ægri moriuntur. Desperati itaque morbi cura, cùm aliquando circumforaneo aut empirico feliciter succedit, potiùs casu contingit, quàm artis industriâ, parúmque

cauti sunt, qui se illis committunt: felicem enim vnum aliquem quem sors dederit jactum, mille postea errorum dispendia diffamant, vt in empiricos multis methodi locis jactat Galenus. Plures similes verissimos depromere casus possem, si lectorem remorari, & paginas implere vellem. Itaque missis his, ad remediorum purgantium formulas in affectu hypochondriaco applicandas procedemus.

Enemata. Primò itaque occurrunt Enemata, quæ talia aut similia pro judicio cuiusque Medici præscribi possunt.

Rec: Herb: betæ. mercurial. maluæ. bismalu. an. mj. absinth. mß puleg. mj. flor. cham. rom. P j. sem: fænugr. lini. ana Dr. iij. *cartham. polypod: qu. ana. Vnc. ß. Coq pro* ℔ j. *in quibus dissolue. Elect: lenitiu. Dr.* vj. *Diacatholici. Vnc. ß. Ol: chamæm. Vnc.* j *ß. rosac. Vnc.* j. *mell: ros: colat. aut solut. Vnc.* j. *ß. salis Dr.* j. *M. f. Enema.* Vel fiat tale contra melancholiam. *Rec: Herb: fumar. endiu. chamædr. chamæpit. cuscut. ling. ceruin. ana mj polypod: qu. aper. Vnc.* j. *ß. epithym. cret. Dr.* vj. *Prun. Damasc: exoss. par.* x. *Tartar. albiss. Vnc.* j. *Fol: Senæ Alex. s. s. Vnc.* iij. *flor. 4. cordial. an. P.* iiij. *cort: rad: cappar. fraxin. tamar. ana. Vnc. ß. sem: anisi. fænic. carui. ana Dr. ß. zinziber. galang. cinamom. an. scr:* j. *f. decoct.*

ex

ex aq. comm. ad consumpt. med: part: posteà colentur. Colat: Rec: ℔ j. *dissolue in ea El: Diacathol: Vnc.* j ß. *adde Mannæ calabr: el. Vnc.* j. *Sacch. Thom. Dr.* vj. *M. f. Clyster. Reman. decoct. seru. ad vsum.*

Secundò Potiones purgantes, vt *Potiones purgantes.*

Rec: Polypod: qu. aper. Dr. vj. *Herb: fumar. cuscut. scolopendr. cent: min. ana mj. betonic. meliss. chamædr. endiu. cichor. ana mß. flor. 3. cord: demt. ros. ana P.* iij. *rad. 5. aperit. ana Dr.* ij. *liquirit: rasæ. Dr.* iij. *epith: cret. Vnc.* ß. *fol. sen. alex. s. s. Dr.* x. *sem. anisi. fœnic. carui. ana Dr.* j. *4. frig. mai. ana. Dr.* ß. *Tartar. albiss. Dr.* v. *Prunor. Damasc. n.* xv. *Passul. min. Vnc.* iij. *Tamarind. Vnc.* j. *Caric. ping: Iuiubar. sebesten. ana. n.* v. *Zingib. galang. cinamom. ana scr:* j. *f. omn. decoct. ex seri lact. & aq. lupul. ana. s. q. ad remanent. Vnc.* iij. *post. col. & cum alb. oui clarific. colat: Rec. Vnc.* ij. ß. *infund. in ijs p. n. Rhab: elect. Agar: troch. ana cum corrigent. Dr.* j. *manè leui ebullit: præmiss. iterum colentur & exprimantur. Colat: adde syr. Diaser. Andern. de polypod. ana Dr.* vj. *spir. salis gutt.* vj. *M. f. Potio breuissima.* Alia. *Rec: Polypod: qu: aper. D.* vj. *Herb: fumar. betonic. scolopendr. endiu. cuscut. carduibened. lupul: salict. ana mß. flor. 4. cord an. P* ij. *Prunor. acid: exossat. par.* v. *fol. sen. Alex. s. s. Dr.* vj *sem. 4. frig. mai ana Dr.* ß. *Tartari albiss. Dr.* ij. *f. decoct. ex aq. lupulor & cichor. ana. s. q.* *Alia.*

ad remanent. Vnc. iiij. *in quibus infunde p. n. Agar. trochisc. Dr.* j. *ß. Rhabarb. elect. Dr.* j. *Zingib. galang. an scr:* j. *spicæ Indic, squinanth. ana. scr. ß. manè leui ebullit. præmiss. colentur & exprimantur. Colat: Rec: Vnc.* iij *dissolu. in ijs Elect: Diacathol. Dr.* vj. *Confect: Hamech Dr.* j*ß. Extr: helleb: nigr. gr.* vij, *adde syr. violar. cærul. Vnc. ß. spec. diamoschi dulcis scr. ß. M. f. Potio.* Alia.

Alia. *Rec: Decoct. comm. flor: & fruct. cum fol. sen. mund. Vnc.* ij *in quibus dissol. Extr: fol: sen. Dr.* ij. *Helleb: nigri. scr. ß. adde syr. violar. Vnc. ß. Ambr: grys. gr.* iiij. *M. f. Potio breuis.*

Alia. Alia. *Rec: Herb: fumar. cuscut. betonic. chamædr. chamæpit. ling: ceruin. ana. mß. Polypod. qu. aper. Dr.* vj. *flor. 4. cord. ana. mj. fol: sen. Alex. s. s. Vnc.* ij*ß. Prunor: acid. par.* x. *Tart: albiss. Vnc. ß. macis. galang. cinamom. card: min. ana Dr.* j. *sem. anisi. fænic. carui. ana. Dr. ß. f. decoct. ex aq. comm. ad consumpt. med. part. post colentur, & cum alb: oui clar. Colat. opt. clarif. Rec: Vnc.* iij. *dissolu. in ijs Elect: Diacathol. Vnc. ß. adde syr. è succ. fumar. ros: solut. ana Dr.* vj. *Tinct. chalyb. scr.* j. *spir. salis. gutt.* vj. *M. f. Potio.*

Syrupus purgans. Tertiò syrupus purgans talis pręparandus & exhibendus.

Rec: rad: cichor. endiu. scorzoner. eryngij an. Vnc. ß. petroselin. fænic. apij ana Dr. iij. *cort: rad: cappar. tamarisc. fraxin. ana. Dr.* iii*ß. polypod. qu. aper. Vnc.* j. *glycyrrhiz.*

cyrrhiz. raſ. Dr. vi. ſem: dauci. aquileg. an. Vnc. ß. plantag. Dr. ii. cartham: conquaſſ. Vnc. i ß. paſſular. Vnc. i ß. fol: ſen. ſ. ſ. Vnc. iii. epithym. cret. Vnc. ß. Herb: cichor. endiu. betonic. ceterach. veronic. adianth: nigr. hyſſopi. ling: ceruin. ſpicæ nardi. carduibened. an. mj. Coq: in ſ. q. aquæ, adde Acet. ſquillit. Vnc. v. pro ℔ ij. quæ colentur, & diuid. in 2. part: æq: vni parti colaturæ, ad dimidias incoque cort: rad: helleb: nigr: ritè præparat. D. iii. garyophyll: Dr. i ß. expreſſum & colatum ſeruetur. Alteri parti colaturæ adde myrobalan. chebulor: ol: amygdl: dulc. præpar. indor. ana Dr. iii. Coq: vt decet, poſtea in fine coctionis per noctem in nodulo infunde Agar: trochiſc. Dr. vii ß. Rhabarb: opt: Dr. ii ß. ſpicæ Dr. ß. manè affuſo ſuperiori colato & expreſſo bulliant parum, & validiſſimè exprimantur. Colaturæ, quæ non ſuperet ℔ j. adde ſyrupi Bizantini. de ſcolopendr. an. Vnc. iij. oxyſacch. ſquillit: Vnc: ij. ſacch: albiſſ. Vnc. iij. coque ad conſiſtentiam ſyrupi fluidiorem, de quo ſingulis diebus æger manè Vnc. iij. vel iiij. vel q. ſ. ſumat, addatúrq́; ſingulis doſibus ol. aniſi vel cinamomi vel citri gutt. j. idque continuetur 4. diebus, quinto æger quieſcat, hinc ad vſum ſyrup: redeat, donec planè abſumptus ſit.

Fuit mihi quoque recommendatus ſequens ſyrupus, ab optimo quodam amicorum meorum, Pharmacopœo: qui, vt artis pharmaceuti-

cæ peritiſſimus, ita quoque illius expertiſſimus eſt: Reuerendorum Patrum Societatis Sedulus Maierus, & in pharmacorum præparatione & adminiſtratione exquiſitiſſimus, nec chymicarum operationum ignarus. Hunc itaque ſyrupum, vti quoque deſignatos trochiſcos, in melancholia hypochondriaca flatulenta, ſe ex prę ſcripto nominatiſſimorum Medicorum, ſępius præparaſſe, & magno cum ægrorum leuamine exhibuiſſe, affirmabat.

Rec: Herb: Maioran: hyſopi. ſerpilli. Meliſſophil: Beton: an. mß. Borag: Cuſcut: ſcolopendr: Capill: veneris, an. P j. Rad: Cichor: Borag: Fænic: Capar: an. Dr. iij. Abſynth. Cor: Citri an. mj. Fol: ſen: Epythim: ana Dr. iij. Pulegij Flor: Chamomil: Centaur: min. ana Dr. ij. Chamædr: Chamepith: an. Dr. ijß. Iunci odorat: ſpicæ indic: ſem: Aniſi. Dauci. Fænicul: rad: Aſari an: Dr. j. Paſſular. Vnc. j. Miſce & fiat omnium infuſio cum aq: cõmuni per noctem. mane ebullitione & expreßione facta Rec: Colaturæ ℔ iv. quibus adde ſucci pomor: dulc: acidor: ſucci roſarum. granator: acidor: an: ℔ ß. ſucci Borag: Fumariæ an: ℔ j. ſacchari q. ſ. fiat ſ. a. ſyrupus. Doſis Vnc. iij. cum aq: Lupuli vel Boragin. Poſt ſyrupi vſum detur aliquando Dr. j. Theriacæ Andromachi. Sequuntur Trochiſci.

Rec:

Rec: Cremoris Tartari Vnc. ij. facchari candi albi Vnc. j. cum infusio: tragacanth: factâ in aqua violarum: fiant Trochisci. Notandum. Cremor Tartari per triduum infundatur in succo Limonum recenter expreſſ: deinde incorporentur omnia: & fiant ſ. a. Trochiſci, qui aromatizentur ambræ moſchi ana ſcr: j. ſi placet.

Quartò Decoctum galli veteris, quod ſingulariter in hoc affectu commendatur, ſequenti modo parandum. *Rec: Polypodij quer. ſem: carthami ana Vnc. jß. Thym. Epithymi ana P j ſem: Cumini. Aniſi Anethi Fœnicul. Carui. Carduibenedicti ana Dr. ij. Folicul. ſenæ vnc. j. Turbith gummoſi vnc. ß. Cinamomi Dr. jß. Cryſtallorum vel cremoris Tartari albi vnc. ij. ſalis Gemmæ vnc. ß.* contundantur & miſceantur ſimul, ex qua miſtura venter galli veteris euiſcerati impleatur, dein coquantur tribus aquæ partibus, & vnâ vini albi, quouſque galli caro ab oſſibus ſeparetur. De hoc decocto ſeu juſculo vtatur æger omni mane, idque ad pluſculos dies. Alij ſic parant. *Decoctum Galli veteru.*

Rec: rad: polypodij vnc. jß. ſem: carthami vnc. j. Cinamomi acuti Dr. iij. Fol. ſenæ elect. Turbith. albi. Cort: Aurantior: an. Dr. ij. Zingib. alb. Galangæ min. Macis ana Dr. j. ſpec: Diacymini. Dianiſi. ana Dr. ß. Baccar: Lauri. n. vj. ſpecies mixtæ vltimò cum panni-

niculo, cùm gallus sufficienter ferè est coctus, imponantur. Ius inquit, Dioscor: lib 2. cap. 43. è vetere gallo, aluum deijcit, crudos humores, crassósq;, atram bilem, & strigmẽta elicit. & Gal: xi. simpl. scribit, jus gallinarũ habere vim aluum retinẽdi, velut gallorum veterum, subducendi. Vbi pariter obiter monendũ est, ne juscula gallinæ, ijs qui purgationem sumpserunt, ante completam vacuationem præbeantur, quamuis enim nutriant, aluum tamen remorantur. Iunioris autem galli jusculum nutrit optimè, humores contemperat, & propterea ægrotantibus optimè conuenit: quod etiam Mesues cap. 23. de simpl: purg: testatur. Addit tamen (interprete Syluio) decrepitorum autem præcipuè gallorum caro nitrosa & salsa, cibo inepta, medicamentosa est, iure suo maximè, potissimùm verò gallorum ruforum, qui ad motum sunt alacres, ad coitum ardentes, ad dimicandum fortes, obesorum & macrorum medii, quaque vetustiores eò magis sunt medicamentosi Galeno: Id ius, ob nitrosam & salsam substantiam, calidũ est, lauat, terget, tenuat, flatus dissipat, obstructa aperit, purgat pituitam & melancholicos humores.

Vsus jusculi gallinæ inter asũptionem medicamentorum

Quintò

Quintò Vina purgantia ſequenti modo & formâ præſcribenda. *Vina purgantia.*

Rec: Rad: Cichor: Petroſel. Fænicul. Aſpar. ana ſcr: iiij. Herb: cuſcut: ſcolop. Capill: vener. Betonic. Fraxin. ana. mj. Flor: Borrag: Cichor. an. P ij. Fol: ſenæ vnc. ij. Agarici. Dr. ijß. Rhabarb: elect: Dr. jß. Cort: Citri ſicc. Dr. j. Galangæ. macis. ſem: fænic. Aniſi. ana Dr. ij. zz. Dr. ß. Cremor: Tart: Dr. ij. Incidantur & contund. ſ. a. ad chartã pro nodulo. Aliter. *Rec: Rad: Cichor. Polypod: qu: ana Dr. iij. Aſparagi. Petroſel. Cort: rad: Capp. ana Dr. iijß. Tamariſci. Dr. ij. rad: Hellebori nigri præparat. Dr. ij. Herb: Cuſc. Capill: vener. ſcolopendr. Borrag: Epithymi an. mj Abſynth. mß. Flor: bugloſſ: borrag. ana P j. Fol: ſenæ vnc: jß. rad: mechoacan. Agar: Rhabarb: ana Dr. iijß. Turbith: opt. Dr. jß. Myrobalan: Indor. Dr. iij. Cremor: Tart: Dr. ij. Salis Tamariſci. Fraxini. ana ſcr: j. ſem: aniſi. fænic. an. Dr. jß. Cinamomi elect. Dr. ij. macis. Galangæ. zz. an. ſcr. ij. ſpec: diarrhod: abb: in petia Dr. j.* Inciſa & contuſa imponantur nodulo ſericeo qui pendeat per 24. horas in menſura vna cum dimidia vini albi boni Nekarici vel Rhenani vel Auſtriaci. Manè ſumat purgandus de eo vino bonum hauſtum, tepidum factum; poſt horas duas iterum hauſtum, qui, ſi neceſſitas poſtulat, circa meridiem vel veſperum reiterandus, ſin-

gulis diebus vel alternis, donec satis purgatus sit æger, continuando. Monendum te quoque censui Lector, ne vinis medicatis ex speciebus purgantibus concinnatis, limaturam chalybis, ex aliquorum Medicorum præscripto, addere velis: in praxi enim & experientiâ meâ comprobaui, illa vina minus laxare, & alui solutionem remorari, minúsque penetrare.

Experientia in vino medicato chalybeato.

Sextò Pulueres in hac forma conuenient.

Pulueres purgantes.

Rec: Crystallor: Tart. vnc. ß. Fol: senæ Alex. Dr. v. Rhab: el. Agar: troch. ana Dr. ij. scammon. præparat. Dr. j. Turbith: alb. Hermodactyl ana Dr. ij. Cinamon. Galangæ. macis. ana Dr. ß. Misce pro puluere, de quo Dr. j. in liquore, vel jusculo propinetur. Scammonium quoque & Antimonium spagyricè pręparatum cum granis aliquot salis tartari, per quotidianã experientiam meam, in affectu hoc hypochondriaco, maximo cum fructu, non minore cum ægrorum leuamine exhibeo. Accipitur scammonei electissimi certa quædam quantitas, eáque crassiusculè trita super chartam exugentem appellatam extenditur, mox sulphure super ignitas prunas iniecto, super fumum, qui ex sulphure attollitur, charta iam dicta eousque detinetur, quousque scammonium liquari, & char-

tæ adherere incipiat; nam tunc ſtatim à fumo charta remouenda eſt, aliàs ſi diutiùs ibi permaneret, vim ex toto amitteret. At ſi vt dictum eſt paretur, medicamentum redditur ſine odore ac ſapore efficaciſſimum, ad bilem, cæteróſque calidos ac tenues humores, blandè, placidè, & abſque caliditate, ac moleſtia (contrà ac faciat ſcammonium communiter paratum) educendos. Antimonium verò alia arte, & aliis ingeniis paratur, quàm huc vſque paratum fuerit: nam accipiuntur antimonii optimi pars vna, v. g. vncia vna; ſalis verò nitri ſic nuncupati partes duæ, v. g. vnciæ duæ; ſimul negligenter triturantur, mox in vaſe teſtaceo (crucibulum vocant) ſupra carbones ignitos collocato, ponuntur ad comburendum, ſeu vt dicunt, ad calcinandum, (ſed notandum, ne talis calcinatio fiat igne admodum vehementi) hoc facto, iterum tantundem ſalis nitri, ſcilicet ad vncias duas ponitur, & denuò comburuntur. Tertiò denique, rurſus tantundem ſalis nitri ſuperadditur, videlicet ad vncias duas, & comburuntur. Quoniam verò ſecunda, ac tertia vice, difficulter admodum combuſtio, ſeu calcinatio ſequitur; eapropter, vt vis ignis quoquouer-

sùm penetrare poſſit, ferro ſeu carbone ignito continuò res dictæ ſunt verſandæ, donec ex æquo vndequaque penitus combuſtæ ſint, id quod ex colore cognoſcitur: nam vel ſubalbæ, vel ſubflauæ redduntur; & quod ſi ſuper ignitos carbones iterum ponantur, non amplius crepitum, vel fumum emittunt. Inſuper idem antimonij pondus, vel parum excedens, quod ante calcinatiōem acceptum fuerat, poſt calcinationem remanere debet. Hoc pacto antimonium paratum mutatur ſecundùm ſubſtantiam: quia quæ vruntur Galeni authoritate 5. ſimpl: 15. 3. de temperamentis, ſecundùm ſubſtantiam mutantur: nullam adipiſcitur caliditatem, & copioſè quidem, ſed jucundè: non enim moleſtiam infert; ſuauiter: non enim prauo odore, non ſapore præditum eſt, corpus noſtrum à frigidis, & craſſis humoribus purgat, ſine vlla virium jactura. Quod verò ad vini fæcem ſpectat; hæc vt fiat cremor, ſeu ſal cum ſcammonio & antimonio permiſcendus, hac arte vti debemus. Accipiantur ex tartaro albo craſſo modo pulueriſato & multiplici aquarum ablutione repurgato, donec clariſſimum euadat, libræ quinque vel ſex: indantur in patinam

ter-

terream vitreatam; inde aquam affunde claram fontanam, vt quinq; aut ſex digitos materiam ſupernatet, & bulliant in vaſe per ſpatium duarum horarum: poſito dein vaſe in loco frigido, in ſuperficie concreſcet cremor cryſtallinus, quem ſeparabis cum cochleari perforato: reiteratâ ſæpiùs eâdem ebullitione, poſt materiæ refrigerationem ſemper cremor adimatur, qui in frigido coagulabitur, & fac, vt exicceturin aëre, & vtere. Caret hoc quoque omni odore, ac ferè omni ſapore, ita, vt medicamentum nulla ratione ingratum reddere valeat. Et quamuis eximia huius celeberrimi pulueris vis, & poteſtas in duobus duntaxat primis medicamentis verſetur; nihilo tamen minus hoc tertium medicamentum, ſi nō propter primam rationem, ſaltem propter alias huic pulueri addendum, ac permiſcendum eſt. Et recentiores omnes, qui de huiuſmodi cremoris, ſeu ſalis Tartari viribus pertractant, tales illi præcisè tribuunt virtutes, nimirum incidendi humores craſſos & tartareos, meatúſque obſtructos aperiendi. Scammonij doſis à granis ſex ad ſedecim vſque, vel decem & octo, & viginti duo in ijs, qui difficulter purgantur. Antimonij verò ſimiliter, vt di-

ctum est, parati, à granis quatuor ad duodecim vsq; , vel quatuordecim, sedecim & octodecim in ijs, qui difficulter purgantur. Vbi verò ex æquo vterque abundet humor, tunc dimidia dicti scammonij dosis, scilicet grana octo vel decem, & dimidia pariter antimonij, scilicet grana sex, vel octo, simul accipienda est. Tandem vbi alter alterum superat humorem, tunc pro ratione humoris superabundantis, medicamenti quoque ipsum respicientis quantitas augenda est. Vt e. g. si bilis pituitam, vel succum melancholicum superet, dentur scammonij grana duodecim vel quatuordecim : antimonij verò grana quatuor, quinque, vel sex. Quod verò ad tartari dosim pertinet; hæc proportione respondere debet, jam dictis, scilicet à granis duobus ad quatuor, vel quinque, vel sex.

Pilulæ purgantes. Septimò. Pilularum purgantiũ in hoc morbo præparandi ratio & modus, sequens non inconueniens erit. Cùm autem inter præcipua pilularum ingredientia aloë primas teneat, eius præparatio taliter instituenda. Rec: Aloës succotrinę optimæ & laudatissimæ ex vesica, Vnc. vj. aut ℔ ß. vel tantum, quantum lubet: quam redactam in puluerem, immittas in matracium *Aloës succotrinæ præparatio* seu

ſeu cucurbitam vitream; affunde aquæ endiuię, aut acetoſæ, aut alterius aquæ deſtillatæ, vt quatuor vel quinque digitos ſupereminea: pone in B. M. calidũ ac ferè bulliens, vaſe optimè clauſo cum ſubere ac cerâ Hiſpanicâ. Stet ita per duos vel tres dies integros, & conflabis aquam ab aloës eſſentia tinctam & rubicundiſſimam rubini inſtar, quam lentè per inclinationẽ à fæcibus ſeparabis, ne quod craſſum eſt, exeat ſimul: liquorem effuſum, ſeorſim aſſerua in alembico probe clauſo; materiæ relictæ aliam affunde aquam endiuię, ſed non tantum, quantum prius: denuò digere, vt ante, colaturam ſepara, prioríque adijce, ac rursùs aliam affunde, donec aqua nullum amplius eliciat colorem, & videbis reſiduũ, quod eſt in fundo, arenæ inſtar, aut cineris, in magna ſatis copia. Ex media libra, duæ vel tres vnciæ reſtabunt: eſt autem fęx aloës inutilis, nec in aqua diſſoluitur. Aquam omnem tinctam deſtilla per alembicum, aut fac exhalare in patina argentea, carbonibus ac cineribus calidis impoſita, donec materia reſtet craſſitudine mellis, quæ erit lucidiſſima rubini inſtar, & maiori artificio atque iudicio præparata, quam ſoleat vulgo ſimplici illâ

ablu-

ablutione, si vel centies abluatur. Hæc ipsa per se ad vnius scrupuli dosin exhibita excellens medicina est.

Nec te moueat, quod Aloë vim habeat glutinandi, astringendi, atque etiam eruptiones sanguineas compescendi, vti cum Dioscoride etiam ipsa experientia docet: nam foris quidem vasis admota, emplastica virtute sanguinem sistit, & ob id interius sumpta, ratione astrictiõis suæ, humores minùs mouere & expurgare, aliquis suspicari posset. Verùm Dioscoridem, de applicatione externa aloës in farinam tusæ loqui, credas, quòd nimirum sanguinis eruptiones compescat, cui Gal: consentit lib. 3. de Temper. c.3. Quòd nihil foris intúsque parem agendi vim habeat, & aloë deuorata, inque corpus distributa, tum venas hepatis, tum hœmorrhoides quoque aperiat: hinc illis vitanda, quibus hœmorrhoides sæpiùs & largiùs fluant. Docet hoc Mesue, item Brasauolus in examine succorum, vbi de nobili quodam scribit, cui, quoties aloën sumebat, ora venarum fuerint aperta. Quin etiam Iacobus Syluius asserit, experientiâ sibi constare, quòd ex frequenti eius vsu, hœmorrhoides tumere incipiant, & quibus jam

priùs fluxere, inde frequentiùs, largiùs, ac periculosiùs fluant. Quamuis negent alij, quòd aloë hœmorrhoides per se aperiat; potiùs mouere dicunt acres humores ad has venas, qui acredine hac feriunt eas, ac stimulant, vt sanguinem eructent, aut corrosæ fundant: purgat enim aloë bilem & pituitam salsam; & Platerus ob id laudat in hypochondriaca passione, quia longiori vsu mariscas aperit: in tumidis verò, ob causam dictam etiam prosit. Aloë itaque non suâ acrimoniâ aperit venas: id enim etiam extra corpus ageret, (quamuis multa sint, vti supra narratum, quæ extra corpus, & intra, diuersos habeant effectus) sed illâ vi, quâ etiam alia purgantia solent hœmorrhoides reserare, quando scilicet fundunt illos succos, qui acredine venis integritatem demunt aut sollicitant, stimulántue earum expultricem. Qui igitur naturam frequentiori aloës vsu ad sollicitandam aluum assuefecerunt, his humores descendunt ad sedem quasi omnes acres, sollicitant aut aperiunt venas, quod aloë adscribitur innocenter. Potiùs contrarium ab experientia habemus: quando aloëtica in maiori quãtitate sumpta, ventriculum roborando, aluum magis astringunt,

quàm aperiant, in pauciori verò quantitate deuorata, eandem magis relaxant & ſoluunt.

Gummi & ſcammonea præparationẽ reſpicientia.

Gummi quoque Ammoniacum. Bdellium, Opoponax & ſimilia, antequã in vſum veniant, ea in aceto roſato, aut vino albo diſſoluenda ſunt, & per ſetaceum ttaijcienda. Myrrha in vino ad ignem B. M. diſſoluta, adhuc calens per linteum tranſcolanda eſt. Vera ſcammoneæ præparatio fit cum ſucco limonum depurato, idque in eodem B. M. calido, in quo diſſoluatur, & feruens etiam adhuc per linteum tranſmittatur, & hoc pacto craſſa eius & impura ſubſtantia, quę non niſi noxam parit, ab ea ſecernetur. Plurimæ itáque deſcriptiones Pilularum purgantium contra melancholiam hypochõdriacam, in quotidiana quaſi praxi habentur, quarum copiam beneuolus Lector non ſolùm apud Practicos hinc inde diſperſim, verùm etiam in Diſpenſatorijs pręcipuè nouis, collectim inueniet; Remitto itáque Lectorem ad Ioannis Danielis Horſtij Archiatri Haſſiaci Diſpenſatorium Medico-Chymicum vniuerſale, Francofurti nuperrimè editum, in quo tanquam in faſciculo, omnes quę hactenus deſideratę ſunt arcanę deſcriptiones, fideliſſimè inueniet, vlteriùs

hic

hic non repetendas. Quum verò cuiusque facultatis non sit, libro illo licet vtilissimo doctissimóque sibi prouisionem facere, vnicam tantum viri illius solertissimi & sagacissimi pilularum suarum benedictarum & polychrestarum descriptionem, huic meo tractatui inserere volui, quorum tamen primus author, ob id, quod tartareæ & melanagogæ sint, Quercetanus prędicatur. Itaque

Rec: Crystallorum vel cremoris tartari vnc. iij. Polypodij querni vnc. ij. Passul. Corinthiacarum vnc. jß. Myrobalanorum omnium ana vnc. ß. Flor: Buglossæ. Borraginis. Nymphea ana P j. Coquantur in s. q. aquarum fumariæ & scolopendriæ ad medietatis consumptionem. De hoc decocto acidulo & gustui grato, optimè depurato & clarificato cape ℔ ij. succi optimè depurati pomorum redolentium ℔ j. quibus adde Foliculorum senæ mundator. vnc iij. Turbith. Rad: hellebori: nigri veri. ana vnc. jß. Myrrhæ elect: vnc. j. macis. Caryophyll: Cinamomi. Epithymi. ana vnc. ß. macerentur ac digerantur ad ignem B. M. per quatriduum, idque in vase vitreo optimè clauso: dein dum materia adhuc feruet, fiat expreßio vel per setaceum traiectio, cui adde Aloës vt supra præparatæ vnc. iiij. omnia sufficienter coagulentur ad ignem lentum: addendo sub finem, dum ferè refrigerata erit materia.

 ria.

ria. Spec: Lætificantis Gal. Diarrhod. abb. Trochisc. dialaccæ ana Dr. j. salis Absinthij & Fraxini ana Dr. ij. Essentiæ croci scr: ij. Olei anisi aliquot guttulas. Reducantur in bonam pilularum consistentiam. Dosis harum pilularum est scrup. j. vel scr: jß. ad summum. Admiranda illarum virtus nunquam satis laudari potest, purgant vtramque bilem, omnes humores crassos, tartareos, salsos & mucilaginosos radicitùs eliciunt, vel è partibus etiam profundissimis: singulariter autem succurrunt omnibus melancholicis affectibus, & purificant totam massam sanguinis à varijs corruptionibus, ideóque sæpiùs assumendæ. Sumi possunt mane vel vesperi post cœnam parciorem, & ante somnum, etiam à sanis, singulis mensibus, ad multorum morborum præcautionem: mirum enim in modum euacuant fæces atras, vel humorem atrabilarium, qui omnium totius corporis contumacissimus ægerrimè euincitur aut subigitur. Iisdem pilulis interdum adijciantur. *Essentia Aloës & scammonij, Essentia rhabarbari ana vnc. jß. Essentia senæ vnc. j. & Essentia Trochisc: albandali vnc. ß. vel amplius.* His essentijs vel seorsim vel omnibus simul præparatis, pilularum harum vim purgatoriam longè efficaciorem reddere possumus:

ſumus: tunc enim omnes humores ſimul educent, & meritò, quòd pluribus affectibus conueniant, à ſingulari earundem proprietate polychreſtæ appellabuntur.

Celebrantur apud nos Pilulæ eiuſdem virtutis Clariſſimi Domini D. Philippi Mülleri Sereniſſimi Electoris noſtri Archiatri, Practici nominatiſſimi & celeberrimi, chymicæque artis exercitatiſſimi. Quæ ſic ſe habent. *Pilulæ D. D. Philippi Mülleri.*

Rec: Herb: Agrimon. Fragar. veronic. Abſynth. Centaur. ſcolopendr. Hyſſopi. Card: bened. Meliſſæ. ana mj. Bacc: iunip. vnc. jß. Ceraſor: nigr. vnc. j. Flor: ſaluiæ. Lupuli. ſambuci ana mß. Raſ: lign: ſancti vnc. ij. groſſo modo inciſa & contuſa macerentur in ſ. q. aquæ communi per duos dies, deinde deſtillentur per cohobationem. In maiori portione huius aquæ bis deſtillatæ infunde ſequentia. Rec: Rad: Tormentill. Caryophillat. Pimpinellæ. Fænic. Enulæ. Cichorij. Apij. ana. Dr. ij. Zedoar: vnc. ß. Herb: Chamæpit. Fumar. Chamæd. Epat: nob. ſerpill. ana mß. Maioranæ mj. Baſilicon. mß. Flor: Bugloſſ. Borag. Anthos. Lil: conuall. Nymph. violar. ana P ij. ſem: Coriandr: præparat: Napi. Fæniculi. Aniſi. Pæoniæ. Saxifragiæ. Baſilic. an. Dr. j. Cort: exter: Citri. Aurant. Cinamomi. Tamariſc. Fraxin. ana Dr. iij. Rhabarb: finiſſ. vnc. ij. Agarici albiſſ. vnc. ß. Croci orient. Dr. iij. Lign. aloës.

ſantal: omn. ana Dr. jß. inciſa & contuſa infundantur in ſuperiori deſtillato, relinquantúrque per aliquot dies, quinque aut ſex circiter in infuſione: poſtea exprimantur fortiter, cúmque ſubſederint, per deliquium ſepara à fæcibus: interim Rec: Aloës ſuccotrin: unc. xiij. quam in ſequentibus ſuccis, quibus etiam aliquid primæ deſtillatæ aquæ addere poteris, ſolues, per octiduanam digeſtionem aut in loco calido, aut ſoli exponendo, & quotidie bis agitando, poſtea extractioni per deliquium à fæcibus ſeparatæ, addantur ſequentia Gummata in Aceto Bezoartico hic quoque deſcripto ſoluta. Rec: ſucci roſ: unc. xiv. ſucci. Lim. vnc. x. ſucci. Cydon. unc. vj. Miſce. Rec: Myrrh: el. unc. j. Ammoniaci unc. ij. Aceti Bezoartici ſequens Acetum Bezoarticum. *deſcriptio eſt. Rec: Herb: Rutæ m j ß. ſcordij. mj. Hæder: terr. Acetoſell. Chelidon. ſcabioſ. ana. mß. Rad: biſtort. vincetox. Carlin. ſcorzoner. Dipt: albi. Petaſit. Gentian. ana Dr. ij. Flor. 4. Cordial. flor: Centaur. Hyperic. Calend. Geniſt. ſambuc. ana P ij. ſem: Leuiſtic. Plantag. Aquileg. Acetoſ. ana Dr. j. Bacc: rub: Idæi unc. j. Alkermes Dr. ij. Lauri. Dr. j. Ebuli. unc. ß. ſcyll: præparat: Dr. ijß. Raſ: C. C. crudi. Raſ: Eboris ana: Dr. ij. Terræ ſigill. Boli Armen: veri. ana unc. ß. ſuccini albi Dr. ijß. Camphoræ ſcrup: iiij. Coralli albi præparat. ana Dr. jß. inciſa & contuſa miſceantur infundantúrque in aceto vini acerrimo. Hæc denique omnia præter fæces ex deſtilatio-*

ne

ne infusione expreßione & extractione impropriè dictæ, simul misceantur, & per lentam coctionem, siuè in Alembico per B. M. siuè in vesica cuprea ad id facta super carbones ignitos, lento calore relinquantur exhalare ad mellis spißitudinem & craßitiem. Denique ex relictis fæcibus omnibus calcinatis, cum aqua destillationis sal extrahatur, & misceatur cum reliquis paulatim & particulatim, non simul & semel imponendo aut immittendo. Sicque habebis pilulas istas, quas essentiam siue extractum spagiricum vocant. Quod jam nouo, sed non multum absimili modo, sequenti ratione præparant.

Rec: Rad: Enulæ. Caryophyllat. *an. vnc. ß. Polypod: Angelicæ ana vnc. j. Imperat. Aristot: rot. ana Dr. vj. Herb: Saluiæ. scordij.* Card: *bened. Rutæ. ana mj. Endiuiæ.* Cichor. *Tarax. ana m j ß. Flor: Anthos scabios.* Centaur. *an. mß. violar. mj. sem: Acetos. fraxin: excort. fænic. anisi. ana Dr. j ß. citri Dr. ij. carthami Dr. vj. cort: Tamarisc. cappar. Frang. an. Dr. iij. cinamomi. macis. Zedoar. an. Dr. j. singula craßiusculè contusa & incisa cum s. q. aquæ pluuialis vi caloris temperati per octo dies macerentur, deinde factâ forti expreßione colentur, in colatura dissoluantur Aloës succotrin. Epatic. an. vnc. iiij. his affundantur. Succi Borag. Bugloss. ana vnc. iij. fumariæ. vnc. iiij. Rosar: vnc. viij. Limon.* Cydon. *ana*

vnc.

vnc. ij. Granat. vnc. j. Mixta benè pro octiduana digestione quotidie bis agitando infundantur vitró capaci, quibus adde Gummi Ammoniaci vnc. ß. Myrrh: elect: Dr. ij. dissolue in s. q. Aceti Bezoart. postea Rec: Rhabarb: finiss. Dr. vj. Agar. candid: vnc. ß. Croci Austriac. scr: ij. Cinam: elect. scr: iiij. salis Tamarisci. Iuniperi. Fraxini. Absynthij ana scr: j. incisis & contusis affunde vini maluatiti vnc. x per quatriduum vitro capaci imposito & vndique bene munito, postea forti factâ expreßione, misceatur liquor cum cæteris. Stent tandem omnia immotè per aliquot dies, donec fæces resideant, deinde clarum per inclinationem effundatur, aut calefactum per pannum lineum transcoletur, quod in B. M. aut per lentam cocturam super carbones ignitos ad consistentiam mellis abstrahatur. Ex fæcibus omnibus calcinatis, cum aqua destillationis, sal extrahatur, & misceatur vti supra cum reliquis.

Habentur similes plures descriptiones, inter quas non minimum locum & laudem sibi vendicant: Pilulæ Panchimagogæ Quercetani. Pilulæ de Ammoniaco eiusdem. Pilulæ Angelicę Salæ. Pilulæ Angelicæ Hartmanni Beyeri, pro quarum descriptione sanctè affirmant, Generalem & Ducem illum famigeratissimum Tilliū, Pharmacopœo Franckfurtensi soluisse 300. Thaleros. Pilulę Alœphanginę Mynsicht. Proprieta-

prietatis. Polychrestæ. Spleneticæ. Hypochōdriacæ eiusdem. Pilulæ Marocostinæ Mindereri. de Lapide Lazuli Mesues, &c. quarum omnium copiam in Dispensatorio supra nominato quilibet qui vult inueniet: est enim quasi Extractum ex reliquis celeberrimis Dispensatorijs Augustanorū: Norinbergensium: Francofurtensium: Quercetani, Renodęi: Mynsichtij & aliorum.

Octauo. Quibus Electuaria & Boli arrident, ij assumere possunt. Electuarium de Tamarindis cum fol: senę Horstij. Elect: Diacatholicon. Diaprunis simplex & compositum siuè Magistrale. Diaphœnicon. de Psyllio. Diacartamū. Rosatum Mesuæ. è succo rosarū Nicolai. Confect: Hamech. Electuarium Herculis Saxoniæ ad melancholiam hypochondriacam cum palpitatione cordis. Passulas laxatiuas, &c. Aut ab Extractis. Extr: Panchymagogum. Melampodij seu Hellebori nigri. Holagogon. Diasenæ Mynsicht: Cnicopharmacum & alia. Ventriculi tamen, vt jam sæpius dictum, in purgantibus inprimis habenda est ratio, pręcipuè ijs, qui cruditate acidâ laborant; & cauendum, ne nimio purgantium medicamentorum vsu, is ampliùs debilitetur.

Electuaria purgātia.

CAPVT XXIV.

De vſu ſeri Lactis & Chalybis in Melancholia Hypochondriaca.

PVRGATIONE hoc modo inſtituta & perfacta, quandoquidem viſcera inde nonnihil calefiant, & aliàs in hoc affectu epar & venæ meſaraicæ plerumque ſint calidiores, addenda ſunt medicamenta, quę præternaturalem illam venarum meſaraicarum caliditatem & ſiccitatem emendent: igitur aperientia, incidentia, & attenuantia vſurpanda. Quos ſcopos omnes, explere poterit ſeri lactis caprini vſus, aliquot diebus, octo ſcilicet aut quatuordecim continuatus. Serum Lactis itaque, vbi nec acidularum nec thermarum copia habetur, recom̃endatum habeatur. Nam vt Aretæus l. 2. de cauſ. & ſignis acutor. c. 8. & poſt eum Mercat. l. 2. de Virg: & Vidu: affect: cap. 7. doctè explicuit. Serum ad ventilanda viſcera, auferendum cauma, deobſtruendum, humorem nigrum ſuauiter expurgandum, abſtergendum meſeræi venas quæ flatu turgent, calidáque intemperie laborant, ſummoperè præſtat: hoc enim medica-

Vſus & præparatio & electio ſeri Lactis.

men,

mẽ,attenuat,abluit,abstergit: vti l. 2. distinct. 1. cap. 9. de medic. simpl. purg: Mesue inquit; & nitrosâ quâ præditum est facultate,aluum absque mordacitate vlla leniter subducit, bilem tùm flauam tùm atram,ab adustis humoribus genitam,deijcit;quo fit, vt mirificè cõferat melancholicis,lienosis,& ijs qui terrestri succo scatent.

Quantas in se habeat vires serum lactis etiam bubuli,in morborum grauissimorum curationibus,præsertim verò in abstemijs, siue hydropotis,quorum natura & consuetudo, pro potu& medicina,præter aquam puram,putam, & lac,nihil admittit,omniáq; nauseat& respuit: id expertus sum hactenus in venerandissimo Domino Parente meo,TobiaGeigero,Vtriusq; Medicinæ Doctore,jam propè octogenario;is per totum vitæ suæ curriculum, licet inter medicationes suas chirurgicas & medicas, quas tàm pacis quàm belli tempore,ęgris suis,magna cum laude, non minore felicitate probauerat, pluribus morbis,&inter illos etiam malignis,lacessitus fuerit,ab ijs tamen per seri lactis largiorem vsum, omnibus alijs remedijs exclusis & posthabitis, sæpiùs pristinæ sanitati restitutus

 est.

eſt. Admiratione dignum eſt, quod narro. Elementa ſtudiorum prima, & linguam Latiam trigeſimo ſuæ ætatis anno, cùm jam per aliquot annos matrimoniali vinculo obſtrictus fuiſſet, perdiſcere cœpit, inde Hippocratis Galeníque ſcholam ingreſſus, per priuatas Thomæ Mermanni percelebris Medici, de quo ſupra in cap. 15. mentio facta fuit, prælectiones quotidianas, tribus aut quatuor annis continuis, in tantum profecit, vt pro Medicâ & Chirurgicâ Laureâ certare auſus ſit, & vtramq;, non ſine magna aliquorum maleuolentium inuidia, adeptus ſit. Sex vicibus, ſub bellicoſiſſimis & victorioſiſſimis Hungariæ & Bauariæ Ducibus & Generalibus, Medicum caſtrenſem egit. Triginta ſex annis, ſecundo Numine, Noſocomijs tàm Electoralibus Bauaricis, quàm Metropolis Monachienſis, tanquã Medicus & Chirurgus præfuit, ibique deploratos multos, & ab alijs derelictos, reſtituit; neque vnquam occidit, vt ſanaret. Vir veteris proſapiæ, & antiquæ fidei. Verùm, meridiem ſupergreſſus, cùm jam in veſpero viuat, ideò tamen à cœpto, quem ſibi deſtinauit, nondum deſiſtit curſu, optatam laborum ſuorum metam (quę noſtrorum omnium finis eſt) tandem

dem in bona pace adepturus. Vt autem expurgatio, sero lactis celebrata, optatum finem consequatur, tria efflagitat. Primum, vt sit serum lactis caprini. Secundum, vt sumatur medicatum & præparatum. Tertium vt sumatur in magna quantitate.

Eligendum est serum Lactis Caprini. Nam hoc temperatum est, maximè si capra sit nigra, cuius caro, & lac, suauitatem corpori cōciliant: vt testantur Auic. lib. 2. tract: 2. cap. 145. Mesue, tract. 2. de simpl. tit: de aqua lactis. Rasius vlt. contin. tr: 2. cap. 172. Ætius tetrab. 1. serm. 2. c. 88. Nam nigriora sunt suauiora, jucundiora, & præstantiora, & melius cocta, ex Gal. 6. epid. sect. 2. com. 44. Laudatur quod in vere extrahitur, eo enim tempore capræ herbis vtilibus vescuntur, ex quibus lac probum generatur. Minus laudabile, quod ęstate colligitur: herbæ enim, quibus pascuntur animalia, sunt exuccæ, & pastores, capris, vt maiorem lactis largiantur copiam, salem offerunt, & sic sitientes copiosiùs bibunt, & lac hâc de causâ generant serosum nimis, quod vitiosum est. Cùm itaque, serum naturâ suâ sit quasi temperatum, vel parum ad frigidum & humidum declinet, est ma- Electio.

teria omnium medicamentorum, quare morbis frigidis, & calidis remedio est.

Praeparatio. Vsus autem seri lactis, in multis regionibus admodum frequens est, quod sub finem veris, ac in æstate ad purgandum exhibetur. Et si inde conficere voles remedium, quod omnibus affectibus, ab atra bile & melancholico humore subortis, & nutritioni dicatis partibus, ab inflammatione, aut nimio calore æstuantibus, in quibus opus est refrigeratione & humectatione, aptum & idoneum sit, hâc viâ præparatio aggredienda est. Rec: seri Lactis ℔ iiij. vel amplius: huic adde succi Limonum Dr. iiij. succi pomorum redolentium recens extracti Vnc. vj. omnia simul cum vno atque altero oui albumine probè agitata & mixta, igni admota clarificentur. Addes, si velis, parum sacchari, & habebis medicamentum excellentissimum & suauissimum ad supradictos vsus: de quo sufficiet pro dosi exhibere Vnc. vj. horis matutinis: robustioribus autem plus dabitur, continuando ad 15. vel 20. dies. Non est maior simul & semel paranda quantitas, quam quæ satis sit pro duobus tribúsue diebus, ne acescat. Aut si ex illo velis Iulapium parare. Rec: seri lactis prius aciduli

facti

facti cum succo limonum, & clarificati, adde Florum violarum & Buglossæ, recentium, vel exsiccatorũ, & optimè mundatorum, hoc est, in quibus amplius nihil, quod viride sit, supersit, quantum voles, & in 24. horis, serum tingetur colore, sapore, & odore enumeratorũ florum: adijcies sacchari ad lubitum, & habebis iulapium suauissimum & vtilissimum. Ad expurgandum autem humorem melancholicum, macerentur in eo per noctem (scilicet in sero lactis) folia senæ, epithymum, polypodium, radix hellebori nigri, myrobalani Indi, lapis lazuli, fumaria, &c. Pro vacuando humore bilioso: rhabarbarum, pulpa cassiæ, flor: cordiales, myrobalani citrini, conserua violacea, semina frigida. Pro pituitoso humore: turbith, agaricum, mechoaca, jalapa, hermodactili, radix iridis, myrobalani chebuli, emblici, colocynthis. Si volumus causam morbificam euacuare per vias vrinæ, in sero infundimus diuretica. Si calidam Iecoris intemperiem remouere est in animo, illi permiscemus folia cichorei, lactucæ, buglossę, boraginis, &c. Si flatulentia eius metuatur, dum igne depuratur, aliquid seminis coriandri, & ligni sassafras, addi potest. Sumendum igitur medica-

dica-

dicatum & præparatum ijs, quæ ipsius frigiditatem aliqualiter retundant, vnáque internas partes roborent, vel deobstruant, vel expurgent humorem, qui morbi causa esse solet. Cùm enim serum sit materia, in qua omnia medicamenta infundi possunt, tùm quoniam facilè ob tenuitatem substantię, vires medicamentorum in se imbibit, tùm quia, vti supra dictū est, temperatum, & vel parum recedit per frigiditatem, hisce morbis sumo est vsui. Suadet etiam Mesue, sub dio exponendum esse, vt accepto rore à cœlo demisso, qui suâpte naturâ purgare potest, reddatur magis refrigerans & expurgans, noctísque & aëris frigidi repercussu, vis ipsa vniatur. Galenus quoque, sal & mel admiscuit, propter maiorem alui irritationem & abstersionem.

Quantitas In magna autem quantitate sumendum, præsertim ventriculo non admodum debili: aliter enim non purgat, nisi in magna quantitate sumptum, vt libro: 2. epid. sect. 6. docuit Hipp: qui octo cotylas assumendas imperat, in hypochondrij distentione; accipit verò cotyla vncias nouem, hoc est octoginta circiter vncias: quas tamen nostro tempore, vix aliquis capiet;

ideò

ideò pro cuiusque viribus facilè dispensandum. Comuniter autem ad ℔ iij. vel etiam plures sumendæ, & ebibatur calix vnus post alium pitissando, & post vsum seri deambulandum, vt in profundiora corporis sese insinuet, & materiam quæ obstructiões facit, per aluum & vrinas deducat. Neq; magna copia seri pertimescenda: si enim per venas penetrare, & iterum per aluum & vrinas statim deijci debet, magna copia requiritur, in minore verò nihil præstat, eodem modo, vt thermæ & acidulæ in maiore quantitate ebibuntur. Pro corroboratione ventriculi, post vsũ seri, singulis diebus manè & vesperi sumatur de elect: seq. portio, quæ quantitate nucem juglandem æquet.

Rec: Conseru. bugloss. borragin. ana unc. j. rosar. anthos, ana unc. ß. spec. diarrhod. abbat. diatrion santal. ana Dr. ß. Margarit. præparat. scr: ij. Lign. aloës scr: j. Cort: citri condit. unc. ß. Confect: Alkermes Dr. ß. cum syr: de Pomis: fiat Electuarium. Comendatur quoque Cereuisia aut Vinum absinthites, post purgationes per aliquot dies exhibitum.

Proprium etiam Melancholiæ Hypochondriacæ alexipharmacum, chalybs nominatur, & plurimum ad obstructiones hypochondrio- *Vsus Chalybis.*

rum aperiendas, non solum à Chymicis, verùm etiam à Galenicis, quòd continuus illius vsus, semper felicem sit assecutus finem in ægris, cõmendatur. Cùm verò chalybs sit calidus & siccus, vímque astringendi & sistendi aluum habeat, præsertim in Dysenteria: non immeritò in dubium vocatur, an hypochondriacæ affectioni, quæ maximè sicca & calida est, conueniat. Nec admittendus tam facilè esset, nisi experientiâ tam diuturnâ, plurimáque grauissimorum Medicorum, tàm veterum, quàm recentiorum authoritate constaret, chalybem ad affectionem hypochondriacam, cachexiam in mulieribus ex mensium obstructione, aliósque à pertinacibus lienis & venarum mesaraicarum obstructionibus ortos morbos, esse probatum remedium. Missis autem antiquiorum allegationibus, vt Plinij, Pauli Æginetæ, Dioscoridis, Aëtij, Oribasij, Rhasis, Serapionis, Auicennæ, Halyabbatis: ex Neotericis vnicum Mercatum inter multos proponemus, qui de morb: mul. lib. 2. c. 6. refert, tantam esse chalybis naturam & efficaciam, vt magnos etiam lienis & vteri scirrhos persanasse visum sit. Et de inter: morb: curat: lib. 1. cap. 17. incredibili efficaciâ affectioni hypo-

hypochondriacæ chalybem prodesse, & experimento esse confirmatum, in omnibus ferè affectionis hypochondriacæ causis, vsum chalybis commodum esse, siuè in fœminis ex vtero, siuè in eis, ac viris, ex ventriculo, mesenterio, jecore, aut splene obstructis, aut quomodolibet humore obsessis, malum oriatur.

Quomodo & quibus viribus prosit chalybs.

Prodest autem, aut ratione ponderis sui partes obstructas permeando, & ita ab infarctu liberando, aut ratione virtutis abstersiuæ & aperitiuæ, & purgatiuæ: quàmuis electiuè purgare vt alia purgantia, à nemine concedatur. Probabilissimum omnium videtur, ferrum & chalybem, peculiarem cum humoribus melancholicis & adustis habere cognationem, atque idcircò eos attrahere, seu imbibere, ac cum ijs vniri: & atram bilem, vt & ipsam melancholiam, vitriolatæ naturæ participem, aut certè ei cognatam esse, & ferruginei quid sapere, nemo facilè negauerit. Et cùm chalybs naturæ sit metallicæ, & in alimentum conuerti non possit, crassioris etiam substantiæ, quàm vt in penitiores corporis partes penetrare valeat, natura eum per aluum maturè iterum exturbat; cum quo etiam humor melancholicus euacuatur. Dum

verò hoc fit, fæces nigræ redduntur, & id nisi fiat, parum felix est vsus chalybis, & ab eo desistendum. Ex quo patet, non solùm ipsum aperire, sed secum etiam vitiosos humores educere. Hinc multi chalybem rudiori & crassiori modo paratum, subtilissimè præparato præferunt, procul dubio, ne penitiùs in corpus penetret, sed in primis vijs hęrens, humores illos crassos imbibat, iterúmque faciliùs per aluum descendat. Putat etiam Mercatus de morb: mul, lib. 2. cap. 6. ex Aetio: si nimis exquisitè præparetur, vomitum ciere, & aluum turbare, quia magis in vitrioli naturam abit; in crassiore autem substantia, satis quidem vitiosos humores imbibere, verùm naturæ non ita molestum esse, aluúmque non ita turbare. Et licet chalybs calidæ & siccæ naturæ sit, atque hoc modo humorem atrum ferociorem reddere videatur: tamen non alterandi causâ exhibetur, sed vt obstructiones aperiantur, & humor ater educatur; atque commodum, quod ex eius vsu prouenit, longè maius est, quàm incommodum: sicut etiam Rhabarbarum in euacuanda bile, Elleborus niger in humore melancholico euacuando, commodè exhibentur, etsi in primis qualitati-

bus

bus cum hisce humoribus aliquam conuenientiam habeant.

Varijs autem modis chalybs exhibetur. Alij enim subtiliter limatum exhibent; alij calcinatum; alij aceto præparatum, quod fit, limaturâ chalybis in aceto acerrimo maceratâ, hinc siccatâ & tritâ; alij ex eo Vina chalybeata, Syrupos, Oxymel, Electuaria, Crocos, Tincturas, & Essentias parant, quorum descriptiones in fine huius capitis inserere placuit. Cùm autem certum sit, vires quas exerit in hypochondriacis curandis, ab eius sulphure, quo abundat, præcipuè pendere, attendendum in præparando & exhibēdo chalybe, ne eius sulphur pereat, quod fit, si vel crudus valdè igne vratur, & (vt Chymici loquuntur) reuerberetur, vel etsi alio modo solutus sit, si reuerberatione partes eius sulphureæ & volatiles dissipentur, & fixæ salinæ relinquantur, quæ potiùs astringendi, quàm aperiendi vim habent. Verùm optimè notat doctissimus & fidelissimus Zacutus Lusitanus in lib. 9. cap. 10. obs: 3. faciliorem modum exhibendi chalybem, & curandi hypochondriacos per illum, vbi scribit; macerant sese cum Medicis Pharmacopœi in præparando chalybe, cū

Chalybs varijs modis exhibetur.

Experientia singularis de Minera ferri.

aliud faciliùs sit ad manus, minoris pretij, & vtilitatis incredibilis. Est terra quæ in mineris ferri reperitur, quam si sicces ad vmbram, teras subtilissimè, & in læuorem redigas accuratè, eadémque quantitate, ordine, & formâ, in eisdem malis, ęgrotantibus offeras, mirabilem imò excellentiorem vtilitatem, quàm ex chalybę percipies, pro vt sæpissimè, felicissimè tamen, sum expertus. Nec mireris: nam terris plures insunt admirandæ virtutes & vires, pro vt Dioscorides, Galenus, Paulus, & cæteri Medicinæ Principes vnanimi consensu affirmant, maximè verò illi, quæ in fodinis ferri reperitur. Quique analogiam Macrocosmi & Microcosmi explicant, scribunt, quod Mars metallicus maioris mundi, respondeat Marti Microcosmi, eiúsque seruitio destinetur, & custos sit valetudinis eius mẽbri, cui cœlitus videtur esse destinatus. Vera hæc & experta esse, viuum qui hæc scribo, dare possum testimonium: siquidem in Electoralibus Nosocomijs, quibus tàm in medica quàm chirurgica facultate jam per viginti annos præsum, terram illam, ferri minerâ benè imprægnatam, quam ex ipsis ferrifodinis adferri, & præscripto modo pręparari curaui, pro obstructionibus

nibus cachechticis, præcipuè verò mensium, & viscerum omnium inferiorum, tollendis, in communi & quotidiano ferè vsu habeo, optimo cum effectu, & ægrorum leuamine.

Datur autem chalybs vel terra ista in substantiâ, vel in conseruâ rosarum, violarum, boraginis, quæ in hac affectione commodissima est, vel aliâ conueniente, aut cum syrupo aliquo, vel in pilulas cum syrupo aliquo, aut succo cichorei & agrimoniæ redactus. Ne autem ventriculus offendatur, alij caryophyllos, alij cinamomum, alij specierũ Diarhodonis dimidiam partem, admiscent. Quidam cum cinamomo & saccharo inde rotulas faciunt, accipiendo chalybis præparati Vnc. ß. Cinamomi Dr. ij sacchari albissimi Vnc. j. Possunt & alia huic scopo inseruientia addi, vt cortices radicum capparum, tamarisci, fraxini, filicis, folia chamędryos, ceterach, chamæpityos, flores genistæ & similia. Antequam verò exhibeatur, primæ viæ euacuandæ sunt. In substantia si datur, mediæ ætati exhibeatur Dr. j. dosis tamen neque infra binos scrupulos, neque supra drachmam cum semisse esto. Oxymel & syrupus datur ad Vnc. ij. vel Vnc. iij. Vinum ab Vnc. iiij. ad Vnc. vj.

Quomodo exhibeatur chalybs.

sumpto

Sumpto chalybe in ſubſtãtia, hauriendum poculum vini albi, neque nimis tenuis, neque nimis generoſi: abſtemij aquam, in quâ cinamomum coctum ſit, vel jus galli bibant. Exhibendus etiam chalybs commodiſſimè vere & autumno, hyems enim frigore, æſtas calore obſtat: manè quoque jeiuno ſtomacho ſumendus, & ſumpto eo, æger vnâ atque alterâ horâ obambulet, vel exerceatur, vt faciliùs medicamentum diſtribuatur, poſtea quieſcat. Si vires ſint debiles, exercitium omitti poteſt, cum etiã in lecto decumbẽtes per vſum chalybis ſanatos fuiſſe compertum ſit. Prandendum horis quatuor ab aſſumptione medicamenti: cibis autem boni ſucci vtendum, & dięta ſit frugalis. Initio, tertiâ die chalybs exhibendus, ſi cui æger poſtea aſſueuit, morbúſque id poſtulat, ſingulis diebus dari debet. Et licet quidam, primis diebus, eum cum multa bile, & vitioſis humoribus euomãt, tamen ideò non deſiſtendum, quia cum commodo fit, neque vbi aſſueuerint, ampliùs vomunt. Pro ægri & morbi ratione, vſus continuatur, diebus pluribus, vel paucioribus: alijs enim dies quindecim ſufficiunt, alijs viginti, alijs etiam triginta neceſſarij ſunt. Quòd ſi verò

ex

ex aſſumptione chalybis aluus non ſoluatur, nec fæces nigræ appareant, quarto die, vel clyſtere iniecto, vel pilulis ex aloë roſata, vel de tribus, aluus cienda. Neque inutile erit poſt decimum vel duodecimũ diem leni purgatione vti, deinde à purgatione biduo quieſcere, & hinc ad vſum chalybis redire. Vt autem faciliùs deſcendat, poſſunt pulueris Dr. ij. addi ſpec: diarhod: abb: Aloës ana Dr. j. & cum ſyrup: capill: vener: vel fumariæ, pilulæ inde formari.

Formulæ diuerſæ præparationũ chalybis. Præparationes chalybis, & formulæ chalybeatorum, ſequentes ſunt. Primò, chalybis præparatio ex aceto ſecundùm Auguſtanos. Rec: Limaturæ chalybis quantum volueris, affundatur aceti vini acerrimi tantum, vt tota madeat in eo, ſtent in loco calido tamdiu, donec acetũ ad ſiccitatem abſumptum; poſtea pulueriſetur, & ſic ſepties reiteretur: poſtremò molatur ſupra Porphyritem, & ſeruetur vſui. *Chalybis præparatio ex Aceto.* Secundò, chalybs cum ſulphure. Rec: Limaturæ chalybis quantum volueris, & fac cum puluere ſulphuris citrini ſtratum ſuper ſtratum, calcinetur: hanc calcinationem, ſemper addito nouo ſulphure, toties repete, donec chalybs liqueſcat: tunc extinguatur in vino albo generoſo, *Cum ſulphure.*

deinde in tigillo ad ignem fortem ſinatur per vnam atque alteram horam, vt optimè exiccetur, & ſulphur euaneſcat & conſumatur, tandem in Porphyrite leuigetur pro vſu. Tertiò, Crocus Martis aperitiuus. Rec: laminas è ferro vel chalybe puro ductas, obline eas aceto deſtillato, oleo vel ſpiritu ſulphuris, vel vitrioli, colloca in cellam, & poſt aliquot dies crocum deradendum pede leporino inuenies: hunc laborem repete toties, donec in crocum Martis totæ laminæ abierint. Doſis à gr. viij. ad xv. in conuenienti vehiculo. Quartò. Eſſentia Martis liquida. Ferrum limatum candefac igne valido, aut in crucibulo, aut olla, excandeſcens limatũ ferrum, extingue in ſufficienti quantitate aceti acerrimi, reiteretur labor prædictus ter aut quinquies, ſemper cum extinctione ferri in aceto: deinde acetũ (eſſentiâ Martis prægnans) filtra per chartam, & impone cucurbitæ: abſtrahe acetum in Balneo, ad latitudinem trium digitorum, remanentijs verò, affunde ſpiritum vini, in quantitate ſufficiente, pro extrahenda eſſentia Martis: iterum ſpiritum vini tinctum filtra, & in Balneo abſtrahe, vſque ad ſyrupi liquidioris cõſiſtentiam. Quintò, Tinctura Martis,

Crocus Martis aperitiuus.

Eſſentia Martis.

tis,

tis Rec: Limaturæ chalybis q. v. affunde acetum destillatum, rubedinem extrahe, aliúdque acetum affunde, ídque per menses duos, vel tres continua, donec nihil amplius extrahatur. Acetum tinctum omne commistum in Balneo destillando separa, & residuo spiritum vini affunde, & digere, vt tincturam extrahat, spiritum vini destillando abstrahe, iterúmque affunde, idque sexies repete, & sic habetur Martis tinctura. *Tinctura Martis.*

Sextò. Vinum Chalybeatum. *Rec: Chalybis sulphure præparat. vnc. iv. rad: Eryngij. Enulæ: campanæ ana vnc. j. ß. santali citrini vnc. j. Coralli rubri. Rasuræ eboris ana Dr. vj. Caryophyllorum. Macis. Cinnamomi. Zingiberis ana Dr. iij. Ceterach. Flor: Genistæ. Anthos. Epithymi. ana P ij. Vini albi generosi ana* ℔ *vj.* Macerentur per octiduum ad minimum, ad ignem B. M. calidum, dein transcolentur per manicam Hippocratis ter quatérue, vt vinum optimè clarificetur, quod dulcorari saccharo poterit, vt fiat vinum gustui gratum: dosis, vnum aut alterum cochleare in principio, quæ deinceps, si opus sit: augeatur. *Vinum chalybeatum.*

Septimò. Syrupus chalybeatus. *Rec: Limaturæ Chalyb: sulphure solutæ & præpar:* ℔ *ß. Aq: Melissæ. Fœniculi. scordij. ana* ℔ *j. fiat infusio per octiduum in loco cal. deinde coqu. ad 3. colentur, & adde* *Syrupus chalybeatus.*

Herb: Melissæ. Betonicæ. Capill: vener, an: mj. sem: Fænic. Dr. j. sassafras Dr. jß. stent per noctem: manè vicissim decoquantur & colentur. Adde sacch. q. s. fiat syrupus. de quo cum decoctione rad: Fænic. Eryngij. Passular. Cicer: rub. quotidiè bis vnc. ij. vel vnc. iij. diluantur, & assumantur per occiduum. Octauò. Electuarium chalybeatum. *Rec: Limaturæ Chalybis vnc. viij. molatur super porphyrite subtilißimè ex aceto, deinde siccetur ad solem, vel ignem, & sic septies iteretur: postea Rec: Limaturæ sic præparatæ vnc. vij. Cinamomi acuti. Nucis Moschatæ ana Dr. vj. Rhabarb: electi Dr. ij. spec: aromat. rosat. Dr. vj. Mellis optimè despumati. sacchari albißimi ana vnc. xiij. Misce ad lentum ignem, & fiat Electuarium.* Hoc Electuarium erat quondam familiarissimum Clarissimis viris D. D. Cratoni, Philippo Menzelio, ac Thomæ Meermanno piæ memoriæ. Inter omnia præcipuum obtinet locum Electuarium hoc, diutino experimento confirmatum, vtere eo, corpore prius exurgato quantitate Dr. ij. jeiuno ventriculo, superbibito haustu generosi vini, aut aquæ, quę prius sit decocta radice Chinæ, scorzoneræ, aut aperientis decocti; & si vires valeant, post eius potum, non displicet exercitium spatio dimidiæ horæ celebratum. *Rec: Fol: senn: ori: vnc. ß. Epithym.*

Electuarium chalybeatum.

Electuarium chalybeatum Lacmi Lusitani.

pithym. Polypod. ſem: carthami. ana Dr. ij. Flor. borrag. violar. Bugloſſ. an. Dr. j. ß. Paſſul.: corynth: vnc. ij. Prunor: ſine acinis. n. x. ſem: Aniſi. Fœniculi ana Dr. j. Adianth. mj ß. Eupatorij. Aſplenij. an. mj. Cort: citri exiccati vnc. j. Tamariſci. mß. Myrobalan. Chebul: Indor. an. Dr. iij. coquantur omnia in aq. chalyb: quouſque remaneat ℔ j. in colatura infunde ſ. a. Rhab: elect. Dr. ij. Agar: troch: in vino zzingib. Dr. j. Hermod: Dr. j. Mechoacæ Dr. ij. Omnia deinceps excipiantur, tum adde. ſyr: Fumar. maior. Chalyb: ſubtil: tritur: vnc. j. Conf: Alkerm. Elect: de Gemmis. Confect: Hyacinth. ana. Dr. iij. Margarit: præparat: Dr. ij. Lap: Bezoartici gr. xxx. Eboris in tenuiſsimum pollinem redacti Dr. ij. Flor: Meliſſ. Dr. ß. Pulu: ſenæ Dr. ij. Tartari vini albi Dr. j ß. Theriac: Andromachi. Dr. ijß. Mithridatij Dr. jß. ſpec: Aromat. roſat: Meſ. Diarrhodon: Abat. an. Dr. ß. Rubinor: præparat: Granat: præparat: an. Dr. j. ſerici crudi. ſcr. ij. Omnia in puluerem tenuiſsimum redacta cum fol: auri. n. xx. miſceantur, & cum ſaccharo q. ſ. fiat ſ. a. Electuarium.

Nonò. Oxymel chalybeatum. *Rec: rad: Irid. vulg. vnc. j. ß. Vincetoxici. vnc. ij. Taraxici. Valerianæ. Mechoacæ. Rubiæ tinctorum. Polypodij qu. ana vnc. j. Cort: Fraxini. Tamariſci. Cort: Ebuli. ana Dr. vj. Raſ: Ligni rhodij. Eboris in nodulo lineo inditi an. vnc. ß. Chalybis ſulph: præparat: vnc. ij. Herb: Eupatorij: Meſuæ. Fu-* *Oxymel chalybeatum.*

mariæ. Hepaticæ. Ceterach. ana mj: sem: Cuscutæ. Melonum. Acetosæ ana Dr. ij. Carthami. Ebuli. Halicacabi. ana Dr. v. Fæniculi. Anisi ana Dr. iij. Flor: Genistæ. Ebuli. sambuci. Centuarij min. ana. P ij. Flor: Cichorij. spicænardi. an. P j. Trochiscorum de rhabarbaro Dr. x. de Capparibus vnc. ß. Agarici troch: cum suo nodulo Dr. vj. Macerentur omnia in aceti sambucini & scyllitici ana ℔ j. Aquæ Flor: Ebuli ℔ j ß. per tres quatuorue dies ad ignem B. M. dein coquantur ad vnius tertiæ consumptionem, in colatura clarificata adde syr: Rosati solutiui. syr: Flor: Persicæ arboris ana vnc. iiij. Mellis Narbon. optim. prius despumati vnc. x. & coquito ad ignem, materiam optimè despumando, addendo sub finem coctionis, Elaterij Dr. ij. scammoneæ vnc. ß. fiat oxymel coctum ad legitimam consistentiam. Dosis cochlearia duo vel tria pro robustioribus. Remedium est ad hypochondriacam affectionem maximè accomodatũ. Eius vsus per aliquot vices repetendus, prout malum facile aut difficile permanserit, per se assumetur, aut commixtum vni aut duabus vncijs Aquæ Hypochondriacæ, inferiùs in corroborantibus descriptæ.

CAPVT

CAPVT XXV.

De vſu Acidularum in Affectu Hypochondriaco per Potum.

PRæ cæteris medicinis refrigerantibus, in hoc affectu acidularum ſuadetur vſus: virtutes enim minerales & metallicæ, duplici ratione aquis his medicatis comunicantur, dum nimirum vel ſpirituosâ foſſilium ſubſtantiâ cōtinuò expirante impregnantur, vel reali contactu mineralium, matrices tranſeundo, vires à prima metallorum & foſſilium materia, nondum in corpus metallicum & ſolidum compacta, recipiunt. Dum igitur Archeus ille, ſeu Vulcanus ſubterraneus, ſeu virtus metallifera, cum ſpirituoſo calore miniſtrante, cooperante corporum cęleſtium influxu, materiam proximam metallorum maturare, coquere, & perficere conatur, opere continuò durante, prægnantes exhalationes, metallorum originem redolentes, hoc eſt ſubtiliores, & magis ſpirituales mineralium ac metallorum imperfectorum partes, aquas ſubterraneas tingunt & inficiunt. Quarum tenues & ſubtiles ſpiritus, pręcipuè vitrioli

Acidularum vſus in affectu hypochondriaco.

Qua ratione acidulæ mineralibus imprægnentur.

trioli & salis commendantur, ob quas etiam vasa perreptant interiora, obstructiones latentes intrinsecus reserant, detergunt, & per vrinas purgãt; quam expurgationem, Natura videtur expetere. Acidulæ igitur, quia feruenti sanguini frigidam suffundunt, quia crassum humorem attenuant ac incidunt, quia obstructa reserant, quia spiritus figunt & frenant, quia cum vrinis terrestre oppilans educunt, multis dotibus præcedent omnia alia medicamenta. Violenta earum non est actio: mitè hic tractari cupit morbus; temperant succos superassatos, biliosos, atque euacuant; vasa in hypochondrijs obstructa reserant, crassa incidunt, visceribus naturalibus robur addunt. Vsus earum sit in æstate sub cane; repeti toties, id est, tot annis possunt, donec totius mali radices euulsæ sunt. Longus est morbus, eradicatu difficilis, qui frequentem medicinarum requirit repetitionem, quæ ob saporem nauseabundum facilè fastidiuntur, si ex pharmacopolio petas, at ex hoc fonte gratiores erunt. In æstate itaque salitis illis acidæ aquæ spiritibus fidendum: in hyeme verò, ad artificiales fugiendum. Commendatur autem vsus, seu Fiderensium seu Ebenhusanarum,

Vires acidularum.

Quo anni tempore sint vsurpandæ, & quot annis repeti possint.

narum, Schwalbacensium, Griesbacensiũ, Egranarum, Göbbingensium, aut Bruzerianarum acidularum: aut aliarum in alijs regionibus & prouincijs. Sunt quidã Chymici, qui acidudularum compendiũ quoddam promittunt, & se id, quod acidulæ magnâ copiâ potę prę stant, salino quodam puluere, paucorum granorum pondere exhibito, aut liquore exiguo idem effecturos pollicentur: & sui instituti hanc rationem proferunt; quod magna aquę copia, ventriculum offendat, id quod exiguus puluis facere non possit. Verum errant illi non parum: nam hæc ipsa acidularum & thermarum est prærogatiua, quod etiam in magnâ copiâ potæ corpus non offendant, sicut alia medicamenta purgantia, dum mox iterum euacuantur; interim omnia ventris inferioris vasa penetrant, & quicquid ibi vitiosi offendunt, abstergunt & abluunt, quod puluis aliquis salinus, granorum non ita multorum pondere exhibitus, præstare non potest. Si enim perpendatur, quantus sit vasorum mesaraicorum numerus, nulla paucorum granorum ad ea est proportio, vt illa in omnia distribui, hærentésque hinc inde humores educere possint. Vt nihil dicam de illa sin-

Quales acidulæ cõmendentur.

Chymici salino quodam puluere in pauca quantitate exhibito idem præstare promittũt.

gulari mistione à naturâ facta, quam ars imitari non potest; vt & de eo, quod vis thermarum & acidularum, non tàm in sale quodam fixo consistat, quàm in spiritu volatili, qui facilè euanescit.

Modus vtendi Acidulas.

Modus vtendi acidulas, sequens est. Ante vsum acidularum corpus præparetur, quæ præparatio cōsistit. 1. in alui lenitione. 2 in sanguinis detractione. 3. in viarum reseratione. 4. in noxiorum humorum expulsione. Vernali primò, postea Autumnali, denique Æstiuali tempore, cōmodissimè & aptissimè bibuntur acidulæ: matutino quoq; & vespertino diei tempore: manè tribus horis ab exortu solis: vesperi circa tertiam aut quartam, cùm prandium concoctum. Si vires ferant, & necessitas exigat, bis in die vsurpari possunt acidulæ: si verò debiliores sint, æger vsu matutino contentus esse poterit. Ii, qui bibere & balneari debent, propter affectus internos & externos, præmittant potum, eóque absoluto, & quantum necessitas postulat vsurpato, demum ad lauacrum accedant: nam balneum est remedium topicum, & externis potissimum vitijs dicatum: potus catholicum, malísque internis vnde ex-

terna

terna manant, destinatum: at vniuersalia primum, particularia secundum locum in vsu requirũt. Submouenda etiam ante omnia causa, postea affectus ab ea genitus expungendus. At causa tollitur potu, affectus balneo: potui ergò primus, balneo secundus locus tribuendus. Certus dierum numerus pro potu determinari non potest, sed tot diebus bibendæ, quot ægri benè ferunt: quótque vel ad omnimodam sanationem, vel saltem ad meliorationem, & manifestam mutationẽ necessarij videntur. Quantitas potus acidularum, in adultis, sit à media vsque ad duas mensuras, hoc est ab vnicis 18. vsque ad 72. vncias. Maior autem debetur acidularum quantitas viris, quàm mulieribus: iuuenibus, quàm pueris, aut senibus: cholericis & sanguineis, quam phlegmaticis, vel melancholicis: calidum robustúmque habentibus ventriculum, quàm quibus idem est frigidus, humidus, laxus, & infirmus: assuetis & bibacibus, quàm qui longo potu & largo minimè delectantur, neque ei assueuerunt: calidam inhabitantibus regionem, quàm qui incolunt frigidam: magno & amplo corpore præditis, quàm pomilionibus: vacuationem desiderantibus,

Quantitas potus acidularum continua.

quàm alterationem & corroborationem poſcentibus: ægritudinibus conflictatis partium longè à ventriculo & primis vijs diſſitarū, quàm quibus partes affectæ ſunt ventriculo vicinæ; ad has enim acidulæ integris perueniunt viribus; ad illas non niſi retuſæ pertingunt. Tantum autem cuilibet bibendum, quantum ventriculus benè fert: ita vt neque ſe nimis oneratum, neque immodicè diſtentum ſentiat. In potu, per gradus ad ſummam doſin aſcendendum: paulatim enim quod fit, tutum eſt. De die quoque in diem augenda: v. g. prima die 8. vncias, ſecunda, 12. tertia, 16. quarta, 20 quinta, 24. ſexta, 28. ſeptima, 32. & ſic vlterius, donec quilibet ad illam doſin quam ferre poteſt, perueniat. Cùm gradatio facta ad ſummam doſin, in ea quidem aliquot diebus perſeueretur, ſed gradatim rursùs deſcendatur, donec iterum ad primæ diei doſin peruentum. Perſeuerandum autem aliquandiu, quia hæc ratio eſt, quæ affectum viribus æquat, eúmque fugare valet. Deſcendendum, quoniam non tantùm ad affectum, ſed etiam ad naturam & vires reſpiciendum: vt enim affectus paulatim decreſcit, ita quoque remedium decreſcere debet. Et hæc de quantitate continua.

Se-

Sequitur discreta quantitas potus acidularum. Vbi obseruandum, mensuram præscriptam, vno haustu minimè ingurgitandam esse, sed in partes distribuendam: in plures quidem, si mensura fuerit magna, in pauciores verò, si parua, ne ventriculus euomere cogatur: vt meliùs quoque distribuantur, & in actum deducantur, ne ventriculus etiam nimium refrigeretur. Tantum temporis interuallum inter potiones poni potest, vt & liberè respirare liceat, & ventriculus neque offendatur, neque obruatur. Consultum tamen videtur, vt intra dimidiam, aut integram horam, tota mensura bibatur: sic enim sat spatij inter potum & pastum ordinarium intercedet, ipséq; potus, suam perficiet operationem, priusquam cibus ingeratur.

Quantitas potus acidularum discreta.

Tempus & quantitatem, sequitur qualitas vtendi & bibendi acidulas. Manè itaque finito somno, vbi corporis excrementa deposuerit, leniterque paulisper obambulauerit, aliquid in promptu habebit, quod vel ventriculum præmuniat, roboret & calefaciat, ne à frigiditate acidularum offendatur, vel distributionem promoueat, vel simul etiam affectui, cuius causâ a-

Qualitas vtendi & bibendi acidulas.

cidulæ bibuntur, conferat. Cuius generis varia ſunt, tragemata, tabulata, condita, confectiones, ſiue ſpecies ſaccharo incruſtatæ, & alia. Ventriculo accommodatæ ſunt Tabulæ aromat: roſ. aromat: caryophyllat: Diacinam. Diagalang. Diazing. Dianiſ. Diatrionpiper. Morſul: imperat. Tab: poſt paſtum. Tragea groſſa. Confect: ſem: Aniſi. Fænicul. Coriandr: præparat: Carui. Cinam. Caryophyll. Zingib. Cort: aurant. Hepati cõueniunt. Tab: Diarrhod: abb. Diatrion, ſantal. Renibus & Veſicæ competunt. Elect: Ducis. Elect: Iuſtin. Lithontribon. Capiti proſunt. Tab: Diambr: Diamoſchi dulcis. Diapliris. Diacubeb. Dianthos. Tab: nucis myriſt. Vtero congruunt. Diamargarit: cal. Diacalaminth. Diapraſium. Diacymin. Diambr. &c. Lieni conducunt. Tab: Dialacc. Diacurcumæ. De his ergò confectionibus, patiens ante potum aſſumet: poſtea acidulas promet, eáſq; in manibus aliquandiu fouebit, vt actualis earum frigiditas temperatior euadat. Tandem deglutiet, non ſimul & ſemel vno hauſtu, ſed lentè & paulatim, vicibúſque partitis, interponendo ſi placet, inter hauſtus, ſiue potiones ſingulas, leues deambulatiunculas, vt & aqua

pota

pota citiùs distribuatur, & moto exuscitatóque calore meliùs operetur. Potu finito, confectionem priorem repetet, & pedetentim inambulabit. Inter deambulandum verò, diligenter naturæ inclinationem obseruabit, per quam scilicet viam vacuare intendat, an per sudores, vel per vrinas, vel per aluum, an per duas, tresue vias simul. Si itaque per sudores, in lectum se componet, & vice primâ, quartam horæ partem, aut horam dimidiam benè tectus sudabit. Sudorem postea calidis absterget linteaminibus, siq; vrgeret dormiendi necessitas, somnum capiet: inde iterum surget, capútque probè siccabit atque pectet. Pluuio aut frigido existente cœlo, in conclaui suo spatia conficiet; suda verò serenáque & temperata vigente constitutione, libero sese committet aëri, & tribus aut quatuor à potu transactis horis prandebit. Vesperi circa tertiam aut quartam, nisi, vti supra scriptū est, in viribus aut naturâ impedimentum senserit, eodem planè modo se geret quo horis matutinis. Sicuti etiam sequentibus diebus, nisi quod potus quantitas (vti jam relatum est) per gradus augenda, donec ad sufficientem dosin ascenderit. Sudoris quoque quantitas, addendo quo-

tidiè

tidiè quartam horæ partem, donec ad horas duas peruenerit, aliquot diebus continuanda, & postea iterum minuenda. Quod si verò natura in sudorem prona non fuerit, sed potiùs ad aluum aut vrinæ vias inclinârit, tum hisce solũ vacuationibus operam dabit æger. Verùm non antè cibum capiet, quàm aqua iterùm sit reddita, & quidem ea ferè quantitate, quâ pota, aut etiam largiore. Reddita autem cognoscitur, si aluus fluere cesset, aut vrinæ excretio non admodùm sollicitet, & quæ excernitur, non ampliùs cruda conspiciatur, alba scilicet & aquea, sed pallida, magísque tincta: nam acidulæ vt plurimum per secessum & vrinas vacuare solent. Si tertia aut quarta vice, acidulæ potæ in corpore prorsus retineantur, consultum est, vt earum vsui valedicatur, & aqua pota, vel suppositorijs, vel clysmatibus ex ipsismet acidulis, melle rosato, saccharo rubro & sale confectis, vel aniso laxatiuo, vel puluere senæ præparatæ, vel alio aliquo cathartico expellatur: nihil enim peius, quàm si in corpore diutiùs maneat: nam & ventrem inflat atque distendit, & colicos excitat cruciatus, rugitus ac murmura in intestinis parit, naturam grauat, calorem

nati-

natiuum suffocant, ciborum appetitum deijciunt, faciem decolorant, & symptomata alia pariunt. Quòd si sudores & vrinæ prouocentur, aluus verò sistatur, hæc lenientibus pharmacis vti supra monuimus ad excretionem irritanda est. Sed eâ die à potu acidularum abstinendum: euenit enim, vt acidulæ interdum vitiosos quidem humores incidant, attenuent, & abstergant, sed non sufficienter educant; vnde molestię bibentibus creantur. Quòd si ventriculus post 5. aut 6. dies aquæ fastidio afficiatur, aut flatus atque ructus suboriantur, similiter potio die vno vel altero intermittenda, & ventriculus, vel tabulis atque confectionibus suprà commemoratis, vel remedijs alijs corroborandus. Qui se post haustum acidularum mouere nequeunt, vt paralytici & arthritici, curent, vt vel vehantur in lecticâ, vel circumferantur in curru, vel equo gradario imponantur: sic enim ad distributionem acidularum, sat motûs habebunt.

CAPVT XXVI.

De vsu Lotionum & Thermarum in Affectu Hypochondriaco.

Lotiones in affectu hypochondriaco. LOTIONES perficiuntur aut per Balneum simplex, aut per Thermas. Per balneum simplex, fiunt aquâ dulci, per thermas, aquâ metallicâ & minerali. *Lotio dulci aqua.* Quod dulci aqua conficitur, si calidum fuerit, optimum est, & tutum in affectu hypochondriaco: hoc nimirum, fatigationem soluit, plenitudinem discutit, calefacit, mitigat, mollit, flatus diffundit, somnum excitat, benè corporatum reddit, estque commodissimum vniuersis. Sin verò frigidum fuerit, non omnibus conuenit: siquidem simpliciter frigido lauacro vti, nequaquam tutum est, Galeno teste lib. 3. de tuend: bon: valet. *Therma.* Quin etiam aliud est, quod non aquâ dulci constat, idque multifariam patitur: quæ enim per se naturaliter proueniunt thermæ, aliæ quidem nitri, aliæ salis, aliæ aluminis, aliæ sulphuris, aliæ bituminis, aliæ æris, aliæ ferri naturam imitantur. Nonnullæ compositam ex eis vim obtinent. Omnes autem per se spontéque prouenientes

thermæ

therme exiccandi calefaciendíque vim habent, harúmque aquæ omnes medicam facultatem promittunt Gal: auth. lib. 1. de tu: valet. Verùm quæ nitri salísque mixturâ constant, capiti & thoraci, faucibúsque destillationibus affectis, suppetias ferunt, & stomacho, quem humor quidam pituitosus interturbat, nec non aquâ inter cutem laborantibus, tumoribus frigidis & pituitosis. Sulphuris verò naturam imitantes, neruorum passionibus medentur, quales sunt conuulsio aut spasmus, distensio siue tetanus, paralysis, tremor, stupor, saltúsque: adhæc, scabiem auferunt, lienis crassitudinem expurgant, vteri excrementa siccant, stomachum autem effæminant & subuertunt. Quæ Aluminis vim habent, sanguinem per mariscas reijcientibus, ventriculo nauseoso, mensibus tùm discoloribus, tùm inordinatè fluentibus, mulieribus frequentes abortus faciētibus, epatis, splenis, eiusmodíque generis obstructionibus, mirum in modum prosunt. At quæ Bituminis mixturâ constant, caput infarciunt, sensoria lædunt atque opplent; excalefaciunt tamē & emolliunt, si quis diutiùs ijsdem immoretur. Quæ verò Æris vim retinent, ori, gurgulioni, oculis, an-

helationi, ſeu aſthmati vtiles ſunt. At Ferri naturam habentes, nutrientium morborum vitijs, pulmoniſq; imbecillitati conueniunt. Ex quibus facilè manifeſtum euadit, non parum imò verò totum referre, vel illis, aut alijs quibuſcunque thermis operam dare. Eſt autem Acidularum & Thermarum eadem ratio: nam cùm externus thermarum vſus, in melancholicis, ſi macilenti atque exſucci ſint, rarò commodus ſit, & metuendum, ne corpus ampliùs ijs exſiccetur: tamen ſi bibantur eâdem ratione, quâ acidulæ, proſunt: cùm ob mineralia, à quibus ſuas vires habent, primas vias eluant, & vitioſos humores, qui in ijs hærent, per aluum & vrinas educant, ventriculum calefaciant, epar & lienem roborent. Thermæ quæ in hoc affectu conueniunt, ſunt Badenſes Marchionis, & Ferinæ in Germania: quarum quoque in Bauaria plures exiſtunt, quę tamen pro tempore ob pręteritum Bellonæ furorem deuaſtatæ, neglectæ, & nec dum reparatæ ſunt.

Obſeruanda in quãtitate lotionis. Quòd ſi itaque quis hypochondriacus, ratione ſymptomatum, lotione opus habeat, ſequentia, in quantitate lotionis animaduertet & obſeruet. Certus & ſtatutus dierum numerus

ad

ad lauandum, omnibus ex ęquo, propter viriũ, ætatis, sexus, habitus corporis, consuetudinis, ipsarummet aquarum, aliarúmq; circumstantiarum diuersitatem, determinari non potest: inprimis verò propter diuersam morbi conditionem, cuius alius leuior est, recens & curatu facilis, alius grauior, inueteratus, rebellis ac contumax. Ex quibus ille quidem pauciores, hic verò plures dies ad sui sublationem postulat. Consuetum tamen est 15. 20. 25. 30. 35. & ad summum 40. diebus lauare: hoc enim temporis spatio, vel morbi balneis extirpantur radicitùs, vel saltem ad meliorem statum reuocantur. Si æger sentit, balneum viribus & naturæ suæ conuenire, ac de die in diem morbum decrescere, balneum tamdiu continuandum, donec is prorsus sit debellatus. At si vel modicam solùm, vel nullam prorsus ex balneo percipiat vtilitatem, valedicendum balneo est, pręsertim cum pluribus jam diebus lauit, & quodammodo debilitari incipit: contumacior enim affectus est, quàm vt balneo superari possit. Vel naturæ aliquid relinquendum: multi enim toto tempore quo lauârunt, nihil leuaminis senserunt, domum verò reuersi, aliquot hebdomadis, aut mensibus post, vel prorsùs resti-

tuti sunt, vel plurimùm saltem alleuati. Hinc vulgo dicitur **das Bad würcket nach.** In communi suadentur ęgris 70. 80. 90. 100. aut etiam plures lauationis horæ. Verùm, non tam dierum & horarum præscriptarum, quàm morbi, corporis, & virium habenda ratio. Secùs qui faciunt, sibíq; vim inferunt, vt constitutas horas rigidè obseruent, in grauia symptomata incidunt. Excoriatio, neque sufficientis lotionis, neque bonæ operationis certum ac perpetuum signum est. Signum autem est sufficientis lotionis, si corpus meliùs, quàm anteà habere cœperit, & functiones naturæ vegetiores extiterint. Hinc balneum non semper continuandum, donec scabies, pruritus, exulceratio, asperatio, rubráque cutis efflorescentia conspiciatur: quia aliquibus cutis nunquam eroditur, propter multas causas. Si verò exulceratio apparet, siuè ea circa primos, siuè circa vltimos dies superueniat, lauando pergendum est, ne vitiosis humoribus in corpore derelictis, nec per cutem, vti natura cœperat, euacuatis, mala grauiora subsequantur. Parciùs tamen & tepidiùs lauandum, vt noua regenerari possit cuticula. Post balneum etiam sudor in lecto prouocan-

dus,

dus, vt expulsâ materiâ vitiosâ, maturiùs cesset exulceratio. Certus præscribi horarum numerus, qui lauantibus omnibus sit obseruandus, propter multas circumstantias, vix potest: breuissima tamen mora, est hora dimidia aut integra, mediocris, horæ duæ, longissima, horæ quatuor, ídque tempore matutino, vespertino autem tres. Quas moras quilibet suæ naturæ, corpori, & viribus accomodare studebit, & potiorem virtutis ac tolerantiæ rationem habebit, quàm numeri horarum. Qui vim sibi inferunt, spiritus resoluunt, calorem dissipant, humidum radicale exiccant, ipsámque naturam ita debilitant, vt deinceps neque balneum tolerare, neque promptè atque alacriter noxia expellere, neque affectum feliciter curare valeant. Initium autem lotionis facimus, ab horâ dimidiâ, vel integrâ, & quotidiè eam augemus quartâ horæ parte. Aut si æger robustis sit viribus, neq; velit diu balnei vsui immorari, sed curam tempestiuè absoluere, horâ mediâ, donec manè quidem vsque ad horas 3. aut 4. vesperi verò vsque ad 2. vel 3. ascenderimus. Moram hanc, quam putamus longissimam, diebus 4. 5. aut 6. continuamus, vt affectui ali-

quan-

quandiu remedium viribus par, quod ipsum profligare queat, opponamus. Iis autem elapsis, moram rursùs abbreuiamus, & quidem singulis diebus, vel quartâ vel mediâ horæ parte, donec peruenerimus ad moram primam, túncque finem lotioni imponimus. Nam cum morbus minuatur, & natura quodammodò delassetur balneando, rationi consentaneum est, vt & remedium minuatur, & naturæ viribus consulatur. Si morbus postulat & vires sinunt, bis in die lauandum est: manè scilicet horâ vnâ aut alterâ ab exortu solis, & vesperi, concoctione peractâ. Intercedere autem inter prãdium & lotionem vespertinam debent 4. 5. 6. aut ad summum 7. horæ. Quòd si patiens debilis sit, naturâ aut morbo, semel lauare satis erit. Nec vesperi tot horis lauandum, quot manè: quia cœna longiùs protrahi deberetur, quod tamen non omnes ferre possunt: natura quoque matutino balneo fatigata est, ideóque vesperi nonnihil subleuanda: manè etiam corpori feruor inustus, quarè vesperi breuiori morâ illud minus calefaciendum. Hoc autem de summâ morâ intelligendum est, nõ de principio, quod vtrobique est æquale. Nam si longissima

gissima mora manè fuit 3. aut 4. horarum. Vesperi duarum aut trium erit.

Qualitas & modus lauandi sequens est. Manè expurgato corpore ab excrementis, circa sextam aut septimam jeiunus balneum ingrediatur. Qui verò jeiuniū ferre nequeunt, ventriculi gratiâ aliquid de tabulis, confectionibus, & conditis, quorum mentio facta, aut de tragea super pane tosto, vino albo imbuto, aut qui à medicinis abhorrent, jusculum assumant. Caput antè ingressum benè tegat, ne à vaporibus balnei offendatur. Si hepar & renes loturus habuerit calidiores, tùm ne calore balnei inflammentur magis, partes hasce refrigerantibus præmuniat topicis: id quod etiam post balneum, cum sudor finitus & abstersus, facere potest. In balneum non subitò & repentè se præcipitet, sed demittat sensim, immersis primum pedibus, mox cruribus, & hinc ventre, tandem corpore toto si sit opus: distinguendæ enim hic sunt partes affectæ, & pro diuersitate situs earum, alijs altè, alijs minus altè insidendum: quoniam calor noster mutationem illam paulatinā meliùs ac faciliùs feret. Ad calorem balnei quod attinet, curet ęger, vt primâ die bal- *Qualitas & modus lauandi.*

neum ſit temperatius, ſecundâ calidius, tertiâ adhuc calidius. Primâ quoque die, inſideat tantum vſque ad vmbilicum, ſecundâ vſque ad regionem ſtomachi, tertiâ ad pectus vſque, quartâ & ſequentibus totum immergat corpus, ſi ſcilicet affectus ſit vniuerſalis, & totum corpus occupet. Calidius etiam balneum tolerant ſenes, viri, mulieres, phlegmatici & melancholici, pingues, robuſti, quique frigidis conflictantur ægritudinibus. Minus calidum poſtulant, pueri, iuuenes, cholerici, ſanguinei, debiles, calidis affecti morbis, quique gracili, raróq; ſunt corporis habitu præditi. Mandet inſuper, qui lauat, vt quoties lauare decreuit, aqua ſit recens & noua: nam in quâ bis lauit, euanida quodammodò eſt, & olida, quoniam putrilaginem concepit. Det denique operam, vt ſolium ſiue labrum, quotidie ſcopis diligenter expurgetur, ne quid vitij aqua ex ſordibus illius contrahat. In balneo quietem agat, vt & aqua ſit tranquilla, ne vapor emergens, capiti moleſtus ſit, aqua etiam meliùs penetrare queat, & corpus ex motu non nimium incaleſcat. Nec in balneo aſſiduè confabulandum aut cantandum, ne ſiccitas oris, ſitis, laſſitudo, & turbatio capitis excitetur.

tetur; ne autem grauetur, à somno in balneo abstinendum; vti quoq; à cibo & potu, ne natura à suo officio auocetur: concessum tamen infirmioribus, aliquid ex roborantibus assumere. Sitis si vehementer vrgeat, sedetur prunis, passulis minoribus, cerasis acidis arefactis aut coctis, ribesiis, berberis conditis, & alijs similibus. Dum æger labro insidet, medietas labri, vel tapetibus, vel linteaminibus sit tecta: reliqua pars, quę versus ægrum est, laminâ ligneâ, ne halitibus balnei, caput eius oppleatur. Paulò ante exitum, actualis balnei calor, affusione nouæ aquæ in tantum augeatur, quantum ad liberiorem sudoris prouocationem requiritur. Balneum egressus, linteamini calefacto se inuoluat, pelliceóque aduersus externum frigus defendat: hoc enim per apertos corporis poros promptè penetrat, ipsisque visceribus atq; neruis, haud mediocriter obest & nocet. Ex balneo in lectum se componat, sique sudare sit necessum, & natura etiam in sudorem prona sit atq; procliuis, contectus eum proliciat, primâ quidem die parciùs, sequentibus verò largiùs. Sudorem posteà calidis abstergat linteis: sique dormiendi vrgeat necessitas, vires, quæ ob spi-

ritus, tùm calore balnei, tùm sudoribus dissipatos, nonnihil fractæ, somno refocillet. Experrectus, caput probè & diligenter siccet, priusquam dio se committat, vt vapores possint exhalare: non siccatum enim, plurimùm offenditur, quia pori cutis condensantur & obstruuntur, quo fit, vt recrementa eius minimè euaporent. Iis verò retentis, & grauitas, & dolor, & defluxiones capitis excitantur. Siccatum caput, pectat, vt pori aperiantur magis, liberiórque sit fuliginum transpiratio. Inde solitas induat vestes: neque vt multi facere consueuerunt, nudis sese pedibus frigido aëri exponat: habent enim pedes, miram, cũ capite, neruis, ventriculo, intestinis, aliísque membranosis & neruosis partibus, ob societatẽ generis, sympathiam. Iis ergò refrigeratis, & partes dictæ refrigerantur: hinc tormina, hinc alui profluuia, hinc catarrhi, hinc mala alia. Vestibus indutus, in aërem egrediatur apertum, si cœlum sudum serenúmque fuerit: sin minùs, in conclaui leuiter deambulet, vt refrigescat, & vapores ex balnei calore contracti discutiantur. Prandio concocto, balneum denuò ingrediatur, id quod vesperi circà quartam fieri potest, easdémque regulas ante,

in,

in, & post balneum obseruet, quæ lotioni matutinæ præscriptæ. Stillicidij siuè embrochæ, luti thermalis, fomentationis, oris collutionis, gargarisationis, lapidis ahenarij, & floris thermarum vsus, cùm in melancholia hypochondriaca non practicetur, ideò Lectorem, qui de his maiorem informationem cupit, ad Tractatum de Acidulis disertissimi & doctissimi Melchioris Sebizij transmitto: fusiùs enim & doctiùs, de hac materia, ex recentioribus hactenus nullus scripsit.

Quid ante, & in potu & balneo acidularum & thermarum sit obseruandum, intelleximus: sequitur nunc, quid, post, faciendum. Curâ ergò absolutâ, non statim à loco acidularum aut thermarum discedendum, sed tribus aut quatuor diebus ibi perseuerandum, fessæque vires recolligendæ, & corpus liberiori aëri iterùm assuefaciendum, præsertim si is, vel ob vsum balnei, vel ambulandi infirmitatem aliquādiu fuit denegatus. In itinere, minimè properandum, ne qua vis corpori inferatur. Corpus aduersus pluuias, ventos, aliásque externas iniurias probè muniendum: vires enim teneræ sunt, humores fluxiles, & corpus rarefactum, ita vt facilè *Quid post vsum acidularum, & thermarũ faciendum.*

lè noxam aliquam cõtrahere possit. Deniq; vbi ęger domũ fuerit reuersus, vitanda ea, quæ priori morbo ansam atq; occasionem præbuerunt. Modus in sex rebus nõ naturalibus seruandus, strictiorisque regiminis terminus, ad minimum quadragesimus dies statuẽdus. De symptomatibus verò, periti Medici consilium petendum.

CAPVT XXVII.

De Curatione Melancholiæ Hypochondriacæ per Partium Principum & aliarum malè affectarum corroborationem, tàm per Galenica quàm per Chymica medicamenta, præcipuè per Aurum potabile.

ALTERVM Pharmaciæ membrum restat, nimirum partium principum & aliarum primariò affectarum calidiorum refrigeratio, & ventriculi microcosmicæ œconomiæ culinæ, semper in hoc affectu laborantis, cordis ac cerebri confortatio seu corroboratio, quæ perficitur tùm remedijs internis assumptis, cùm externis admotis. *Ventriculi roboratio.* Ventriculus quidem roborandus ijs, quæ calorem & humiditatem eius fouent, concoctionem adiuuant, & flatus discutiunt, quæ ita moderanda, ne nimis calido-

rum

rum vſu, intemperiem, quę eſt in vicinis viſceribus, augeamus, humoréſq; ampliùs exiccemus & aduramus. Scribit Aetius tetrab. 2. ſerm. 2. cap. 10. in hoc omnibus reliquis præualere Abſynthium, quod non ſolum ſtomacho & ventri vtile ſit, ſed & neque flatum in ventre multum fieri, neq; aluum exiccari penitùs, permittat, & vrinas cieat, & coctionem probè adiuuet; teſtatúrque, huius ſolius vſu quoſdam à melancholia liberatos eſſe. Vapores ex hypochondrijs eleuati, quia cordi & capiti moleſti ſunt, auertendi, diſſipandi, eorúmque prauitas corrigenda. Auertunt, extremorum frictiones, lotiones, ſcarificationes, fonticuli in cruribus excitati: diſcutiunt, & corrigunt, flores borraginis, bugloſſi, betonicæ, tunicis, meliſſa, rad: helenij, ſcorzoneræ, ſem: coriandri, aniſi, zedoaria, ambra, quæ in calore natiuo etiam, & ſpiritibus ac membris principalibus roborandis, facilè primas tenet: margaritæ, corallia, lapides pretioſi vſitati, bezoar, confectio de hyacintho, Alckermes, è quibus plurima parari poſſunt medicamenta. Epar quoque obſeruandum, & in contraria ventriculi & epatis intemperie cautè agendum, ne dum vni ſuccurrimus, alteri

Vapores eleuati ad ſuperiores & principales partes auertẽdi diſſipãdi.

Epar obſeruandũ.

ri noceamus. Fit autem hoc, dum vel ventriculo sua medicamenta extra, epati intus, aut contra adhibemus; vel alternatim nunc ventriculo, nunc epati prospicimus, prout huius vel illius affectus & symptomata magis vel minus vrgent; vel dum medicamenta vtrique visceri conuenientia miscemus. Lieni quoque prospiciendum cùm internis tùm externis medicamentis, quæ terrenum ipsius humorem leniter emolliunt, attenuant & detergunt: nam lienaris lienis noxa obtingit, dum humorem melancholicum attrahere, depurare, & expellere nequit, quod euenit, dum aut justo amplior, aut minor existit. Vbi præter naturam intumuit, ineptus est continendis omnibus excrementis, quæ proinde regurgitant, & infecto omni humore corpus inficitur & tabescit. Quod benè animaduertit Hippocr. in Epidemijs, dum ait, quibus lien augetur, vniuersum corpus imminuitur. Vnde Imperator Traianus, lienem fisco comparabat, quod veluti augmētum fisci, ruina est & inopia populi, ita incrementū lienis, totius est corporis tabes & extenuatio. Pari ratione quantitas diminuta lienis, quæ vitio conformationis accidit, morbo huic occasionem

Lieni prospiciendū.

præ-

præbet: cum enim neque attrahere, neque cõtinere possit tantum humoris melancholici, quantum natura exigit, necesse est vt regurgitet,& per omne mesenterium dimanet. Illustris quædam familia affectui huic plurimùm subiecta est, à qua tres aut quatuor, trigesimo quinto ętatis anno, immaturâ morte obijsse scio, neque vlli causæ præproperum fatum imputari potuit, quàm exiguitati lienis, qui vsque adeò exilis, secto corpore, deprehensus fuit, vt functioni à natura præscriptæ satisfacere nequiuerit.

Interna medicamẽta roborãtia & refrigerantia.

Interna itaque pro confortatione & refrigeratione viscerum medicamenta sunt, vel simplicia, vel composita, eáque partim Galenica, partim Chymica: vt aq: acetosæ, borag: buglosſ: becabung: carduibened: centaur: minor: cichor: endiu: fumar: nympheę: violarũ. Syr: è succo acetos: è succo cichor: de acetos: citri, de endiu: violarum. Rob ribium, berberorum. Conseru: rosar: violar: acetos: acetosellæ. Flor: cichor: borag: buglosſ: nympheæ. Rad: cichor: condit: scorzoneræ condit. Cort: citri cond: aurant: condit: calam: arom: condit: enulæ condit: spec: arom: ros: diarrhod: abb.

diatrion santal; diamargarit: frig. Pulu: Birkmañi. Elixir Proprietatis Paracelsi. Mistura simpl; Spiritus vitrioli. Sp: sulphuris. Sp: salis. Tinctura Martis & alia, quæ tamen omnia, non nisi prudenter & methodicè exhiberi debent. Nec solùm medicamenta roborantia vsurpanda in fine curationis, sed & medicamentis pręparantibus & purgantibus per interualla subiungi debent, vt ita viscera ad natiuam constitutionem & temperiem reducantur. Topica seu externa sunt, Cerotum rosatum Galeni. Vng: rosatum Mesuæ. Cerotum infrigidans Galeni. Santalinum. Oleum rosatum completum, violatum, nymphæatum, &c. aliáque epithemata frigida, quæ vel ad jecur, vel ad partes æstuantes & calidiores apponenda sunt. Vti quoque Cerota stomachalia & inunctiones similes. Pro liene quoque & hypochondrijs, fomentationes ex decoctis lupuli, fumariæ, cuscut; rad: cappar: tamarisc: fraxin: meliss: aliísque appropriatis; item inunctiones ex ol: scorpion: capparum, amygdl: amararum, & denique malo contumaciori existente, emplastra splenetica, ac sexcenta alia.

Medicamentis roborantibus etiam medicamenta præparantia & purgantia subjungenda.

Topica seu externa medicamenta.

Com-

Composita itaque intrinseca medicamenta confortantia, sub sequentibus formulis exhiberi possunt. A cibo, medicamento aliquo peptico vti, interdum vtile est. Vt *Rec: spec: aromat: rosat. Dr. j. succin: alb. pulueris: Dr. ß. Ambr. gr. viij. Moschi. gr. iij. Ol: nuc. mosch. destill. scr: ß. Cons: ros: rub: Dr. ij. sacchari in succo cydonior: dissol. vnc. iv. F. morsuli.* Mistura ad vapores melancholicos discutiendos. *Rec: Conseru: tunicæ vnc. j. rosarum. Confect: Alkermes. ana. vnc. ß. Lapid: Bezoart. scr: j. succin: albi pulueris: scr: ij. Cum syr: de cortice citri. f. Electuarium.* In cordis debilitatione, ingruente paroxysmo hypochondriaco, detur vnum atq; alterum cochlear ex sequenti liquore potabili, qui instar emulsionis est. *Rec: Aq: flor: borrag: in B. destill. vnc. iv. Aq: Cinamomi vnc. ß. Margaritt: præparat: Dr. ij. Smaragdi præparat: Dr. jß. vel, loco horum, magisteria. misce. f. Liquor potabilis, detur calide.* Efficax est & hoc in debilitatis. *Rec: Essent: Melissæ. Zedoariæ an. Dr. ij. spir: Rosar: scr: j. Iulebi rosar: vnc. ij. syr: tunicis vnc. j. succ: recent. citri, granat: dulc: ana vnc. ß. f. Mixtura.* Vt & hæ Rotulæ. *Rec: Ol: nuc: mosch: destill. scr. ß. Confect: Alkermes. Extr: Pæoniæ ana scr: j. calam: aromat: scr: ß. Margaritt: præparat: scr: j. corall: rub: præparat: scr: ß. Ol: Carui gutt: iij. sacch: in*

Compositæ intrinseca confortantia.

Morsuli.

Electuarium.

Liquor potabilis.

Mixtura.

Rotulæ.

aq: pæoniæ & melissæ dissol: unc. vj. f. Rotulæ. vel sequentes. *Rec: spec: aromat: rosat. spec: Diambræ ana Dr. j. Margarit: præparat: scr: j. Ambræ gr. iv. Ol: destill: macis. caryophyllorum. Ol: Citri ana gutt ij. sacchari in aq: cinamomi unc. ß. borrag: s. q. dissol: unc: iij. fiant Rotulæ.* Est & hæc aqua efficacissima. *Rec: rad: buglossæ. borraginis ana unc. jß. pæoniæ. Cort: citri ana unc. ij. rorismar: meliss. ana mj. flor: borrag. bugloss. stœchad: Arab. ana unc. ß. sem: basilic. Croci. Cinamomi. caryophyll: ana Dr. j. Confect: Alkermes Dr. ij. Aq: buglossæ. borrag: ana unc. iv. vini Rhenani ℔ ij. stent infusa. destillentur.* Felici etiam cum successu exhibere licet sequentem pulverem, dosi, quantum apice cultelli bis capi potest, sub lecti ingressum. *Rec: Pulu: smaragdi. Hyacinth. Margaritt: Coralli præparat. scobis Eboris. Boli armeni ana part: æqu: M. f. Puluis.* Vel ex confectione cordiali Bezoartica. *Rec: Flor: 4. cordial. anthos. meliss. ocym. garyophyllat. sem: eiusd. ana Dr. ij. Cort: citri. garyophyll. cinamom. nuc: moschat. cardamomi utr: been utriusque. doronic. Zedoar. sem: pæon. ana Dr. iij. ligni aloës. galang. macis. croci orient. ana Dr. jß. ras: ebor. margar: præparat: corall: rub: præparat: succin. alb. præparat: ana scr: iiij. fragm. s. lap. pret. ana Dr. j. Oss. de corde Ceruin. ij. Ambr: grys: Moschi Alexand. ana scr: j. Lap: Bezoart. or. ver. scr. ß. fol:*

Alia. *Destillatũ.* *Puluis.* *Confectio cordialis Bezoartica.*

fol: Auri n. vj. Argenti. n. iij. M. fiat puluis subtilißimus. Electuarium confortans. *Rec: Conf: rof: rub: borrag. bugloff. violar. ana Dr. vj. flor. tunic. anthos. pæon. meliff. ana Dr. iij. Acid: Tart: Dr ij. Confect: cord: Bezoart modo descript. vnc. ß. spec. lætific: Galen. & Rhasis ana Dr. j. spec: diamoschi dulc. Pliri sarcot. ana scr. ij. Confect: Alkerm. scr. j. ß. Extr: croci scr: ß. Ambræ gryf. Moschi fin. ana gr. iij. fol: auri. n. iij. syr: de pomis. violar: cærul. De cort. citri ana q. s. fiat l. a. Elect. liquid. adde spiritus salis q. s. ad grat. aciditat.* Mixtura Antimelancholica pretiosa. *Rec: Rad: borrag: bugloff. ana vnc. jß. Herb: violar. Maior. Betonic. Meliff. an. mjß. flor. 4. cord. ana mj. betonic. calend. ana mß. stæchad. arab. vnc. ß. tunic. anthos. ana Dr. ij. nymphææ. pæon. ana P ij. Passul: min. conquass. vnc. vj. capit. papau. alb. cum semin: n. xv. sem. 4. frig. mai. excort. ana. Dr. ij. minor. pæon: excort. an. Dr. j. anisi. fænic. ana scr. iiij. Nucis moschat. Dr. iij. santal. citrin. Cort. citri sicc. Xyloaloës ana Dr. jß macis scr: iijß. omnia incisa & cõtusa minutim decoq. in aq. stillat. rosar: fragr. nymph. meliff. borragin. bugloff. violar. flor. cyani. & vini albi odoriferi opt. ana s. q. ad consump. med. part. postea colentur, & fortiter exprimantur. Demum Rec: medull. panis tritic. recent. coct. ℔ j. Conf. rof. rubr. violar. borrag. bugloff. flor: tunic. anthos. pæoniæ. meliff. nymphææ. betonicæ. saluiæ. lilior: con-*

Electuarium liquidum.

Mixtura Antimelancholica.

uallij ana Dr. ij. Cort: citr: condit. nuc. ind: cond. ana Dr. vj. Theriac. venet. Mithridat. opt. ana unc. ß. Confect. Bezoart. cord. superiùs descript. Dr. iij. spec: diamosch. d. Plirisarc. ana Dr. jß. croci orient. ver. Dr. ß. Quibus affunde in vase stanneo vel vitreo benè obturato liquoris partem: remanentiæ stent per noctem in loco calido, postea ex B. M. destillentur. NB. in rostro Alembici suspende in puppa Ambræ cinerit. Moschi Alex. ana scr. j. Destillatio posteà dulcoretur syr. violar. de pomis. è cort. citr. ana unc. ij. Iuleb. rosar. unc. jß. adde Fol: auri fin. n. xij. Argent. fin. n. vj. Ni sapor obstiterit, feces post destillationem residuæ calcinentur, ex ijsque sal extrahatur, qui mixturæ posteà addatur. Dosis unc. iij. Mixtura alia in Hypochondriaca conueniens. *Rec: Polypod: qu: aper. Dr. vj. rad: borrag. bugloss. ana unc. jß. Herb: fumar. epithymi: cuscut. meliss. ana mjß. maior. an. mß. sem. 4 frig. maior. an. Dr. j. anisi. fænic. ana scr. iiij. pæon. excortic. Dr. jß. flor. 4. cord. an. mj. betonic. mß. stæchad. Arab. unc. ß. anthos Dr. ij. Nucis moschat. Dr. iij. macis Dr. ß. Xyloaloës Cubebar. Cardam. min. ana scr. ij. puluerisanda puluerisentur, reliqua verò minut. incis. & contus. affund. in vase opt. clauso Aq. stillat. feruent. rosar: fragr. nymph. meliss. ana ℔ jß. cichor. ℔ ß. dein destillentur cum vini Rhenan. opt. ℔ ij. Destillato. adde mell. passular. unc. iij. anthosat. unc. jß. syr. è succ. viol. è pomis ana unc. ij.*

Mixtura alia hypochondriaca.

Croci

Croci Dr. ß. asseru. in vase vitreo opt. obturato ad vsum. Dosis vnc. ij. vnc. iij. vel vnc. iiij. Si magis mixtura seu conserua magna arrideret, talis componi posset. *Rec: Conseruæ flor: Nymphea albæ. violarum martialium. Rosarum ana vnc. j. flor: Tunicæ. Borraginis ana Dra: vj. Acetosellæ. vnc. j. Corticis & carnis citri cōditarum ana vnc. ß. radic: scorzoneræ hispanicæ conditæ Dr. vj. Zedoariæ conditæ vnc. ß. Pineorum & Phisticorum decorticatorum ana vnc. ß. spec: diamargaritarum frigidarum Dr. jß. Aromatici rosati. scr. ij. Ambræ. gr. iv. moschi. gr. ij. Fol: Auri n. j. cum syrupo de pomis redolentibus f. mixtura.* Conserua hæc magna, reficit cor, sanguinis arteriosi feruorem temperat, & palmum cordis corrigit. Non minoris efficaciæ est sequens. *Rec: Conseruæ ros: rub: borragin: bugloss: violar. Acetos. acetosellæ ana vnc. ß. Betonicæ. Flor: Tilliæ. Lilior. conuall. anthos ana Dr. ij. rad: cichor: condit. scorzoner: cond: cort: citri cond. nuc. Ind. cond. an Dr. iij. Confect. Bezoart: cord. supra descript: Dr. vj. spec: cord: de gemm. diamarg: frig. Plirisarc. ana Dr. j. Acid. Tart. Tartari chalyb. ana scr. ij. Conf. Alkermes Dr. ß. M. & cum syr. de acet. citri, & è cort. citri & Aq: Carfunc. opt. ana s. q. f. l. a.* Cond. ad form. opiat. *adde spir: sal: parum coopert. fol: auri. Rec: Aq: flor: borrag: in balneo destill: vnc. vj. flor. citri vnc. ij. syr. flor. borrag: tunicæ.*

Conserua magna.

Conditum ad formā opiata.

Aq: corroborans cordialis.

nicæ. ana unc. j. ſpir: roſar: Dr. ij. Aq: Cinamomi. unc. ß. Carbunculi. Dr. ij. Magiſt. Perl. ſcr: j. Confect: Alkermes Dr. ß. Miſce. dentur cochlearia duo vel tria. Aquæ Carbunculi ſequens deſcriptio eſt. *Rec: flor: roriſmar ſiue anthos. Lilior: conuallij. violarum. Borrag: ana unc. vj. Herb: maioran. ſaluiæ min. Lauendul. Endiu. ſpic. ana unc. j. Nucis moſchat. zz. Macis. Garyophyll. Cinamom. Cardomom. Gran: paradiſi. Cubebar: Galang. viſc. querc. Auellanar. ſem: Pæon. Raſur. Corn: Ceru. ana unc. j. Incidantur & infundantur in vini Maluat. Aq: Lauend. ſpicæ. Roſarum. Fragor. ana ℔ iij. vini albi generoſi ℔ ij. poſtea adde. Oſſ. de corde Ceru. Lapid: Percar. ana unc. ß. moſchi q. v. f. ſ. a. Deſtillatio in M. B. deſtillato adde. Auri foliat. Margaritt: præparat: an. unc. ß.*

Aqua Carbunculi.

Experientia Zacuti Luſitani cum Ebore, Lapide Bezoartico & limatura auri, & auro potabili.

Inueniuntur apud Medicos ſimilia compoſita quamplurima, quæ omnia recenſere hic nimis longum foret. Domauit Herculeum hunc morbum ſæpiùs, eboris vſu, Zacutus Luſitanus, vti in praxi ſua admiranda lib. 2. obſ. viij. comemorat. Cum hâc, inquit, immani hydra luctatus ſæpiſſimè, oleum & operam perdidi. Remedia à peritis præſcribuntur paſſim; ſi fueris expertus, inuenies nulla. Admiraberis, ſi dixerim, pluries eboris vſu hunc morbum curatum

ratum fuisse; nam id in flaccido, resolutóque ventriculo roborando, eximendis obstructionibus, discutiendis tetris flatibus, malignâ aurâ retundendâ, præstantissimum semper inueni: nec mirum! nam cardiacum medicamentum est, si veterum, & juniorum dictis est standum, & sic in prestantissima venit antidota. Eius subtilissimam scobem, aut ramenta tenuissima in pollinem redacta, cum saccharo permixta, in tabellas efforma, diluculò vnam, quãtitate drachmæ assume, desuper vinum, aut melissæ aquam epotandam cura. Si tædiosus sit æger, grana sex, in eodem liquore dissoluta, satis sunt. Si febris adsit, aut viscerum squalor, rosacea satis est. In vna quoque ægra, Lapidis Bezoartici vires eximias, cum fructu tentauit idem Zacutus lib. 2. praxis medic: obs: 9. vbi hæc habet. Quædam fœmina cùm ex retento menstruo in Mirachialem incideret, cum cordis tremore, tristitiâ summâ, metu, taciturnitate, & demum inexplicabili melancholiâ coniunctam, tentatis omnibus vix conualescere potuit; tandem dira hæc symptomata Bezoartici lapidis vsu succubuére. Aquam epotabat ipsius frustulis decoctam: frustula in

ore diu retinebat, & fortiter exugebat: annulum incrustatū paraui, in quo lapis erat inclusus, ita vt carnem tangeret, in proximo minimo læuæ manûs digito gestatum; sacculum ex eius puluere, cum alijs cardiacis supra cor gestandum construxi, tabellas ex eo, cum electissimo saccharo, alijs etiam pulueribus admixto, confeci; ex quibus vnam ieiuno ventriculo, alteram tribus horis post cœnam deuorabat, stillatitiâ aquâ scorzoneræ superbibitâ: aliquando in jure auis, grana sex interdiu sumebat. His omnibus, quùm quadraginta dierum spatio vsa esset, & à mœstitiâ conualuit, & menstrua recto ordine fluxerunt. Obseruatione quoque decima, eiusdem libri, idem autor refert, se Baronem quendam illustrem, melancholicis imaginationibus diu vexatum, cùm pluribus auxilijs cardiacis, conualescere haud potuisset, auri potabilis vsu curasse; auri enim tenuissimam scobem, quæ ex purissimâ limaturâ excidere solet, priùs optimè læuigatam, rhodosaccharo permixtam, aut liquidum, & potabile aurū, velut oleum, alternis diebus maluatico permixtum, jeiuno ventriculo assumebat: auri liquidi sex guttulæ, pulueris duodecim grana, satis erant. Hoc præsidio

dio, cùm per mensem vteretur, omninò à tantis malis immunis euasit.

Aurum autem duobus modis exhiberi potest, vel integrum, aut in folia redactum, & aliàs nihil immutatum, vel arte chymicâ resolutum. Priorem modum quod attinet, hoc modo aurum exhibitum, planè improbant non solùm Chymici plerique, sed & Galenici nonnulli, qui auri in medicina vsum nullum esse existimant, & vnico ferè id probare conantur, quòd aurum nimis compactum & durum sit, & cui etiam, extremo calore & igne fortissimo adhibito, nihil depereat, & proinde à calore nostro vinci, & in actum deduci non possit, sed integrum rursum per aluum excernatur, atque ita sumptus saltem inutiliter profundantur, ad ægrum verò nihil commodi & vtilitatis inde redundet. Verùm ratio ista mihi satis firma non videtur: etenim actiones illæ occultæ, & quæ magneticæ dicuntur, in integris sese exerunt, & à formâ totius fluunt, atque eâ destructâ, vel etiam corpore corrupto & immutato, euanescunt. Magnes integer ferrum trahit, quod oleum, si à Chymico in id resoluatur, non præstabit: talia multa in Medicina occurrunt: lapis Lazuli, saltem

Aurum duobus modis exhiberi potest.

puluerisatus purgat; antimonium, & alia mineralia & metallica, etiam chymicè non præparata, quæ à calore nostro nullo modo vinci, quorúmq; compages, ab eodem solui non potest, nihilominus occulto modo in corpus nostrum agunt, ídque variè afficiunt, vt ipsa experientia docet. Ideóque si aurum tales occultas qualitates habet, eas etiam, integrum & non resolutum exerere potest: tribuerunt eas, illi, tot docti viri, tot seculis, quibus non facilè refragandum: chymicè verò resolutum & præparatum, quòd multas vires habeat, extra dubiū esse puto, cùm id experientia testetur. Verùm etsi plurimis morbis, iísq; periculosissimis medeatur, tamen omnes non tollit, adeóque panacea non est, neque quos tollit, solùm tollit, sed & alijs medicamentis opus est:

Solutio auri siue Aurum potabile. Soluitur autem tutiùs & meliùs sequēti modo. Rec: Calcem auri per reuerberationem in summam tenuitatem redactam; affunde menstruum ex Mercurij Philosophici microcosmici volatilis (hoc est salis vrinæ volatilis) & spiritus sulphurei vegetabilis, potabilis & optimi, (id est spiritus vini optimi,) partibus æqualibus, simul in balneo, diebus duodecim digestis, paratum,

tum, & in lento calore digere per mensem vase Hermeticè clauso, donec sanguinis instar rubicunda tinctura euadat, ídque quoties opus est repete. Tinctura sæpiùs collecta, per octodecim dies digeratur: hinc spiritus lenissimo calore per destillationem separetur, & aurum in fundo, formâ olei rubicundissimi, in quolibet liquore resolubilis remaneat, quæ tinctura vicem auri potabilis supplere potest. Eandem solutionem, si in arena per cucurbitam humilem, vel retortam destilles, tandem auri tinctura simul per alembicum transcendit rubicunda instar sanguinis, relictâ in fundo terrâ aridâ spōgiosâ & nigrâ: à tinctura hac, menstruum per Baln: tepidum separandum, & tinctura seu oleum auri in fundo relinquitur. Calx auri, quâ in perficiendo auro potabili indiges, fit, quando aurum per lupum incanum seu multiuorū, hoc est, per antimoniū fusum & purificatum, amalgamatur cum sextuplo Mercurij, additòq; sulphuris duplo pondere, continuéque ad ignem agitatur, donec sulphur & Mercurius exhalent: calcem relictam nonnulli spiritu vini madefaciunt & accendunt. Dosis huius auri potabilis à gr. v. ad. viij. ex vino maluatico, aqua cinna-

momi, caponum, vel alio cordiali specifico vehiculo. Quidam ad vnciam huius tincturæ vel auri potabilis, addunt ambræ griseæ, moschi orientalis ana scr. j. Extr: croci gr. vij. Et de hac mixtura, aliquot guttæ, in morbis melancholicis, ęgris, cum felici successu propinantur. Præ cæteris autem omnibus, nobilissimum confortans sequens est. *Rec: auri potabilis vnc. ß. Tincturæ Perlarum. Corallorum. smaragdi. ana Dr. j. Croci. scr. ß. Quintæ essentiæ Ambræ. Moschi Orientalis an. scr. j. Extr. Ligni Aloës gr. x. Tincturæ citri gutt. xx. f. Mixtura. Dosis gutt. v. vel vj. vel x.*

Nobilissimum confortans sequens.

Verum Aurum Potabile Glauberi.

Verum aurum potabile, siue tincturam auri veram, sequenti modo præparat *Glauberus* chymicæ artis peritissimus, & vt mihi videtur fidissimus scriptor. Accipit auri viui part. 1. & part. 3. Mercurij viui, non vulgi, sed philosophici, vbique reperibilis sine sumptibus & laboribus, de quo inferius, (poteris etiam admiscere argentum viuum ponderis æqualis solari, & quidem rectius, quàm solum aurum, ob varietatẽ colorum, maiorem proficiscentem à mixtione viri & fœminæ: persuasus verò sibi de melioritate tincturæ, à solo auro proficiscente, admisceat solum aurum: non sic item metallorum peritus, qui nouerit potentiam vnionis radica-

lis

lis auri & argenti, vno eodémque menstruo solutorum) mixta colloca in vase philosophico ad soluendum, & spacio quadrantis horę, radicaliter soluentur à Mercurio mixta illa metalla, dabúntque colorem purpureum; postea auge ignem paululum, & mutabitur ille in viridem elegantissimũ, cui exempto, affunde aquam roris maialis nouies destillatæ ad soluẽdum, quod fieri potest spatio mediæ horæ: solutionem filtra, & in Balneo per alembicum vitreum abstrahe aquam, quam vel recentem denuò reaffunde, iterúmq; abstrahe, atque hoc fac tribus vicibus, & interea temporis viriditas illa mutabitur in colorem instar atramenti scriptorij nigrum, instar cadaueris fœtentem, ac proin formidabilem: oportet autem aquam aliquoties abstrahere, reaffundere & digerere, & nigredo illa fœtórque euanescent, quadraginta horarum spatio, producéntque albedinem lacteam elegantissimam. Quâ apparente, omnem ad siccitatem vsq; abstrahere oportet humiditatem, quæ massa erit alba, & paucis horis lenissimo calore, apparentibus priùs varijs coloribus, vertitur in egregiam viriditatem, priore longè excellentiorem: cui affundere oportet spiritum vini optimè

mè rectificatum, ad eminentiam duorum vel trium digitorum latorum transuersorum, & aurum illud viride resolutum, attrahet spiritum illum vini, ob summam amicitiam, instar spongię siccæ attrahentis aquam, ipsique communicabit animam suam, sanguinis instar rubram, quâ ratione, viuificâ suâ tincturâ priuatur viriditas illa, mutaturque in colorem rubrum, relicto corpore superfluo cinereo. Tinctum decantare oportet spiritum, filtrare, & in Balneo per alembicum vitreum abstrahere à tincturâ rubrâ, attrahēte igneam spiritus vini essentiam, ita vt arctissimè coniungantur, & inseparabiliter, propter quam, aqua saltem stillat insipida, relictâ virtute vini spiritus cum auri tincturâ, instar salis rubri ignei, fusibilis & volatilis.

Alius processus elaborandi aurum potabile.

Nec incommodus Solis tincturæ modus sequens est, qui sic se habet. Accipe calcis auri puri, & per reuerberium, vti inferiùs docebitur, præparati q. v. affunde huic calci menstruum suum (de cuius fabrica etiam paulò post dicetur) quo intra paucas horas, tinctura sanguinei coloris, relictis metallicis fæcibus elicietur; separatâ per decantationem illâ tincturâ, superfundatur materiæ relictæ menstruum aliud ad

tincturam iterum extrahendam, idque repetatur toties, donec nihil relinquatur, præter fæces mortuas, quæ tamen non abijciendæ, quippe quæ ſiccandis vlceribus vſui eſſe poſſint. Porrò deſtilletur tuum menſtruum in arena ad ſiccum vſque, & purpuraſcentis coloris tinctura valdè friabilis in vitro ſubſidebit, cui affundatur ſpiritus vini ritè paratus, aut quod melius eſt, quinta ſalis eſſentia: ſtent concluſa in digeſtione, & extrahetur tinctura purior. Spiritum vini ad medietatem abſtrahe, vt habeas aurum potabile excellens. Si verò quintam ſalis eſſentiam affundas, ſine abſtractione aut deſtillatione in vſum medicum ſeruare poteris, quandoquidem iſta ſalis eſſentia per ſe, etiam abſque auro, medicina ſaluberrima exiſtit.

Menſtruum ſic præparatur. Recipe vrinæ pueri quantitatem ſufficientem, deſtilletur illa ad dimidij remanentiam. Quod deſtillatione hâc abſtractum fuerit, iterum ad dimidietatem deſtilletur, iſque labor tertia vice continuetur: ſic vnà cum ſubtiliſſimo ſpiritu ſal pellucidum micanſque aſcendet, quod ſpiritus ipſius collutione, ex alembico colligatur. Deinde huic ſpiritui appenſo, tantundem ſpiritus vini optimè *Menſtruũ ex ſale & ſpiritu vrinæ pro ſolutione auri.*

rectificati affundatur: simul per octiduum leniter putrefiant, tandémque destillentur, ita menstruum admirabile, ad quæuis metalla, mineralia & gemmas acquisieris, eóque verissimam auri tincturam obtinueris, hócque vocatur Mercurius viuus Philosophicus, sine sumptibus & laboribus, ex spiritu & sale microcosmi elaboratus. Ab alijs præparatur loco salis volatilis Microcosmi, sal naturæ Macrocosmi, Elementorúmue spiritus, in terra ceu Macrocosmi Generatorio (vt inibi in fœtuum terrestrium nutrimentum facessat) in corpoream substantiam transplantatum, de quo tamen inferiùs dicemus. Ad pleniorem autem horum cognitionem, etiam sequentia animaduertenda.

In quibus consistat præparatio auri potabilis.

Aurum, vt formam medicamentosam induat, atque adeò potabile fiat, sine menstrui beneficio nequaquam fieri potest, quod vniri tamē auro nunquam potest, sine interuentu tùm solutionis tùm coagulationis: hoc quoque menstruum, quàm maximè fieri potest, temperatum ac blandum esse debet. Vt autem solutionem, aurum promptissimè suscipiat, calcinatio priùs requiritur; absoluitur itaque processus auri potabilis elaborandi, tribus hisce a-

ctibus;

ctibus; calcinatione; solutione magistrali; & coagulatione.

Calcinatio, quæ actus est, per quem corpus Solis attenuatur, emollitur, in indiuisibiles atomos disrumpitur, inque puluerem impalpabilem redigitur, hoc quidem fine, vti ad suscipiendam, in sese soluentis magistralis actionem, habile fiat ac idoneum: duobus modis fieri consueuit, vel per humidum, vel per siccum. Per humidū, vulgariter fit in aqua chrysulca, quam regiam seu solarem vocant, quæ constat ex aqua forti & sale armoniaco. e.g. capio aquę fortis, ex duabus partibus vitrioli, & vna parte nitri distillatæ ℔ j. in quâ dissoluo salis armoniaci summè depurati vnc. ij. Hæc est aqua regia vulgaris, in qua pro instituta calcinatione dissoluo aurum laminatum, & frustillatim concisum, id quod leni calore, non sine tamen ebullitione dissoluitur: solutionem claram & flauescentē, in Bociam satis capacem, lixiuio tartari limpidissimo, ad dimidium repletam, pedetentim, & ferè guttatim instillo, quibus inuicem confusis, præuio crepero ebullitionis strepitu, & mirabili exæstuatione, Sol instar limi procumbit in fundum; hoc facto, & repercusso omni ex parte

Calcinatio auri.

Per humidum.

Sole, aquâ calidâ, eluo salsedines, donec nihil
Aurum fulminans amplius acrimoniæ appareat. Tum limum illum auri eximo, & siccescere facio calore vel leuissimo, vel potiùs nullo, atque ita habeo præcipitatum ceraunochryson, vti vocant, Solis, sclopetantem, fulminantem, quod eius grana duo vel tria, igni exposita, vbi flammam conceperint (concipiunt autem promptissimè) similem bombardæ explosæ sonum faciant, operatione tamen pulueri pyrio contraria; quùm non vti hic sursùm, sed deorsùm, impetum suum omnem conuertant. Cæterùm ad calcis modo dictæ partes duas, coniungo florum sulphuris purissimorum vnam partem, hisce permixtis in crucibulo comburo sulphur, atque ita calx illa, acquiret colorem boli armeni, & vim sclopetandi omnem amittet. Calcem
Quomodo vis fulminans auri corrigenda. Solis cum floribus sulphuris permixtam, priusquàm igni exponas, humecta, & quasi impasta cum spiritibus vel salis, vel vitrioli; vel sulphuris, vel quibuscunq; alijs acidis liquoribus, & omne periculum effugies.

Per siccum calcinatur aurum, quandò vel
Calcinatio auri per siccum. cum sulphure & mercurio (vti supra in primâ auri potabilis siue tincturæ præparatione demon-

monstratum est) vel cum sale quopiam stratificatur, & in igne reuerberij, adhibito tali caloris moderamine, ne aurum fluat, subtilissimè puluerатur. v.g. Primò tibi in promptu sit aurum obryzum, aurifabri operâ in tenuissimas admodum diductum lamellas, quæ in particulas latitudinis nummi argentei Ioachimici dissecentur. Deinde formentur de cornu cerui orbiculi, crassitie & latitudine dimidij Ioachimici, quibus aptetur pyxidula cementatoria tantæ capacitatis, quæ orbiculos istos artè admittat. Huius fundus substernatur arenâ, potiusuè alumine plumoso, cui orbiculus de C.C. orbiculo verò, particula lamellę aureæ, vicissim orbiculus cum auro imponatur, & sic chymicorũ verbo, fiat stratum super stratum, vsque ad plenitudinem pyxidiculæ, seu quousque aurum tibi pertingat: superinijciatur aluminis illius tantillum, ne vacuus fiat locus. Pyxidicula sigillo Hermetico claudatur, siccatáque in igne circulatorio mediocri (ad præcauendam fusionem) ponatur à gradu caloris tenui, lentè progrediẽdo ad tantam intensiõem, vt pyxidula per horas quatuor excandescat; quæ refrigerata & aperta, aurũ monstrabit calcinatione ad colorem quasi incarnatum redu-

ctum. Labor hic, si ter repetatur, aurum adeò friabile reddetur, vt pistillo conteri, & complanari queat. Taliter præparatum, admixto C. C. vstulato, per integrum diem, igne reuerberij nō nimis forti, ad vsq; latericium colorem, & perfectam calcinationem perducatur. Calx hæc aurea, nullâ corrosionis qualitate inquinata, & adeò subtiliata est, vt sine vlteriori præparatione, in vsum, contra nonnullos morbos adhiberi queat. Omnium optimè perficitur auri calcinatio, Mercurio Philosophico, non illo communi, quo ad amalgamationem vtimur, sed liquore aliquo singulari ita dicto, quem nunc Azoth, nunc Magnesiam, nunc Adrop, modò salamandram, Crystallum philosophorum, Gumma, Aquilam albam & rubram, Aquam permanētem, Lac virginis, Sperma mundi, &c. vocāt. Est ille liquor ad summum exaltatus, planè spirituosus, aëreus, diaphanus, subtilis, penetrabilis, in soluendo & coagulando vires edens planè mirabiles, quas non tantùm in rebus extra microcosmum, verùm etiam ipso microcosmo potenter exerit.

Calcinatio auri per Mercuriū Philosophicum.

Solutio magistralis, est actus ille, quandò liquor soluēs magistralis, in calcem auri ritè prædispo-

Solutio auri quid? & modus solutionis.

dispositam agit, eámque sibi penitissimè, & secundùm minima naturalia, concorporatam, combibit, hoc quidem fine, vt ex intima illa vtriusq; coniunctione, accedente postmodum coagulatione debitâ, corpus auri, formam acquirat medicamentosam, in quouis liquore solubilem, & potabilem. Modus solutionis hic est; cape liquorem nostrum magistralem limpidissimum, eúmq; funde super calcem: videbis exactionẽ menstrui in calcem, causare minimè leuem ebullitionem, atque exęstuationem; pone in Balneo, & digere per triduum, solutio flauescet, quam per declinationem effunde, affunde iterum de soluente, & solue, donec superfusus calci liquor, desinat ebullire, solutiones omnes collige & serua. Menstruum pro solutione calcis Solis, aut erit merè aqueum, & insipidum, cuiusmodi est aqua vulgaris, & aquæ destillatæ vegetabilium: aut erit sulphureum, cuiusmodi est spiritus vini, terebinthinæ, olea aromatum stillatitia, &c: aut erit salinum, cuiusmodi est. e. g. spiritus vitrioli, sulphuris, salis, aceti destillati, mellis, succi limpidi citrinorum, limonum, &c. Quartum dari nequit, sed hisce tribus generibus, tota soluentium familia continetur. Menstruum

Differentia Menstruorum pro auri solutione.

ſtruum aqueum, nihil de calce auri ſoluet, niſi fortè adhærescentis ſalis extranei quicquam eluat. Menſtrua quoq; ſulphurea, intactam relinquent calcem auri: reliquum eſt ergò, vt menſtruum ſolutiuum ſit è genere ſalium, atq; adeò corroſiuum: nullum enim menſtruum ſalinum, agit in calcem metallicam, niſi corrodendo. Neque verò tamen eſt, vt audito corroſiui nomine, ſtatim quis cohorreſcat: quemadmodum enim in arte medica, purgantia tripliciter diſtinguuntur, in fortiſſima, valida, & benigna, perinde in chymia quoque conuenit, ſoluentia corroſiua, in tria eiuſmodi genera diſpeſci. Ad primam claſſem referimus, aquas fortes, regias, ſpiritum nitri, alióſque liquores, præditos vi erodente igneâ, & humanæ naturæ infeſtâ. Secundi generis, ſunt ſpiritus vitrioli, ſalis, ſulphuris, ſaturni, aceti radicati, atq; alij, qui quidem facultatem corrodendi minimè debilem poſſident, interim tamen naturæ noſtræ nõ ita aduerſantur. In tertio verò, & benignorum ordine, collocamus, ſpiritum aceti ſimplicem, mellis, aquam quercus, ſuccum limpidiſſimũ citriorum, arantiorum, limonum, &c. Nos primi generis corroſiua, quin etiam ſecundi, à ſolutio-

lutione nostra penitùs amandamus, & solo benigno liquore corrosiuo rem conficimus, qui acrimoniâ suâ, ipsum acetum destillatum minimè excedat: acetum autem ipsum certâ quoque suâ corrosiuitate minimè destitui, experientia docet. Quandoquidem illud ipsum corrodendo, non tantùm corallia, perlas, conchas, verùm etiam corpora metallica, chalybem, plumbum, stannum, cuprum in liquores resoluere valeat. Non sunt igitur omnia in vniuersum corrosiua promiscuè proscribenda, aliâs ipsum vnà acetum, aliique succi naturæ nostræ familiarissimi, exulare pariter jubendi.

Coagulatio denique, actus omnium facilimus & vltimus, per quem solutio auri magistralis reducitur, ad consistentiam solidam. Solutio abstrahitur lento igne, quemadmodum fit in magisterijs perlarum, coralliorum, & consimilibus. Ita in fundo relinquitur magisteriũ auri potabile, solubile in quouis liquore, ex pallido subobscurè flauescens, preciosissimum naturæ arcanum. *Coagulatio auri.*

Est autem in rerum natura liquor, neque ex vegetabilium, neque animalium, neque mineralium familiâ præcisè oriundus, de quo tamen *Quid sit Mercurius Philosophicus.*

nullum, siue vegetabile, siue animale, siue minerale non participet. Is arte spagyricâ ad summum exaltatus, euadit planè spirituosus, aëreus, diaphanus, subtilis, penetrabilis, eius in soluendo & coagulando, vires expertæ habentur planè mirabiles, quas non tantùm in rebus extra microcosmum, verùm etiam in ipso microcosmo potenter exerit, magnáq; cum admiratione & ipsius microcosmi commodo singulari. Receptus enim intra corpus humanum, statim vim suam spiritualem, ex centro, ad ipsam vsq; superficiem explicat, quascunq; tartari microcosmici, in visceribus præsertim, coagulationes efficaciter resoluit, separat resolutas, & mumiam vitæ, quibuscunque tincturis venenatis, malignis, pestilentialibus, putredinosis infectam insigniter rectificat. Hunc liquorem (cui nomen datur Mercurij Philosophici) commodissimum judicant, qui inchoatæ calcinationis negotium perficeret, atque absolueret. Itaque calx auri suprà parata in hoc liquore soluitur, soluta coagulatur, ídque multoties repetitur, donec tãdem Sol ille terrestris, duodecim signis Zodiaci (i. e. bidui spatio) sui bis euolutis, deuenisset in calcem subtilissimam, rarissimam, spongiosam, & impalpabilẽ, aptam jam solutioni.

Mer-

Mercurij huius Philoſophici præparatio ſequens eſt. Soluatur ſal marinus cum proprio menſtruo, id eſt, cum aqua pluuiali, ſeu fontis deſtillata, idque fiat toties, donec ad ſummam purificationem ac claritatem perueniat. Huius ſic mundati & clarificati ſalis libris ſex, adijce aceti ex melle facti, ad commodiùs, ſpiritus ſulphureos ac vitriolatos, dulces, acidóſque, qui firmiſſimè ſali illi reconditi inhærent, extrahendos. Quod in pixide Waldenburgicâ, hoc eſt, quâuis retortâ terreâ firmiſſimâ, vel etiam vitreâ luto probè munitâ & loricatâ, præſtandum eſt. Ideò additur acetum, vt ex eo expeditiùs & libentiùs ſpiritus ſalis per alembicum tranſeat: ſal enim, ſi in deſtillatione vehiculo ſuo expulſore caret, difficulter ſpiritum prodire ſinit. Quare, ſi quis ſalem in retortam conijcit & diſtillat, prodit aqua acida ſeu vitriolata. Quamprimùm verò aqua ſeu phlegma in ſale latitans prodijt, ſal armoniacus quidam ſublimatur. Quod ſi verò à diſtillatione ceſſet, & caput mortuum aliquâ aquâ irriges, vel in locum humidũ ſtatuas, ad attrahendam aquam, & rurſus ſalem illum in retortam coniicias & deſtilles, tùm vt primum, ſpiritum acidum con-

Mercurij Philoſophici præparatio.

ſequeris, hoc toties repetere potes, donec totum tuum ſalem, in ſpiritum conuertas, qui poſtea in Balneo rectificandus. In hoc verſatur rei cardo; vt gradatim ignis admoueatur: nec non & fornax reuerberatoria Athanoris requiritur: oportet enim, vas incandeſcat, purpureo, non claro calore, ne videlicet ſal fluat, cuius fluxus ſpiritus impediat, & retineat, ne copioſiùs & opportunè, vt decet, extillent. In eo autem adæquato igne retortam immorari neceſſe eſt ad octo dies, quo tempore ſemper recipienti inuigilandum erit, quod vſque adeò & ſpiſſum & capax, firmiſſimóque luto obuolutum vel obductum eſſe oportet, ne quid vſque expiret: quod & turbidum, & ſpiritibus vaporoſis ac albis oppletum animaduertetur, in quibus virtus, & primum ens metallorum reſolutum eſt in aquam acidiſſimam. Poſt ſpiritus exhauſtos, tandem ad collum & ſummitatem recipientis, ſub finem diſtillationis ſublimabitur aut attolletur terra, quæ foliata dicitur, inſtar niuis albiſſima, vel etiam flaua, quæ collo adhęrebit, quę Mercurius aut ſulphur Philoſophorum nuncupatur, quam vtramque appellationem merito & jure ſuo obtinet. His itaque peractis,

actis, & refrigeratis omnibus vasculis, vt probè omnia conquiescant, loricis vasa erunt exuenda, coniunctáque per agitationem vtrâque essentiâ, salinâ, ac spiritualis seu liquidâ, in alembicum effundetur vitreum, ex quâ tria principia, summè spiritualia, simplicissima ac efficacissima, seu maximè penetrantia, quæ in ea continentur, separanda erunt; seorsim singula seponãtur, vt mox dicetur, quæque deinceps in vnum corpus vniantur. Quod verè homogeneum est, ac nihil heterogenei retinens, simplicissimũ ac penetrantissimum, efficacissimúmque futurum est. Alembicus autem & recipiens, firmissimè loricati in balneo vaporoso collocentur, suo quodque loco, ac lentissimo calore insipidum phlegma, aquæ tantùm inutilis saporem referens, separetur. Quo separato, ad justam satis quantitatem, idque lentissimo igne, vt dictum, alembicus frigori exponatur, vbi pellucidissimi lapilli crystallini, gustuíque dulces formabuntur. Quibus semotis ac seorsim depositis, redditóque denuò balneo dulci alembico, sursum ad lentum calorem, insipidum phlegma seiungatur, si alembicus iterum frigori exponatur, concręscent denuò glaciales globuli,

 ijdém-

ijdémque perdulces. Quæ quidem operatio toties repetenda eſt, dum nulli ampliùs emergant lapilli, & quicquid reſidui extillabit, non ampliùs phlegma inſipidum, ſed aciditatis vitriolatæ, quæ mordicationem ſummam linguę inferat, inſtar acerrimi ſpiritus vitrioli guſtum inducat. Tunc verò ab operatione deſiſtendũ, & fundo alembici, quærendum verum ſalis oleum vitriolatum, acidúmque, à quo omne inſipidum phlegma, & inutile extractum fuerit. Cryſtallini verò lapilli, etſi ſapore dulces deprehendantur, admirandæ tamen ſunt virtutis, vt qui Soli vel auro ſeorſim, vel cum oleo ſuo, ad idoneam quantitatem permixti, ſint verum terreſtris Solis menſtruum, ac diſſoluens. Vnde magna medicina naſcetur, & admirandæ virtutis. Conſule Hartmann. in Croll. pag. 399. Salam de Auro potabili. Tentzel. in Exeg. pag. 491. Scheunemani Hydromantiam, &c.

Breuiorem, faciliorem, commodiorem, & minùs precioſum modum deſtillandi & præparandi Mercurium Philoſophicum, ſiuè ſpiritum ſalis, tanquã menſtruum vniuerſale, docet Iohannes Rudolphus Glauberus, in prima & ſecunda

cunda parte Furni noui philoſophici, quo Lectorem demando.

Eſt igitur Aurum, præcipuè verò potabile redditum, Balſami ſeu calidi natiui, cordíſque ſummum corroborans, vnde & in omnibus morbis, in quibus vires reficiendæ ſunt, cum ſucceſſu exhiberi poterit. Mundificat inſuper ſanguinem, noxiorum ſcilicet humorum diſcuſſione ac diaphoreſi. Debet autem ſecundum Glauberum, in tractatu ſuo, de vero auro potabili, auri tinctura ſiue ſal, admodum eſſe volatilis, ita vt igni minimè reſiſtere queat; ſed leni calore inſtar ceræ liqueſcere, & inſtar ſalis rubri ſublimari, ſolubilis in vini ſpiritu, ita vt in vſus medicos venire poſſit. Aurum potabile guſtatum, non ſit corroſiuum vel acre, vel aſtringens, ad inſtar aliarum auri ſolutionum: nec inficiat manus, vngues & crines, colore nigro vel fuſco, ſed potiùs elegantiores reddat: nec inficiat cuprum, ferrum, ſtannum, plumbum, rubigine vel colore nigro, ſed potiùs elegantiore colore: nec ſit corpus Solis, factâ extractione, reducibile, nec in aurum albũ, quod colorem priſtinum recuperare poteſt per antimonium & aquam regis; ſed ſit inſtar terræ cine-

Vires auri potabilis, & quomodo verum à ſophiſtico internoſcendum ſit.

cinereæ, lenique calore instar arsenici sublimabile, capellæ examen non indurans. Quibus dotibus si preditũ, vera auri Tinctura dici meretur: sin minùs, non item, sed potiùs aurum quoddam potabile sophisticum, à quo abstinẽdum.

Magisterium Tinctura Oleũ siue Quinta Essentia Perlarum

Magisterium & tinctura, Oleum siue Quinta Essentia Perlarum, fit sequenti modo. Rec: Margaritas optimè lotas, & in puluerem tritas: his phiolæ inditis, superfunde menstrui acidi, hoc est aceti acerrimi, vel spiritus vitrioli, vel succi limonum destillati, vel succi Berberorum clarificati, vel aquæ salis gemmæ, vel spiritus vini alcalisati, ad trium vel quatuor digitorum eminentiam, ac phiolam benè occlusam, cineribus calidis impone, donec Perlæ omnes soluantur, & in liquorem abeant: menstruum deinde in B. M. abstrahatur, & in fundo Magisterium Perlarum restabit. Hoc sume, ipsiq; aliud menstruum affunde, vt denuò soluantur: tunc nonnullæ impuritates ab eo separabuntur, à quibus, quod clarum est, & in menstruo delitescit, effundito, ne fæces cum illo permaneant, denuóque vt prius menstruum abstrahatur, & rursùs, quod in fundo manet, soluatur, idq; tam diu repete, donec nullas ampliùs impuritates

Perlæ

Perlæ reijciant, & solutio pura appareat. Quando igitur menstruum vltimâ vice abstractum fuerit, affunde aquam pluuialem destillatam, & cum eâ magisteriũ hoc ablue, quo facto, aqua rursus per destillationem separetur, idque tantisper, donec aqua insipida prorsùs gustui se offerat. Accipe nunc huius magisterij quantum vis, eíque affunde spiritum vini optimum ad duos digitos, vase cum luto optimè clauso, ad octiduum in cineribus calidis ad digerendum illud colloca, in quo temporis spatio, nonnihil in oleũ spissum resoluetur, quod ob suam subtilitatem spiritui vini innatabit. Hoc oleum, per inclinationem cautè à remanentiâ separa, & alium spiritum vini affunde, clausóq; vase, tuam materiam in calidis cineribus, vt antè, digere, toties repetendo, donec omne magisterium in oleum siue essentiam conuersum sit. Hoc oleum seu quintam essentiam, per triduum cum spiritu vini circulato, ac tandem spiritum vini siue tincturam, ab illo, per Balneum Mariæ euocato, ita tamen, ne essentia nimium arefiat, & ad vsum reseruato.

Paratur deinde & tinctura ex Gemmis & lapidibus quinque preciosis: vt Rec: *Tinctura Smaragdi*

Smaragdi fragment. q. v. terantur ſuper lapide porphyrio ſubtiliſſimè: poſtea affunde vrinam puerorum deſtillatam, & in loco calido tinctura extrahatur, ídque toties repete, quoties opus erit. Hanc vrinam deſtillando ſepara, & remanet puluis gryſeus, ex quo cum ſpiritu vini tinctura viridis extrahatur. Spiritûs vini aliqua pars ſeparetur, vt conſiſtentiam quandam acquirat, & relinquitur tinctura ſmaragdi, quæ à gutt iij ad v. in aq: conueniente exhibetur. Ex Rubino, & gemmis pleriſque, tinctura extrahitur, ſi calcinentur, & poſtea ſpiritus vini tartariſatus affundatur.

Tinctura Rubini.

Tinctura Corallorũ.

Tinctura Corallorum ſequenti modo paratur: calcinantur priùs corallia non pulueriſata, ſed integra, igne reuerberij primùm lento, vt ſaltem viua flamma, corallia in teſtis (ſcutellis terreis) in furno reuerberum poſita, ſuperficie tenùs tangat. Corallia hoc modo primo gradu albeſcunt, colorémque natiuum abſcondunt. Tamdiu ergò, gradibus ignis inuicem ſuccedentibus, corallorum corpus eſt fatigandum, donec ex albedine in flauedinem, & ex flauedine in rubedinem ſummam reducantur, corpore toto reddito ſpongioſo & leui, id

quod

quod plerumque biduo, vel triduo absoluitur. Hoc igitur signum, dum in promptu fuerit, tunc demum corallia, beneficio graduum ignis facto, sunt habilia, ad propriam tincturam in aliud menstruum deponendam. Sic itaque præparata corallia, si in spiritum vini, vel in alcohol spiritus roris maialis inijciantur, paulò post spõte sua, in idem alcohol, tincturã deponunt. Igitur hæc, aliquantulum menstruo vini per destillationem inde ablato, fit rubicundissima cum quadam dulcedine. Dosis à gutt. iij. ad x. in vehiculis conuenientibus. Habetur alius modus in Augustanorum, Francofurtensium & aliorum Dispensatorijs, vbi beneuolus Lector copiam inueniet.

Croci & Citri tinctura fit, spiritum vini toties affundendo, donec tinctura tota subtracta fuerit, abstrahendo postea leni Balnei calore eundem spiritum ad consistentiam debitam. *Croci & Citri Tinctura.*

Essentia Ambræ & Moschi sequentibus modis paratur. Ambræ & Moschi bona quantitas comparanda; dissoluatur in sp: vini ardentis, collocati in vitreo vase oblongi colli optimè clauso, lento igne: partes heterogeneæ *Essentia Ambræ & Moschi.*

 ad

ad fundum lapsæ, per inclinationem separandæ, & sic dissolutas partes, in aliud vas vitreum oblongi colli transferes, & in eo vase obturabis, & sic denuò collocabis in B. M. per quindecim dies, in lento calore, vt partes solutæ omnino depurentur: quam depurationem, cognosces per separationem partium heterogenearum, in fundo residentium; quas vt in prima operatione separabis, & tamdiu sic ages, quamdiu feces & hypostasim faciet solutum, post residentiam longam in balneo tepido. Postquam autem feces nullas emittet, sed clarum & limpidum semper permanebit solutum, tunc temporis destillandum erit lentissimo igne, vsque ad mellis consistentiam: quod erit arcanum ambarinum, reseruandum in pixidibus argenteis, vel aureis, ad vsus, & aqua, in phialis optimè clausis, quæ etiam suos peculiares habet vsus & virtutes. Dosis, granum, aut gutta vna atque altera in aqua Cinamomi, aut alijs vehiculis. Alij ita præparant. Rec: Ambræ gryseæ. p. j. ol: amygdl: dulc: p. ij. Impasta & digere per aliquod dies, postea exprime, expressioni affunde spirit: vini rectificatum, digere, & destilla per arenam: sic eleuabitur cum spiritu vini Essentia Ambræ,


reli-

relicto oleo amygdalarum in fundo. Abſtrahe ſpiritum vini ad conſiſtentiam olei. Doſis guttæ paucæ.

Extractum ligni Aloës, paratur pulueriſando, incidendo, aut radendo, cui affundatur ſpir: vini, vt ſuperemineant digiti duo vel tres, reponendo poſtea in teporem B. M. extrahendóque. ſ. a. Tandem depletiones omnes confundendo, & abſtrahendo leni igne B. M. ad conſiſtentiam debitam. *Extractũ ligni Aloës*

Tota ſeries Auri potabilis, præparatio, & occulta vis eius analogica cum microcoſmi corde, proponitur emblematicè in præſentibus his duobus Emblematibus, ex quibus Chymicorum arcana, circa hanc compoſitionem, facilè intelligentur.





SIGNIFICATIO.


Quarti & Quinti Emblematis.

Homo ternis vitæ generibus destinatus.



OMINEM ternis vitæ generibus viuendis destinatum esse, in confesso est omnium. Vegetabili primo, in vtero materno, vbi plantæ instar crescit & augmentatur, secundo, sensibili, vbi maxima ex parte sensibus ducitur ceu reliqua animalia, à quibus tamen differt, quòd intellectu incipiat vti, licet imperfectè; tertio, intelligibili, in altera vita apud Deum & Angelos. In præsenti vitâ, quò quis magis ad diuinam naturam accedit, eò magis rebus intellectu indagandis, subtilibus, miris & raris, gaudet, & delectatur: econtrà, quò quis ad pecuinum genus magis declinat, eò minùs his capitur, & sensui corporaliori astrictus est. Vtrorumque videmus exempla; quosdam illis, vtpote doctiores, artibus & scientijs politos, esse deditos, quàmplurimos hisce, nempe voluptatibus corporis, libidini, gulæ, pompæ externæ, & his similibus. Magis itaque illos ad sapientiæ penetralia accedere, dùm subtilia, augusta, sacra, rara & abstrusa rimantur, quàm hos, qui à communi pecorum vitâ tanquam asini ad lyram ab omni

ni


PATER BONVM INFINITVM
LVMINIS GRATIÆ
MESSIAS
DEVS
LVX INACCESSA
HOMO
FILIVS
SP.S.
MVNDVS ARCHE TY PVS
DEVS PATER NATVRA DIVINA
FILIVS NATVRA HVMANA DEVS
SANCTVS DEVS SPIRITVS
IDEÆ
SERAPHIM
CHERVBIM
THRONI
Hierarchiæ Classis prima
VIRTVTES
ARCHANGELI
ANGELI
Hierarchiæ Classis Tertia
DOMINATIONES
PRINCIPATVS
POTESTATES
Hierarchiæ Classis Secunda
MVNDVS INTELLIGENTIARVM
Aries tenet in Microcosmo Caput
Pisces Gubernant Pedes
MARTIVS Ver-
APRILIS Pituita
FEBRVARIVS cholia
12. Mineræ
7. Planetæ
3. Δ. IGNIS
MAYVS
3. TERRÆ
Melan.
IANVARIVS
SATVRNVS
IVPITER
MARS
SOL
VENVS
MERCVRIVS
LVNA
Oriphiel
Zachariel
Samuel
Michael
Anael
Raphael
Gabriel
7. Angeli
TRIA SVNT PRINCIPIA TRES SVNT MVNDI
THEOLOGIA
ALCHYMIA
GRAMMATICA
DIALECTICA
RHETORICA
MVSICA
PHYSICA
ASTRONOMIA
ARITHMETICA
GEOMETRIA
MEDICINA
IVRISPRVDENTIA
Magna dignitas
IVNIVS
Æstas
DECEMBER Hyems
TRES SVNT CEREBRVM
PVLMO
RENES
COR
FEL
HEPAR
SPLEN
TRIA SVNT ÆTATES
TRIA SVNT REGNA
Argentum Vivum
Argentum
Cuprum
Aurum
Ferrum
Stannum
Plumbum
7. Metalla
7. Membra
IVLIVS
3. Δ. AERIS
Bilis
NOVEMBER
3. ∇. AQVA
OCTOBER
SEPTEMBER Autum.
AVGVSTVS
Microcosmi
MVNDVS ELEMENT ARIS
EMBLE MA 4.

ni bona doctrina & intentione alienissimi sunt, nemo est qui dubitet.

Sapiens *itaq;, qui* Arbori vitæ *assistens, in præsenti Emblemate proponitur coronatus, dominabitur astris:* Sapiētia *enim, id est diuinæ particula auræ, in humanis (diuina, ad animæ salutē spectantia, semper excipiendo) non consistit in sophisticis argutiis, non in oratorijs & phaleratis sermonibus, nō in poëticis versuū sonoris, nō in criticis grammaticorum subtilitatibus, non per fas & nefas, per dolos & periuria, per deceptiones & mendacia, per immisericordiā & pauperū sudorem, nummos & opes coaceruandi astutiâ; sed in cognitione sui, & aliarum rerum creatarum. Disce itaque, inquit Baruch Propheta. 3. 14. veram sapientiam, & experieris quis sit ille, qui vitam longam, opes, gaudium & pacem largiatur. Ipsa potentior est rebus omnibus, & sapientem magis confortat, quàm decem potentes, qui in ciuitate sunt. Est autem donum Dei altissimi, qui prout vult, & etiam cui vult ex suis seruis & fidelibus, illud committit & monstrat: decet igitur, Omnipotenti Deo, esse in omnibus humiles & omninò subiectos. Est quoque hæc sapientia Arbor vitæ, omnibus qui apprehendunt eam, & beati sunt, qui seruant eam. Lignum verò vitæ dicitur, non quod salutem æternam in se habeat, sed ad eam quasi viam monstret, & fructus huic vitæ vtiles portet, quales sunt sanitas, bona fortunæ & animi, quibus*

Quis sapiens & quid sapientia.

vita

vita carere nequit; absque his enim, homo vel viuens mortuus est, brutóque non absimilis, etiamsi externa eum, qui esse deberet, & non est, potiore sui parte repræsentent.

Homo tres habet partes.

Homo siquidem tres habet partes: corpus mortale: sydereum spiritum; & animam æuiternam, quæ est domicilium imaginis Dei, vel Spiritus sancti. Si igitur propriâ voluntate viuit, secundùm carnem, sensualiter est brutum; si viuit rationaliter, tunc est homo, & dominatur animantibus in suo corpore; si verò imaginis Dei proprietate obseruatâ viuit secundùm Dealem spiritum ex arbore vitæ, seu secundùm talentum & thesaurum in fictili sibi concreditum & depositum, dominatur astris & omnibus rebus. Hinc verissimum Hermetis pronunciatum in Tabula Smaragdina esse, Deali spiritu illuminatus comperiet. Superiora esse sicut inferiora, & inferiora sicut superiora: *nihil enim in veritate Deus creauit superius, quin eidem simulachrum aliquod creauerit inferius: nihil creauit in spiritu inuisibiliter, quin in corpore aliquo id ipsũ adumbrauerit visibiliter, vt per corpus vmbræ patentis, perueniamus in cognitionẽ spiritus latẽtis, & per effigiem apparentis inferius, ad notitiã reipsâ existentis superius. Et scaliger alternatam cohæsionem mundi adstruit, cum inquit: formæ inferiores à superioribus fouentur, & superiores inferiorum benignitate non destituuntur: pendent hæc nostratia à superioribus, non propter*

Superius est sicut inferius.

vniuocam effectuum communionem, sed propter æquiuocam connexionem. Sunt enim superiora quasi formæ conseruatrices inferiorum, quia hæc causa ipsa causarum tuetur ea, quæ fecit, per ea, quæ fecit. Hoc sensu non adeò repudianda videtur veterum sapientum Theoria, qui formas rerum & virtutes principio ab Idæis in mente diuina eminentibus prodeuntes, deinde intelligentijs administris stellis communicari, & ab his maximè à Sole Cœli corde, & lumine masculo, hinc à Luna veluti matre susceptas & collectas per spiritus ætherei vehiculum in Elementa, & ab his in vniuersum mundi corpus, ventrémque & centrum terræ per ventum prolificum, & aquarum lapsus ceu genitale semen immitti, & minerali naturæ primum agglutinari; hinc in vegetabilem & animalem transire: rursus autem mediatoribus illis sublatis, à corporibus resolutas & emeritas, per gradus ad pristinos fontes regredi atque reuerti, confirmant.

Propius itaque vt ad rei cognitionem accedamus: Caballistæ Hebræorum, Mundum à pulchritudine & munditie nomen sortitum, siue vniuersam machinam creationis, in tres Orbes seu Mundos diuiserunt: Archetypum: Intellectualem: & Elementarem, Quibus alij Microcosmum pro quarto addiderunt. In Archetypo est ipse Deus Triunus & Vnitrinus, vbi ab vno omnia, in vno omnia, & per vnum omnia, tanquam à supremo vniuersitatis Creatore & Rectore creata reguntur; à *Tres Orbes seu Mundi* *Archetypus.*

 solo

solo videlicet Deo, dierum antiquissimo, errare nescio, ac Luminum Patre. Hic arcanorum conditor; hinc inde proprietates creaturarum, hic rerum omnium perfectus artifex, hic creator sublimis, gloriosus ille Iehoua Deus. Pater, Filius, & Spiritus sanctus, *Meßias, Deus & Homo. Lumen Gratiæ. Bonum infinitum. Sanctæ Triunitatis Lux inaccessa. Per gradus disposuit & ordinauit Res, semper nobiliores in summo gradu collocando: primóque descendit potentia & voluntas diuina, & antequam inferioribus se communicet, ad Intelligentias aut Angelos, ab illis postea ad Sphæras Firmamenti, Planetarum aut Stellarum: vltimò accedit in mundum Elementarem, vel in regionem quatuor Elementorum, vbi postrema executio mandatorum & voluntatis diuinæ, impletur ac perficitur. Sunt autem in Archetypo Ideæ, & diuinæ dignitates Dei. Vnde B. Thomas, ex sententia S. Augustini manifestè declarat, omnium rerum ideas esse in diuina mente, & eas esse diuinam essentiam, per quas Deus omnia videt ac cognoscit. Sunt Ideæ principales quædam formæ, vel rationes rerum stabiles, atque incommutabiles, quæ ipsæ formatæ non sunt, ac per hoc æternæ, ac per se eodem modo in se habentes, quæ diuinâ intelligentiâ continentur, & cùm ipsæ nec oriantur, nec intereant, secundùm eas tamen formari dicitur, quod oriri & interire poterit; & hæ Ideæ non repugnant simplici-*

tati diuinæ, vt testimonio intelligimus S. Augustini in lib. trium & 80. quæstionum. Naturam diuinam per Trigonum characterem (vti in quarto Emblemate ex Archetypo videtur) antiqui expresserunt inuersum, cuius centrum Deus, superiores duo anguli, Pater & Filius, inferior mucro, Spiritus sanctus, suos sub se habens vertices, à quibus egrediuntur spermata omnium creaturarum. Per Trigonum verò characterem erectum, naturam humanam siuè hominem significarunt, qui paßione & morte in cælum sublatus est: centrum huius est homo, superior mucro anima, basis corpus & spiritus. Quicunque jam opus sophorum assequi cupit, ambos characteres trigonos coniungat: sextangularis inde fiet character. Voluerunt Philosophi per primum signum aquam præfigurare, & indicare, Aquam esse primam materiam omnium rerum, & cum ea etiam Mercurium Philosophorum. Secundo charactere verò Ignem, & per illum sulphur Philosophorum. Duobus hisce characteribus in vnum compositis & copulatis, tunc meritò vocitatur duplex Mercurius. De quo tamen inferiùs plura.

In Mundo Intellectuali siuè Angelico, quæ secunda regio, habitatio seu locus Angelorum est, à doctis Rabinis Mundus intelligentiæ vocatus: quem quartum etiam indicat Emblema. S. Gregor: in Homil. ait; Angelorũ vocabulum nomen est officij, non naturæ: nam sancti illi cæle- *Mundus Intellectualis, siue Angelorum.*

 stis

stis patriæ Spiritus, semper sunt spiritus, sed semper vocari Angeli nequaquam possunt. Tunc solùm sunt Angeli, quum per eos aliqua nuntiantur. Hi ergò, qui minima nuntiant, Angeli: qui verò summa nuntiant, Archangeli vocantur: græcâ enim linguâ Angeli nuntij, Archangeli verò summi nuntij vocantur. Origenes in numer. Hom. 66. Adest vnicuique nostrûm, etiam minimo, qui sunt in Ecclesia Dei, Angelus bonus, Angelus Domini, qui regat, qui moneat, qui gubernet, qui pro actionibus nostris corrigendis & miserationibus exposcendis, quotidie videat faciem Patris, qui in cœlis est. Angelorum bonorum ordo dicitur Hierarchia cœlestis: est namque triplex Hierarchia, nempe supercœlestis, Deitatis solius: cœlestis, Angelorum: Terrestris, militantis Ecclesiæ. Secundùm Christianos ex D: Dion. Areop. Hierarchia cœlestis, tres classes, & nouem ordines habebit huiusmodi. Classis prima, in primo ordine & supremo, viciniores Deo Angeli, dicuntur Seraphim *: i. e. incendentes & ardentes in illustratione diuinæ contemplationis. Esa. cap. 6. Hi apparent specie ignis & luminis, ac pinguntur cum radijs. In secundo ordine* Cherubim *: i. e. Multitudo scientiæ hi vocantur, apparentes formâ aliquâ, siuè humanâ, siuè aliâ: significat enim vocabulum, imaginem fabricatam, quasi alatam habentem formam, vel hominis, vel bouis, leonis, aquilæ. In tertio ordine sunt* Throni, *apud quos relucet*

judicij

judicij diuini & voluntatis Dei rectitudo. Claßis secunda. In quarto ordine sunt Dominationes: ex ijs legitima formula dominandi, & imperiorum. In quinto ordine sunt Principatus: ex quibus ducendi & regendi notio. In sexto ordine sunt Potestates: ex quibus modi coactionis justi & legitimi. Tertia Claßis. In septimo ordine sunt Virtutes: hinc nomina principatus, dominationis, & virtutum inde sumuntur; quia sunt exercitus Dei, potentes virtute ad exequenda mandata Dei. In octauo ordine sunt Archangeli. In nono. Angeli. Hinc ordines primæ & secundæ claßis, in contemplatione & dispositione eorum, quæ exequi alios oportet, consistere videtur. Tertia autem claßis, in actione & executione. De malis Angelis & spiritibus hic taceo: quantum enim in humano corpore, Deo permittente, & præcipuè in melancholicis, quibus se libenter tanquam subiectis aptißimis associant, poßint, ex plurimorum Theologorum & Medicorum doctrina, cuilibet intelligere licebit. Nam cum tres à Deo constitutæ sint Hierarchiæ: videlicet Ecclesia: Politia: Oeconomia. Quis nescit, quantæ in Ecclesia hæreses; in Politia nequitiæ, iniustitiæ, inuidiæ & ambitiones, in aulis præcipuè; in Oeconomia denique, calamitates & miseriæ, à malis his spiritibus & genijs excitentur & disseminentur. Beati igitur homines illi, terque beati, quos boni & tutelares Angeli dignos judicauerint præsentiâ,

visitatione, & tutelâ suâ, quibus protegere se, & propulsare inimicum possint.

Mundus cœlestis & Elementaris. *In Mundo Elementari seu infimo & sensibili, est regio elementaris & cœlestis, inclusa & cincta cœlo exteriori seu firmamento. Continet in se Quatuor Elementa, Ignem, Aërem, Aquam, & Terram, corruptionibus & generationibus obnoxia. In cœlesti regione, Planetæ septem existunt, & reliquæ stellæ seu corpora cœlestia, suam gubernationem habent, & officia exequuntur.* *Quartus Mundus Microcosmus.* *Microcosmus siue quartus Mundus, cum triplici Mundo, 1. Archetypo seu Deali, 2. Intelligibili seu Angelico. 3. Sensibili Elemētali seu corporali communicat symbolum cū omnibus, item operationem & conuersionem habet. Communicat enim cum Deo Archetypo animo seu mente, quia ad imaginem eius, propter spiraculum vitæ factus est, nec reperitur aliquid in homine, non vlla dispositio, in qua non fulgeat aliquid Diuinitatis, nec quicquam est in Deo, quod ipsum non repræsentetur in homine. Cum Angelis Symbolum habet, ratione corporis inuisibilis & animæ rationalis, cuius beneficio operatur & conuersatur cum ipsis, & eandem cum eis habet sapientiam : sicut etiam cum firmamento & stellis, à quibus illud corpus astrale seu spiritum sydereum accepit, qui verus homo est astralis. Hinc spiritus & astra in homine vnum sunt; at corpus, est horum subiectū. Cum Elementis correspondet etiam, vnde corpus physicum,*

cum, terrestre ac mortale: item cum elementatis animantibus, vegetabilibus & mineralibus omnibus: horum enim omnium naturam ac proprietates in se possidet. Nam cum Adam primus homo, ex terræ gleba à summo Creatore formatus esset, nondum sese exerebat vitæ alicuius perceptibilis motus, donec ipsi Deus spiritum inspiraret: tum terræ gleba viuificâ vi donabatur; in terra erat sal, id est corpus: aër inspiratus erat Mercurius, spiritus; per hanc inspirationem dabat ipsi aër genuinum & temperatum calorem, qui erat sulphur, i. e. Ignis. Tum mouebat sese, & manifestabat Adam tali motu, quod ipsi anima viuifica infusa esset. Nam ignis sine aëre esse nequit, & vicissim nullus aër absque igne: Aqua terræ erat incorporata, cùm necessariò simul, si modò vita sequi debeat, in æquali mixtionis concordantia, existant. Ita Adam primò ex Terra, Aqua, Aëre, Igne, ex Anima, Spiritu & Corpore, ac denique ex Mercurio, sulphure & sale eductus, compositus & generatus est. Cælestis autem hæc creatura generata, cuius vita per astra conseruatur, & per quatuor elementa nutritur, interire debet, atque post putrefieri; quod si fiat, astra per elementorum media, quibus id incumbit, corpora putrefacta rursùm vitâ donabunt, vt iterum cœleste quid, quod in suprema firmamenti regione habitationem suam habebit, inde fiat: si id perfectum sit, videbis, quòd terrestre à cælesti cum corpore & vita as-

sumptum,

ſumptum, & terreſtre corpus in cæleſtem ſubſtantiam reductum ſit.

Medico cognitio Luminis Naturæ neceſſaria.

Sine cognitione autem Luminis Naturæ, ſeu maioris Mundi, nullus Medicus poteſt habere exactam vegetabilium, mineralium, animalium, metallorum, morborum, & Microcoſmi cognitionem. In Sole igitur, lucis ac caloris fons eſt, regitque ignem. Luna aquam concitat: hinc eſt, quod pro Lunæ ſitu, ætate, coniunctione, aut plenilunio, mare fluit ac refluit. Aerem Saturnus, Iupiter, Mars, Venus & Mercurius mouent: Saturnus verò frigidum, Mars æſtuoſum; Iupiter caloris, ſicut Venus frigoris temperamentum efficiunt, & Mercurius à ſua natura non declinans, ventos etiam facit, & facilem præparat ad omnem mixtionem omnémque varietatem. Terra à cœlo ſtellato, hoc eſt octaua ſphæra mouetur, brutum & immobile Elementum, totâ cæleſti machinâ indigens, vt moueatur.

Planetarũ & metallorum numerus.

Quarè Planetarum ſunt numero ſeptem: ad quorum imitationem & Metalla hunc numerum non tam propter ſimilitudinem, quàm propter actionem, vtque dicam colorem, implent. Sic Aurum habitudinis temperatæ, dependet à Sole. Argentum Lunæ tribuitur. Ioui aſſignamus Stannum. Aes ſiuè Cuprum Veneri, Saturno Plumbum. Ferrum ſiuè Chalybs Martem ſequitur. Argentum viuum Mercurium. Quando autem ſeptem Planetæ cum

ſeptem

ſeptem Metallis actionibus & coloribus vniuntur; ſic etiam ſeptem principalia membra Microcoſmi, pro ratiõe Planetarum, Angelis tanquam eorum Dominatoribus adnumerantur, Luna, quam reget Gabriel, reſpiciet Cerebrum. Mercurius, qui regitur à Raphaele, Pulmonem. Venus, cuius rector erit Anael, Renes. Sol, quem reget Michael, Cor. Mars, cuius regens Samuel, Fel. Iupiter, cuius dominator Zachariel, Hepar. Saturnus, cuius motor erit Oriphiel, Splenem. Correſpondent quoque Planetæ cum morbis cuiuſque membri modò enarrati. Omnes reliquæ partes minus principales, cum duodecim ſignis Zodiaci ſocietatem habent. Humores corporis humani, præter id, quod numerum & qualitatem Elementorum imitentur, ſic quoque cum duodecim Anni menſibus correſpondent: vti etiam duodecim Mineræ cum Quatuor Elementis. e.g. Bilis ſiuè Cholera propter caliditatem & ſiccitatem, Ignem habet, ſubiacet Marti & Soli præcipuè, quibus ſe accomodant, Auripigmentum, Antimonium, Talcum. Atra Bilis ſiuè Melancholia propter frigiditatem & ſiccitatem Terram, quæ Saturno obedit: cui Tartarus, Sal commune & Sulphur attribuitur. Pituita ſiuè phlegma, Aquam, propter humiditatem & frigiditatem, propter quæ, Lunæ & Veneris dominium ſequitur: cui additur Mercurius, Vitriolum, Sal nitrum. Sanguis denique ob caliditatem & humiditatem, Aerem, vnde Ioui perſimilis eſt, & huic Cinnaba-

Planetarum, Angelorum, & membrorum hominis principaliorum cõuenientia.

Humorum cum Elementis & Menſibus correſpondentia, quibus etiam Mineræ attribuuntur.

 naba-

nabaris, Alumen, Aes viride. Sic etiam septem dies septimanæ, nomen à septem Planetis acceperunt.

Ætatum cum Planetis comparatio.

Ætates quidam tres statuerunt. Iuuenilem, mediam, & senilem. Rectius tamen Ptolomæus lib. 4. Iudiciorum, accomodat Ætates ad Planetas, vbi scribit: Luna gubernat Infantiam quatuor annis, propter humiditatem. Sequentibus decem annis, Mercurius, ingenij magister, & morum informator. Octo sequentes annos sibi vendicat Venus, ingenerans blandimenta cupiditatum ac libidinum. Post Venerem, viginti annis dominatur Sol, sapientiæ grauitatisque author. Post Solem Mars, annis quatuordecim, curam laborum ac contentionum inserit. Martem excipit Iupiter, consiliorum & prudentiæ parens atque moderator, annis duodecim: & sic complentur anni sexaginta octo. Quod reliquum est ætatis, Saturnus conficit, inertiâ, morositate ac mœstitiâ. Vno intuitu hæc omnia quilibet in Quarto perspiciet Emblemate, quasi in compendium redacta.

Solis & Lunæ necessitas.

Præmissis itaq; generalibus, ad particularia magis accedamus. Sol ergò, boni filius, magnæ Planeta potentiæ, dux lucis, & caloris vitalis fons; Lunáque ipsius æmula, humorum domina, cum reliquis luminibus minoribus erraticis & fixis, masculinâ vel fœmininâ, æstiuâ vel hyemali influentiâ præditis, suo per Zodiacum cursu, suo ortu & occasu, congressu & discessu, necessaria sunt digestio-

num

num instrumenta: quæ inferiora hæc agitant, mouent, & latentes formas exuscitant, benigno roris, mannæ, Thereniabin & pluuiarum nectare; blandissimóque Zephyrorum genitalium, & teporis verni afflatu, ac gratâ temporum vicissitudine fœcundant, & ab extra opitulando, & obstetricando formas ad actus secundos perducunt. Hinc miranda & imperscrutabilis rerum sympathia & antipathia, consensus & dissidium, discors concordia oboritur.

In Sole tanquam corde cœli, vt in potenti scaturigine & fonte, reperiuntur cœlestes occultæ operationes corporum cœlestium. Hinc cœlestis regina & vxor Solis, Luna, omnium cœlestium influxuum virtutúmq; vltimum est receptaculum, Solis cæterorúmque Planetarum ac Stellarumradios & influxus, quasi fœtum suscipiens, inferiori mundo sibi vicino, quasi parturiens edit: æstimatúrque, à Deo sapientissimo, sphæram Lunæ, in infimo loco corporũ cœlestium, & supremo elementarium motuum creatam & collocatam esse, vt ab illa desuper possint accipi vires & influentiæ cœlestes astrorum, & ipsa Luna, easdem à se refundere in omnia elementaria, vel in ipsa elementa vsque in terræ globum distribuere, & cuiusque rei peculiare ac proprium innatum astrum cum superioribus conspirans hoc pacto excitare. Sic absque Luna intermedia vim superiorum attrahere omnino nequimus: nihílque sine Lunæ beneficio vnquam perfeceris, quia Luna vir- *Solis & Lunæ vires.*

tute Solis domina generationis, augmenti, & detrimenti: Luna quasi luce lucens alienâ, quia ipsa non lucet de se, sed omnem splendorem suum à Sole mutuatur; sic Luna licet ab omnibus stellis vires suscipiat, potissimum tamen in Sole, quoties illi coniungitur, viuiuica virtute repletur, ac pro illius intuitu complexionem mutuatur. Sol, vbi in Arietis domicilium ingressus, quod fit in Martio (vnius enim anni spatio, duodecim signa Zodiaci percurrit, diebus ferè triginta signum vnum; Luna spatio menstruo signa pertransit, inque sexaginta horis æquinoctialibus peragit) maximos & manifestissimos effectus monstrat in terris: variat enim pro qualitate signorum humanos actus, quia & signa diuersos effectus obtinent habitudine: nam Aries, Leo, sagittarius, ignea: Taurus, virgo, Capricornus, terrea: Gemini, Libra, Aquarius, aerea: Cancer, Scorpius, Pisces, aquatica signa sunt.

Solis cum Auro analogia.

In Mundi itaque oculo, siuè Sole, omnes naturæ vires quasi in receptaculo & fonte perenni reconditæ sunt: humanæ sanè sapientiæ fermentum, supérque omnia lucet: & sicut in Microcosmo Cor est scaturigo vitalis spiritus & sanguinis, omnibus reliquis membris motum ac vigorem impertiens: ita Sol cor cœli vicissim, tãquam omnium virtutum elementarium Dominus per vniuersam naturam suos spargit & infundit radios: & vt Sol inter cœlestia, sic Aurum inter metalla tenet primas, estque receptaculum

&

& subiectum omnium virium elementarium, cœlestium ac supercœlestium: delabuntur autem à supercœlesti & cœlesti influentiæ deorsum, in mundum hunc elementarem, concentrandoque confluunt in hoc vnicum metallum, sicque colligatæ in eo asseruatæ concluduntur. Et veluti Sol communicat & prælucet omnibus stellis ac Planetis, & ab ipso tanquam Rege, lumen omne recipiunt, operam vicariam, assurgendo, vel motus variatione sese accomodando præstant, dum in Apogæo tardi, in Perigæo celeres, nunc retrogradi, nunc apparent directi. Sic ab Auro cæteræ res, valorem & sui pretium consequuntur, quæ vicissim illi cedunt in honore, durabilitate, & virtute. In honore; quia in Regum coronis & sceptris gestatur; in poculis & patinis vsurpatur; in catenis & vestibus visitur. In duratione; quoniam ceteræ res in chaos Elementorum citò redeunt; aurum verò nunquam, nisi tardissimè. In virtute; quia & Medici ipsi summas virtutes adscribunt. In Auro spiritus est secretissimus ac cœlestis, omnibus creaturis totius mundi, vitam, substantiam, essentiam largiens. Idem ille spiritus liberrimè diffusus, motu ac virtute suâ in terra maximè, vt in centro eius, arctissimè contractus condensatur, & quasi in substantiam illorum incorporatur, quæ in terræ centro proueniunt: Inde metallis totus clauditur & figitur. Hic spiritus vnus idemque cõuenit cum omnibus animantibus, vegetabilibus, & mineralibus,

ralibus. Sic membra omnia principaliora in Microcosmo reguntur à spiritu, spiritus ab astris, astra à Sole, Sol verò à supremo vniuersitatis Rectore. Inter cœlestia sic Sol obtinet primas: inter vegetabilia Vinum: inter animalia Cor: inter mineralia Aurum. Sapientes antiqui, Solem vno charactere hieroglyphico, videlicet integro circulo, & visibili centro describere & præfigurare voluerunt: siquidem Solis character tum cœlum tum terram refert; nam circulus, cœlestes motiones & influentias, centrum, terrenam & fixam naturam promittit.

Solis character hyeroglyphicus.

Aurum Cordis corroborans.

Cum itaque Cor, focus sit caloris nostri, centrum microcosmicum, Rex & Princeps reliquorum membrorum, quo saluo, cætera salua, læso læsa sint, primum viuens, & vltimum in animali moriens, fons caloris ac spirituum: tutor, rector, & inspector aliorum: at primogenituræ jus habeat, spectet ad conseruationem totius familiæ, maréque æstuosum affectuum turbinibus sit. Quare pacandum veniet auro in medicamentum concinnato: aurum enim ex summè corroborantibus primum est: æquatio qualitatum, quasi corticem externum superinduxerit auro, seu potiùs clypeum Achillis, sub quo, tanquam testudo sub testa durissima, sua inferiora viscera abscondit, & ab iniurijs prætereuntium seu iniquè tractantium tuetur. Vt autem in vsum corroborantis, metallum hoc peruenire possit.

ſit, tunc ſcias primùm per artem, metallicam & mineralem formam ſeparare, ſoluere, & recludere: nimirum corpus per ſolutionem, & vice versâ è corporali forma reducere Mercurium, ſulphur, & ſalem, *quæ ita ſeparentur, vt quodlibet teneatur ſeparatim. Hoc autem aliter non fit, quàm vt mineralis ſpiritus & ſulphurea anima, cũ albo ſale viciſſim, per artem ſpagyricam in liquorẽ ſubtilẽ ac ſubſtantiã redigatur, quod nullo alio fit medio, quàm cùm aqua philoſophica, in qua omnia Elementa, inprimis omnes cœleſtes, elementares, & terreſtres qualitates latent incluſæ: mercurialis enim ſpiritus frigidus eſt, lenis & humidus, anima ſulphurea calida & ſicca, & talis liquor, nihil aliud eſt, quam prima materia & primum ſemen metallorum & mineralium; qui liquor, ſi more philoſophico cum ſuo fermento componatur, & per Vulcanum ad optimam perfectionem in fixam medicinam redigatur, magnum ſecretum confectum eſt, quo totus Microcoſmus refici, & ipſi noua quaſi vita introduci poteſt.*

Requiruntur autem ad ſolutionem hanc, metallicæ ſubſtantiæ, non aliæ: cum enim illud, quod ad vltimum per artis adminiculum fieri intenditur, ſit metallum perfectum, quomodo hoc genealogiam ſuam incipiet ab animali, vel vegetabili. Pater itaque Auri tinctura eſt, & mater argentum viuum, auus eſt mercurius fixus, auia itidem mercurialis ac volatilis: tota itaque proſapia huiuſmo- Genealogia Tincturæ auri.

iusmodi à Mercurio incipit, in eúmque desinit: nam & aurum totum Mercurius est, inque eum resoluitur à quibusdam & tinctura ipsa perfecta. Vnde rectè dictum.

Est in Mercurio quicquid quęrunt sapientes.

Distinctio Mercurij, sulphuris & salis. *Distinguitur autem Mercurius, in corporeum, vulgarem, & philosophicum. Vti sulphur, in æthereum, combustibile, & fixum. Sal, in sal elementorum, terrenum, & centrale. Omnis Mercurius ex fumis est compositus, hoc est, ex aqua subleuante terram secum in aëriam raritatem, & ex terra, cogente aërem redire in aqueam terram, seu terream aquam: cùm enim Elementa in eo sint per omnia, & mixta, & inuicem in quandam viscosam naturam conculcata & redacta, non facilè ab inuicem recedunt, sed vel volatilia sequuntur superiùs, vel apud fixa inferiùs manent, quorum primum in vulgari Mercurio, alterum in Philosophico & metallis fixis apparet: in his, Elementa fixa prædominantur volatilibus, in illo, volatilia fixis.* Mercurij signa explicantur. *Nec verò absque causa est, cur Mercurius Deorum reliquorum nuncius, interpres & quasi minister intermedius currens dicatur & habeatur, alis ad caput & pedes adaptatis: ventosus enim est, & volat per aëra vt ipse ventus, vt in communi, multorum cum damno reipsa conuincitur: at quia caduceum gestat binis serpentibus transuersim cinctum, qui animas ex corporibus ducit & reducit, & multa eiusmodi contraria efficit,*

Philo-

Philosophici Mercurij symbolum optimè exprimit. Est radix metallorum, ex qua omnia quolibet tempore metalla nascuntur, quæ omnibus in locis inuenitur; non verò est viuus Mercurius, seu vulgaris, qui venenosus est: hic salubris, quo nemo hominum carere potest. Salis igitur cælestes effectus balsamicos, terræ liquor, qualem ex salibus erui diximus, quodammodo imitari potest: siquidem nihil natura progenuit, quod idem ars imitatione non effingat, & quæ potest Sol cælestis naturali proprietate præstare, eadem & Sol artificialis, chymicâ industriâ paratus, & ex rebus terrenis assumptus, exerere quodammodo valet: quod enim est inferius, idem est ac quod superius. Liquor igitur iste balsamicus, ex sale eductus, hoc ipsum potest, si ad debitam quantitatem aquæ, aut paßiui liquoris, qui vbique copiosus occurrit (i. e. aquæ pluuialis destillatæ) commisceatur. Sic Ars & Natura mutuas sibi manus conferunt, ita vt hæc illius vicaria fiat, & illa huius: nihilominus Natura manet Domina, & Ars ancilla. Est autem Natura principium & causa motûs, & status eius in quo est primò, & ancilla per se, & non vi alienâ. *Ars Naturam imitatur.*

Igniũ quatuor sunt genera, naturalis, innaturalis, cõtra naturam, elementalisq; qui lignum accendit. His vtimur, & non pluribus. Ignis contra naturam, debet excruciare corpora, ipse est draco, violenter comburens, vt ignis inferni. Ignis naturæ, est tertium menstruum: ille ignis natura- *Ignium quatuor genera.*

turaliter inest cuique rei. Ignem occasionatum vocamus innaturalem, vt calorem cinerum & balneorum ad putrefaciendum: absque his ignibus nihil producitur ad putrefactionem, vt possit separari materia, vt simul sit proportionata ad nouam coniunctionem. Ignes verò dicuntur, quia virtutem igneam habent, naturalis coagulando, innaturalis dissoluendo, contra naturam corrumpendo, elementalis calorem & primum motum administrando: atque in his catenatus ordo obseruatur, vt secundus à primo, tertius à secundo, quartus à tertio & primo simul incitetur ad actionem, sic vt vnus sit agens, & alter patiens, idémque agens & patiens diuerso respectu. Primus est ignis elementalis re & nomine, secundus aër est siue aërius, tertius aqueus seu lunaris naturæ, quartus terreus. De primo, quia omni videnti & tangenti cognitus est, superuacaneum est aliquid dicere. Tres reliqui sunt dracones, menstrua, aquæ, sulphura & Mercurij.

Cur Ignis dicatur Draco.

Dracones, *quia venenositatis participes, deuorent sui generis serpentes, corpora sibi commixta atterant & alterent, hoc est, soluant & coagulent: deuorare autem Draco dicitur sui generis serpentes, & caudam suam, cùm partem volubilem, venenosam & humidam absumat, vt post absque cauda videatur corpulentior & tardior, siquidem motus & volubilitas eius magna ex parte ratione caudæ contigerit.*

Cur Menstruum.

Menstrua *dicuntur, quia ex illis*

lis fœtus Philoſophicus producitur & nutritur , vſque ad eius natiuitatem, diſtinguuntúrque in vegetabilia & mineralia. Aquæ *ſunt, quia aqueam naturam in igne oſtendunt, hoc eſt, fluxum & liquiditatem, quæ aquæ conuenit.* Sulphura *quoque appellantur à ſulphuris virtute , quam in ſe habent : nam ſulphur naturæ, cum alio ſulphure miſcetur, & fit vnum; & duo ſulphura ab vno ſoluuntur, vnúmque à duobus ſegregatur, & ſulphura à ſulphuribus continentur. Sunt autem ſulphura animæ occultæ in quatuor elementis, quæ per artem extractæ ſe inuicem continent naturaliter, & coniunguntur. Quod de ſulphuribus dictum, idem de totidem* Mercurijs *intelligendum erit.*

Cur Aqua

Cur ſulphur & Mercurius.

Sphyngum itaque Ænigmata, i. e. Chymicorum allegoricas & æquiuocas dictiones & propoſitiones, tanquam alter Oedypus ſoluturus & explicaturus, ad Antrum Philoſophicum ſiuè Officinam ærariam & chymicam cautiſſimè procedemus , arcanúmque ſummum & vtiliſſimum ibi latens eruemus : nam roſæ intra ſpinas abditæ capillos flauos habent interiùs, & veſtem viridem exteriùs: nemo has niſi ſapiens carpet, & à ſpinis ſeparabit, ſi ſecus, aculeum ſentiet in digitis : ſic nullus niſi cautiſſimus Philoſophorum flores decerpet, niſi apiculas & aciculas in aluearijs , & fel in melle experiri velit. Plurimi Roſarium manibus prædatorijs clam ingreſſi ſunt, ſed nil præter do-

Allegoria & Ænigmata Chymicorum ſolis Philoſophis cognita.

lorem inde retulerunt, hoc est, oleum & operam perdiderunt: dum enim quis putat se fecisse, mundum habere, nihil in manibus suis inueniet: & absque sapientia Palladis, Solius Vulcani operâ freti, gignunt fœtus, videlicet monstrosos, Apodas & abortiuos, qui nec se sustentare, nec alijs prodesse possunt.

Ænigma Chymicum *In hoc autem antro, sunt* Venti, Percutiens, Repercussus, & Hominum Pernicies. Vbi res è mineris accipiuntur suis, & à Vulcano Ignis Patrono, & Neptuno Aquæ Dominatore, exaltantur ad altiora loca, & mittuntur à cacumine montium suorum, & reducuntur ad radices suas. *Hæc omnia, sunt & fiunt in officina chymica: nam per ventos, folles; per percutientem, malleum; per repercussum, incudem; per hominum pernitiem ferrum intelligimus. Per montes significantur cucurbitæ, & per cacumina montium, alembici: mittere autem secundùm similitudinem, est recipere aquam illarum per alembicum in recipiente: reducere verò super radices, est super hoc, à quo prodeunt: & nominantur cucurbitæ montes, quia in mõtibus inuenitur Sol & Luna: sic etiam in his montibus, qui sunt cucurbitæ, generantur Sol & Luna eorum. Exaltantur autem ad altiora loca à Vulcano & Neptuno, scilicet ab Igne siuè Calore, & Aqua Balnei Mariæ, per Co-ctionem. Philosophus siuè artifex, diligentißimè & pro-*

uidè

uidè omnibus ſuis operationibus procedit: materiam enim ſuam purgat, præparat, & diſponit ſuis vaſis, calorémque aptum miniſtrat, quo de die in diem inter ſe commixta ſubiecta, agunt & patiuntur ab inuicem, eò vſque, donec poſt longum tempus, varios colores tranſeuntes ad vnum colorem & eſſentiam deuenerint. In quo opere ſolutio, coagulatio, ſublimatio, aſcenſio, deſcenſio, diſtillatio, calcinatio & fixio, tanquam intermediæ abſoluuntur: durum enim & compactum alterari nequit, ideo Solutio præmittitur, vt liqueſiat & molleſcat. Vbi autem ſolutum quid eſt, vt quoque coaguletur, conuenit, non ad duritiem priſtinam, ſed melleam tractabilitatem; ſublimatio verò ſegregat purum ab impuro, & vile reddit dignius, inferius ſuperius: vnde nec hæc abeſſe debet, ſed eſt quaſi domina omnium & magiſtra. Dum ſit ſublimatio, aliquæ partes altiùs aſcendunt, quæ eſt aſcenſio, & aliæ iterùm deſcendunt, & ſic deſcenſio ſit. Diſtillatio abhinc clarificat totum ſæpiùs interpoſita, & quæ in fundo remanet, calcinatur: vtrumque verò figitur, & ſic opus perficitur. Luna eſt, quæ ad ſolis ſublimitatem exaltanda venit, propter quam hæc omnia fiunt: matrimonium enim inter Solem & Lunam durabile intenditur, & Sol abſque Luna non magnæ eſt æſtimationis, & Luna abſque Sole abiectæ conditionis & vilis originis: at hæc à Sole coniuge, ſplendorem, dignitatem & robur, ſeu animi corporíſque firmita-

Operationes chymicæ in ſolutione Auri potabilis.

Solutio.

Coagulatio

Sublimatio.

Aſcenſio.

Deſcenſio.

Diſtillatio, Calcinatio, & Fixio.

Coniunctio Solis & Lunæ quã ſit neceſſaria.

tem accipit, Sol verò à Luna prolis multiplicationem, generis propagationem. Hinc Rosarius: *si in Arcano nostro esset tantum alterum ipsorum, nunquam facilè flueret medicina, neque tincturam daret, & si daret, non tingeret, nisi in quantum esset, & reliquum & Mercurius in fumo euolaret, quia non esset in eo receptaculum tincturæ.* Et Geber *probat in libro examinum, quod si Sol & Luna insimul incorporentur cum arte, non separantur de facili.*

Conceptio & Desponsatio Solis & Lunæ fit in putredine.

Conceptio & desponsatio fit in putredine in fundo vasis, & generatio genitorum fit in aëre, scilicet in capite vasis, id est, alembici: éstque conceptio in balneis nihil aliud, nisi putrefactio in fimo: corpus enim nihil facit, nisi putrefiat, & non potest putrefieri, nisi cum mercurio. Putrefactio itaque fiat igne lentißimo fimi calidi & humidi, & nequaquam alio, ita vt nihil ascendat: quia si aliquid ascenderet, fieret separatio partium, quæ fieri non debet, donec masculus & fœmina sint perfectè coniuncti,

Nigredo signum solutionis.

& vnum recipit aliud, cuius signum est in superficie nigredo perfectæ solutionis: ortus eius est albus, qui fit in cacumine montium, hoc est, in aëre seu alembico. Sic Rosarius habet, & ex Arnoldo refert, fac vt principio habeas colorem nigrum, & tunc certus eris quod putrefacis, & viâ rectâ procedis. Nigredo hæc Saturnus est, quem per Coruum nigrum alas succisas habentem chymici indicant,

aut per atramentum, & auem volantem noctu sine alis, quam primus ros cælestis, in nigredinē capitis coruini transmutauit; hæc caudam Pauonis assumit, deinde pennas Cygni acquirit, postremò rubedinem totius mundi accipit, quæ igneæ naturæ siuè Phœnicis signum. Est autem in hac transmutatione maximus nigredinis illius coruinæ siue atramenti fœtor, cadauerosus, abominabilis, & sulphureus, odorem sepulchrorum de se mittens: fundamentum tamen est aqua hæc fœtida, & mater omnium elementorum, ex qua, & per quam, & cum qua præparant Philosophi ipsum Elixir in principio & fine. Hæc est illa aqua nubium, quia distillata est velut Ros Maij tenuißimarum partium, quam Pegasus ex Parnasso vngulâ suâ percusso elicuit, quam Nonacris Arcadiæ mons ex jugis emittit è saxo prorumpentem, quæ in sola vngula caballina seruari potest, ob vim eius fortißimam: hæc est aqua draconis, quæ debet fieri per alembicum sine omni alia re addita, in qua facienda est maximus fœtor. Nigredinis fœtor vnde proueniat.

Post aquam fœtidam Leo viridis occurrit: totum ènim quod est perfectum in ære, est illa sola viriditas, quæ in ipso est, quia illa viriditas per spiritum vegetabilem siuè spiritum vini qui etiam Mercurius vegetabilis à quibusdam vocatur, vertitur in verißimam tincturam nostram & aurum potabile, propter amicabilitatem quam inter se habent mineralis & vegetabilis mercurius. O benedicta viriditas, quæ cunctas res Leo viridis.

gene-

generas, cùm nullum vegetabile neque vllus fructus germinando appareat, quin sit ibi viridis color. Similiter itaque nostræ compositionis generatio viridis est, propter quam viriditatem Philosophi ipsam germen appellauerunt. Ex hac autem viriditate tandem emergit rubedo siue Leo ruber pulcherrimus, robustissimus, cuius jubæ pectus, caput corona aurea gemmis pretiosissimis distincta ornant; nec immeritò; plurima enim in microcosmo accidentia expellit, semimortua reuiuificat & refocillat. Ignis quoque, qui omnes alias res destruit, Leonem hunc construit, qui reliquis mortem, huic vitam præbet. Vnicus etiam est Phœnix, qui reparatur igne, qui innouatur flammis, & ex cinere emergit rediuiuus. Summa igitur huius compositionis & Conclusio est; Manè Quadrupes, Meridie Bipes, Vesperi tripes. *Qui hoc ad hominis ætatem interpretantur, falluntur: nam Quadrangulus seu quatuor Elementa omnium primò consideranda sunt, hinc ad Hemisphærium (duas habens lineas, rectam & curuam) hoc est, Lunam peruenitur albam, abhinc ad Triangulum, qui constat corpore, spiritu, & anima, siue Sole, Luna, & Mercurio. Hinc Rhasis in Epist. Tinctura Auri, inquit, est triangula in esse, quadrangula in qualitate: philosophi enim, quadrangulum in triangulum ducendum esse volunt, hoc est, in corpus, spiritum & animam, quæ tria in trinis coloribus ante rubedinem præuijs apparent, vtpote corpus*

Leo ruber.

Conclusio Ænigmatica.

Quid Philosophis significet Quadrangulus, Triangulus, & Circulus.

corpus seu terra, in Saturni nigredine: spiritus, in Lunari albedine, tanquam Aqua: anima siuè Aër, in Solari citrinitate; tum triangulus perfectus erit. Sed hic vicißim in circulum mutari debet, hoc est in rubedinem inuariabilem. Quâ operatione, fœmina in masculum conuersa, & vnum quid cum ipso facta est, & senarius, primus ex perfectis numerus absolutus, per vnum duo, cùm ad monadem iterùm redierit, in quo quies & pax æterna.


In Quinto igitur hoc Emblemate, Virgo coronata, Sapientiam significat. Arbor cum fructibus, qui signa metallorum & mineralium in se habēt, sanitatem & vitā nostram demonstrant, quæ præseruatur & fouetur ex multiplici compositione & applicatione illorum. Aquila & Phœnix, quatuor Elementa vnguibus suis repræsentant, tanquam prima creaturarum omnium principia. Aquila, aqueum & terrestre, propter sal volatile, & album terrestre. Phœnix aëreum & ignéum, propter igneam & sulphuream suam naturam, volatilem quoque & fixam. Sphæra cœlestis cum circulis suis, primò Firmamētum, secundò Planetarum effigies, tertiò Zodiaci signa, quartò Annos, quintò Sal, sextò Sulphur, septimò Mercurium, octauò Ignes, nonò Triangulum sua principia in se habentem, denotat. In supremitáte, ostenditur sacrosancta Trinitas & Deitas, cum Angelorum choro. Inferiùs, Antrum apparet, in quo Vulcanus & Neptunus cum suis furnis de- *Expositio compendiosa Quinti Emblematis.*

 stilla-

stillatorijs igni & aquæ accomodatis, se ad destillandum & laborandum accingunt, pro materia sua Aurum, Argentum & Mercurium capientes, ex quibus solutis & coctis, variæ resultant mutationes, & plurimi colores cõspiciuntur, qui per Coruum nigrum, per Cygnum, Pauonem, Leænam viridem Lauro coronatam & vitibus ornatam, Leonem rubrum coronâ aureâ coronatum indicantur. Pelicanus Veneris, & Basiliscus Martis est symbolum; concurrunt influentijs suis in hac compositione omnes Planetæ: cùm verò vnus benignior sit altero, & quidem Venus siuè Pelicanus, amoribus suis, Solis & Lunæ cõiunctionibus: Mars verò siuè Basiliscus, venenato aspectu suo, & occulto veneno, saluberrimum Elixir hoc, magis destruere, quàm exaltare in viribus posset: ideò Pelicanum siuè Venerem admittere, Martem verò siuè Basiliscum, tanquam nociuum, & jurgia in quouis matrimonio & coniugio facilè excitantem, & totam rem turbãtem, excludere, & ab Apolline & Diana fustibus trucidari, operæpretium fuit. Quæ omnia compendiosè, hac icone indicantur.



CAPVT



EMBLEMA 5.
AVRI POTABILIS CHIMICE PRÆPARATI

CAPVT XXVIII.

De Topicis quibusdam Medicamentis & de vsu Nicotianæ potus in Affectu Hypochondriaco.

INTER Topica, siuè externa medicamenta, inprimis non parùm commendantur lapides preciosi, è collo penduli, aut annulis, aut armillis, ita tamen vt cutem nudam attingant, inclusi & gestati. Quales sunt rutilantia & rubra Corallia, Smaragdus orientalis, Saphyrus, Lapis Lazuli: siquidem melancholias, inanes timores, fascinationes, dœmonum insultus, ac varia terriculamenta arcere, fugaréque creduntur. De Lapide Lazuli tamen, hoc animaduertendum; quandoquidem in grauidis etiam abortum præcaueat, vt in partu appropinquante, ne fœtum retineat, auferatur. Possunt etiam applicari cordi & pulsibus, sacculi, vino albo & aquâ rosarum irrorati. Vt *Rec: Flor: rosar. rorismar. ana Dr. ij. Lauend. Dr. j. sem: angelic. cort: citri. caryophyll. Cinamom. macis. ana Dr. ß. Croci scr: j. moschi. ambræ ana gr. vj. cum sindone rubra fiāt sacculi interpastati.* vel *Rec: spec: aromat: rosat. diamoschi an. Dr. ij. Pulu: macis. caryophyll. cort: citri an. Dr. j. flor: bugloss. citri. an.*

Lapides precioſi è collo penduli.

Sacculi pro Corde & pulsibus

Alius.

vnc. ß. f. sacculus vino albo irrorandus, & cordis regioni applicandus. Vel. *Rec: Fol: melissæ hortensis. cardiacæ. rosarum. violarum. nymphe. buglossæ. borraginis. tunicæ an. Dr. j. Cort: citri sicci. Dr. ij. Xyloaloës scr. ß. santalorum omnium ana scr. j. caryophyll: scr. j. macis scr. ß. Nucis myristicæ vnc. ß. sem: ocymi. Citri. ana Dr. j. Troch: de caphura scr. j. f. Puluis & cum syndone rubra sacculus interpastatus cordialis.* Vel applicentur Epithemata ex aqua rosarum. melissæ. lauend. borrag. card: benedict. cinamomi. carsunc: Inungi etiam potest cordis regio, oleo citri, melissæ, caryophyll: macis, cinamomi, vel solis, vel cum vnguento rosaceo mistis. Vt. *Rec: Vng: rosar. vnc. ß. ol: Citri scr: ß. Cinamomi. Caryophyll. ana gutt. vj. moschi. ambræ. ana. gr. iij. M. f. Linimentum.* Vel. *Rec: succi cardiacæ, melissæ, olei nardini, rosarum ana vnc. ß. coque parum, adde Ol: caryophyll. scr. ß. Caphuræ gr. viij. Croci. scr. ß. Ceræ albæ. q. s. fiat linimentum: addi potest parum si placet Moschi.* Vel. *Rec: Ladani puri vnc. ß. styrac: calamitæ. Terebinthinæ. Mastich. ana Dr. ij. Ol: Citri. Caryophyll. Cinamom. ana gutt. vj. Moschi. Ambræ. an. gr. iij. subigantur in mortario pistillo calido, addendo sub finem Ol: Nucis moschat. express. scr. ij. f. Emplastrum quod cordi applicetur.* Sunt & odoramenta valdè vtilia, cùm viâ non longâ ad cor tendant,

Alius.

Epithemata Cordialia.

Linimentum cordiale.

Aliud.

Emplastrũ pro scuto cordiali.

dant, viréſque valdè reficiant. Vt *Rec: Fol: meliſſæ. ocymi, caryophyllatæ ana Dr. ij. Cort: Citri, ſantali citrini. Caryophyll. an. Dr. j. Croci ſcr. ß. Ambræ gr. vj. Moſchi gr. iv. ligentur in nodulo, & irrorentur aquâ cinamomi & roſarum.* Vel Balſama ex enumeratis modò oleis olfacienda naribus offerantur; tempora quoque, vertex capitis, & nucha illinantur. Vt *Rec: Ol: nuciſtæ expr. vnc. ij. Ambræ nigræ Dr. ijß. Ambræ griſeæ Dr. ij. Moſchi Dr. j. ß. Zibeti Dr. ijß. Ol: Cinamomi ſcr. ß. Ol: Maioranæ, Ol: Lauend: ana Dr. ß. Ol: Caryophyll. gutt. vj. Ol: ſuccini ſcr. ß. cum Balſamo Indico, q. ſ. f. Balſamum.* Quod tamen mulieribus ob ſuauitatem minùs commodè adhibetur, præcipuè vterinis affectibus obnoxijs; quibus fœtida aut malè olentia, propter vteri motũ & ſuffocationem, magis conueniunt, aut alia cardiaca. Auicennas enim, lib. de viribus cordis docet, ſeptem modis Medicinam dici cardiacam. Primò, quia reficit ſpiritus, vt vinum, oua, juſcula, & alimenta eupepta, & euchyma; & ſanè vires alimento maximè roborantur, eodem tamen intempeſtiuè exhibito, eaſdem lædi certum eſt. Secundò, quia ſpiritus illuſtrat, vt margaritæ & ſericum. Tertiò, quia ſubſtantiam cordis congregat, ſpirituum reſolutionem prohi-

Nodulus odoriferus

Balſamũ cordiale & capitale.

Quot modis Medicina dicatur cardiaca.

bendo, vt carabe, terra sigillata, bolus armenus; at hęc omnibus non prosunt, quia sunt adstringentia, quæ interdum nocere possunt. Quartò, quia cordi est amica, vt sunt dulcia & odorifera, aqua cœlestis, imperialis, Mariæ. Quintò quia roborat per qualitates manifestas, vt quæ est temperata, borrago, buglossum, aurum. Sextò, quia euacuat, depurando humorem melancholicum, & euacuando quod cordi nocet, vt sunt myrobalani. Septimò, quia proprietate occultâ roborat cor, vt Hyacinthus. Hæc autem varia, omnibus omninò causis conuenire nequeunt. Nunc autem, cum roborantia vulgus postulat, intelligit non jusculà, aut venæ sectionem, purgationemue, sed Theriacam, Mithridatium, aquas stillatitias generosiores, fortiorem cereuisiam, vinum cum aromatibus coctum, aliáque eiusmodi, quæ sæpè non solùm ægris, sed etiam sanis nocere possunt. Iudicio igitur Medici, in cardiacis & corroborantibus exhibendis, opus est, qui si prudens & doctus sit, facilè cuique ægro & morbo conuenientia proponere & applicare sciet.

Multis quoque in affectu hypochondriaco Lien tumet, alijs induratur sine incremẽto insigni,

gni, alijs, ſimul inſigniter & augeſcit & indureſcit: omnibus grauitas adeſt, & circumſcriptus in hypochondrio ſiniſtro tumor, ſpiritûs difficultas, prauus color, ad plumbeum vergens, decubitus in ſiniſtrum latus grauis, venæ ad lienem nigricantes & turgidæ, & pedum ſæpè inflatio. Illis, poſt generalium præſidiorum opem, cõfert regioni lienis hoc vnguentum adhibere, quod vim habet malacticam, ſeu emollientem, reſoluentem, aperientem, roborantem & ſpleniticam, vnde nomen. Non debet igitur omitti, & cùm eius vſus ſępè ſit vtiliſſimus, omnibus hypochondriacis cõmendatur. Eſt autem talis eius deſcriptio. *Rec: Ol: de Capparibus. Ol: de Iaſmino ana ℥nc. ix. Butyri æſtiui & inſulſi ac recentis ℔ ß. ſuccorum bryoniæ & cyclaminis ana ℥nc. vij. Gummi Ammoniaci aceto diſſoluti ℥nc. ij. Pulu: Cumini Dr. ij. Cort: Tamariſci. Fraxini. Ceterach. ſem: agni caſti ana. ℥nc. j. Ceræ nouæ & odoratæ q. ſ. f. Vnguentum: cui adde Ol: de ſpica Dr. ij.* Vt ritè præparetur, olea, & butyrum, igne lento bulliant cum ſuccis, ad eorum diſſipationem: commiſceatur Ammoniacum dilutum, addantur pulueres, tum demum cera, & fiat vnguentum, cui parũ olei de ſpica addatur, quod ſua tenuitate efficit, *Vnguentũ ſpleneticũ.*

VT

vt reliquorum vis meliùs ad partem deferatur, & ſuo halitu, vnguenti odor minus ſit ingratus.

Aliud. Vel. *Rec: ol: de cappar: vnc. iij. ol: ſem: Erucæ exp: Nigellæ exp: Canabis exp: Amygdl: dulc: ana vnc. j. ol: Iuniperi vnc. ß. mixtis affunde ſuc. ſcolopendr: exp: vnc. iiij. & coq. ad ſucci cõſumptionem; poſtea adde Ol: ſtillat. Maſtichis. Cymini. Myrrhæ. an. Dr. j. Ol: Gum. Ammoniaci. Chamomillæ. Abſynthij ana Dr. ß. Extr: Croci Ori. ſcr: ij. denuò miſce, & cum cera albæ ſ. q. f. Vng:* Lien ad ignem illitũ, eum aperit, confortat, & à ſcyrrho præcauet; præterea dolores & inflationes ſedat & diſcutit. Non minoris effectus ſequens Emplaſtrum expertus ſum.

Emplaſtrũ ſpleneticũ. *Rec: Ol: Capparum. Chamæmel. ana vnc. iiij. ſuccorum ſcolopendriæ. Abſynth. Roriſmar. Agrimoniæ. ana vnc. iij. Coque in diplomate ad ſuccorum conſumptionem, poſtea adde Gummi Galbani in aceto diſſol. Ammoniaci. Bdellij an. vnc. j. Empl: de Meliloto. Diachylon. ſimpl: ana Dr. vj. Ol: ſtillat: Iuniperi. ſucc. inſpiſſ: rad: Filicis vtriuſque ana vnc. ß. ſem: Agni caſti. Rutæ hort. Geniſtæ. an. Dr. jß. Reſinæ & Ceræ ana q. ſ. miſce & fiat ſ. a. juſtæ conſiſtentiæ Emplaſtrum.* Huius Emplaſtri portio extendatur ſuper alutam rubeam, & obducatur ſyndone rubra ſ. a. cui inſpergatur Ol: Roriſmarini q. ſ. & regioni ſplenis applicetur,

cuius duritiem & tumorem emollit, resoluit, splenémque aperit atque confortat.

De Tabaci siuè Nicotianæ suffitu, an in melancholia & affectu hypochondriaco conueniat, quum omnibus adeò familiaris sit, vt pauci ab eo abstineant, pauca mihi scribenda erunt. Extra omnem enim controuersiæ aleam est, Nicotianam potui datam, tantùm aduersari ventriculo, ac intestinis, quantùm prodest humido, ac frigido cerebro. Immodicus námque calor, vt exhaurit humidum radicale, sic obscurat nebulosus ipsius fumus, non parùm illustrem, nostræ vitæ spiritum: imò suffocat tam efficaciter calidum innatum, vt instar tabidorum (qui ex sententiâ Galeni à siccitate consumuntur) planè extenuemur, cum tussi perenni, & infatigabili spiritus difficultate. A quo equidem plurimos, qui dies ac noctes, cum hac Helenâ transegerant, vidi pessundatos. Moderata certè, vti nullibi, sic neque hic culpantur, Sed modum in hoc fumo si excesseris, obnubilabitur, desiccabitur, & inflammabitur cerebrum, defatigaberis à tussi, vitiabitur pulmo, emarcescet animus, & tandem cõsumetur corpus vniuersum: vel lentè, si fueris integer ac

Vtrum conducat Nicotianæ siuè Tabaci suffitus in melancholia hypochondriaca.

valens, vel celeriter, si quid vitij alibi sit in visceribus. Putant autem plurimi, esse narcoticum hunc fumum, & propterea hyoscyamum Peruuianum vocant; somnum enim conciliare, & dolores consopire multi docti scribunt: quod tamen vero consentaneum nõ prorsus videtur. Nam quòd somnum conciliet, id præstat vapore, vel excitato in cerebro, vel illuc delato, vel cibi coctionem adiuuando: tunc enim suauiùs dormimus, cùm stomachus cibo non grauatur: dolores autem tollit, quia causas illorum vel adimit, vel alterat, non autem narcosi consopit, quod inde cognosci potest. Primò, Tabacum est calidum, siccum, attenuat, penetrat, humores resoluit: at narcotica, siue calida siue frigida sint, humores incrassant, vnde si à crassis humoribus dolor fiat, maximum damnum inferunt, quia crassiores reddunt humores, sicque curatu difficilior affectus redditur: at Tabaci fumus, frigidis naturis, humoribúsque magis competit, contra naturam narcoticorum. Secundò, cùm nimiæ euacuationes adstringentibus sisti non possunt, narcoticis vtimur, tanquam summo presidio, ad humorum motus sistendos, at herba hęc, corpus sursùm deorsúm-

Tabaci fumus per se nõ est narcoticus.

que purgat, instar hellebori aut antimonij. Nec vomitum compescet, nisi causam adimendo, sicut vomitus vomitum sedat. Tertiò, stupefacientia extrinsecùs apposita, parti sensum adimunt, eámque admodum refrigerant: at nihil tale herba hæc facit, ergò non est per se narcotica, sed tantùm per accidens. Quandoquidē verò hoc fumo omnis generis homines vtātur, tenues, crassi, biliosi, pituitosi, aliíq; , nihílq; incōmodi inde percipiant, ideò valdè nociuum esse non censeo, nisi fortè, vti supra monui, ob immoderatum vsum, vbi omne nimium vertitur in vitium. Licet multa, pernitiosum esse illius vsū ostendere videantur, quia naturæ contraria est herba: nam susquè dequè purgat violenter; purgantia autem omnia naturæ sunt quodammodo inimica; cúmque quis primùm illâ vtitur, vertigines, animi defectiones, sudores frigidos patitur, quæ sunt malignæ qualitatis indicia. Quæ omnia quidem vera sunt, cùm in corpus ingeritur, sed quandò solo suffitu assumitur, nec vltra fauces peruadit, cerebro prodest caliditate suâ, humoréque pituitosos vacuando, nec stomachum turbat, sed potiùs roborat, & coctionem iuuat. Cùm igitur ostendat ex-

Huius vsus non est valdè nociuus si sit moderatus

 perien-

perientia, ſine noxa à quamplurimis aſſumi, reijcienda non eſt: verùm ſequentia obſeruanda. Primò, moderatum illius eſſe debere vſum. Secundò, magis vtantur craſſi, pituitoſi, illíque, quos defluxiones fatigant, ob calefaciendi, & exiccandi vim quâ pollet: licet etiam tenuibus, calidis, & melancholicis, ſi moderatè vtantur, non multum noceat, cùm etiam illi, ſępius, plurimis ad cerebrum aſcendentibus vaporibus infeſtentur: cùm nemo viſus ſit, magnoperè illius vſu exiccatus, narcoticáq; calidis & bilioſis magis, quàm pituitoſis conueniant. Tertiò, quibus Tabes ex rheumate in pulmones delabente contigit, ijs ſuffitus Tabaci non conuenit, ne ad partem affectam humores è capite trahantur. Quartò, inter vſum huius ſuffitus, non aſſiduè potandum: ſic enim per reciproca pocula illius beneficia prohibentur: quamuis enim, humores reſoluere, cerebrum calefacere & ſiccare videatur, cerebrum autem calidum ſiccúmque, pauciora generet excrementa; tamen quatenus tale, potentiùs attrahit, faciliúſque repletur vaporibus, ab inferioribus partibus, ex ingeſtione vini, cereuiſiæ, aut eiuſmodi potûs vaporoſi, ſursùm expirantibus, vnde poſtea aſſiduè repletum,

Obſeruanda in vſu ſuffitûs Tabaci.

pletum,

repletum, exiccationis illius beneficia minùs percipit. Quintò, qui hoc fumo jampridem vſi ſunt, illique aſſueuerunt, curioſè obſeruare debent, ne temerè poſtea illo abſtineant, niſi ſimul valdè temperatam obſeruent viuendi rationem, aliàs ſentient ſibi ex humorum abundantia, caput, corpúſque grauari, quos ſcilicet quotidiana fumi huius aſſumptio, vacuare ſolebat, tum ſomnos breuiores, & implacidos contingere, vaporum defectu, quos hic fumus excitabat, concoctiones pariter in ventriculo, minùs feliciter obiri, plurimáque inde vitia pullulare: vnde ſenibus, aliiſque, quibus naturâ frigidior ventriculus eſt, conſulendum, vt eiuſmodi fumo vtantur, etiamſi prius non fuerint aſſueti; eos enim à podagra, variiſq; affectibus frigidis præſeruare poteſt. In melancholia autem hypochondriaca, moderatus quoque illius ſit vſus, ne caliditas & ſiccitas, quæ ſemper in hoc affectu prædominium habet, augeatur, foueatúrque: vbi conſuetudini quidem parum indulgendum. Inaſſuetis autem hypochōdriacis, non facilè ſuffitus iſte præſcribendus aut admittendus.

CAPVT XXIX.

An & quomodo conueniat in hoc affectu Puluis Bezoarticus animalis, & quales in se habeant qualitates Viperæ.



ELEBRATVR hoc tempore ab omnibus ferè modernis Medicis, Puluis Bezoarticus animalis, tanquam Vniuersalis panacea cõtra quosuis morbos, pręcipuè autem astrales & chronicos, inter quos (vt taceam pestiferos) non infimum locum tenent, morbi à serosa illuuie, à tartaro, & atra bile pronati, quales sunt hydropici, arthritici, nephritici, & melancholici, pręcipuè hypochondriaci, qui vti supra narrauimus, symptomata sæpè malignissima in se habent. Hoc itaque Bezoartico animali, cùm calor innatus, & humidum primigenium, à vehementia morborum & symptomatum jam delinquens, restaurari, viscera corroborari, symptomata aut impediri, aut expelli, & vita ad multos annos protrahi possit, operæprecium esse duxi, si de eo quoque, quandoquidem Magnatibus in quotidianum propemodum vsum cedat, parum fusiùs scripserim. Fit autem Pul-

Puluis Bezoarticus animalis in varijs morbis & melancholia hypochondriaca celebratur.

uis Bezoarticus animalis, ex venenatissimis serpentibus, colubris & viperis dictis, quæ animalia in montibus Eugenijs, decem milliaria italica à Padoa distantibus, Venetæ ditionis, certo & statuto tempore capiuntur, singularíq; modo præparantur. Antiquitatem verò, viperarum vsum non exclusisse, inde liquet, quod vipera baculo nodoso circumuoluta, symbolum Æsculapij & Hippocratis fuerit, quasi vita hominis per illam prolongata, & ab omni malignitate præseruata fuisset: hinc partim in honorem Hygææ Deæ valetudinis, partim in laudem & honorem Hippocratis, tanquam sanitatis restauratoris & restitutoris incolarum Insulæ Coæ, in gratitudinis signum, veteribus moneta aurea & argentea sub viperarum insignibus excusa habebatur. Iam verò vti testatur Angelus Baldus, in suo libello de viperis, 26. cap. ex secreto Dei consilio factum est, vt quemadmodum per serpentis fallaciam & inuidiam, innocens homo ad mortem condemnatus, & æternâ vitâ priuatus fuerit; sic quoque per mortem viperę, & vsum illius, jam hominis vita, triplo longiùs quàm aliâs prolongari, à plurimis quoque morbis præseruari & curari possit.

Ex quibus fiat Puluis Bezoarticus animalis.

Vipera symbolum Æsculapij & Hippocratis.

Nam

Nam senectutis eadem causa est, quæ lampadis oleo ferè absumpto emarcescentis, & obscurè lucentis: vt enim in lampade tria, elychnium, pinguedo, & flamma; sic in homine, elychnium sunt membra vitalia, viscera & artus; pinguedo, humidum radicale; flamma, calor natiuus. Sola differentia est in eo, quòd flamma lampadis luceat, calor natiuus neutiquam, cùm nō sit ignis, sed saltem calor, & quòd pinguedo sit oleosa, humidum radicale viscosum, vtpote seminalis principij. Vt quoque lampas extinguitur ex defectu olei, sic homo ex senio, absque alio morbo, in marasmum & tabem senilem ac denique mortem incidit. Quia verò inter reliquos serpentes, vti Quercetanus in sua Pharmacopœa Zoologica c. IV. recenset, non sunt, nisi hi duo numerati, coluber nempe (vulgò serpens dictus) & vipera, qui exuuias statis deponant temporibus: præsumendum hinc est atque credendum, his duobus animalibus, non tantum ad sui conseruationem, sed in aliorum quoq; vsum, concessum esse naturalem quendam instinctum, quo deligunt, exugunt, & in alimentum attrahunt, non materiali aut crasso modo cibum corporeum, visibilem, & palpabilem

Vipera vnde capiant suas vires.

bilem

bilem (siquidem authore Aristotele, & teste quotidianâ experientiâ, eiusmodi animalia, citra cibum aut potum vitam multo tempore siuè subtùs, siuè supra terram transigunt) sed merè formalem & spiritualem, hunc nempe salem sulphureum, & preciosum naturæ balsamum, quo omnia animantur & vegetantur, idque potissimùm, dum circa æquinoctium vernale, calore siuè igne Athanoris, magnę lampadis cœlestis, potenter operante, & attrahente, sublimatur, & eleuatur: quod naturæ sulphur, per mirabilem hanc sublimationem, totam terræ superficiem irrorat spiritibus balsamicis, eiúsque interiorem sinum irrigat preciosæ & viuificæ aquæ vitæ, & nectaris naturalis saluberrimo & vtilissimo liquore: vnde omnia, penetrando durissimas etiam arborum radices, truncos & cortices, reuirescunt & efflorescunt, & quæ mortis speciem referebant, vitam recipiunt & reuiuiscunt. Eadem sublimatio fit etiam sub ęquinoctio autumnali, sed decrescente paulatim calore, sydereóque igne longiùs regresso, magnum terræ sublimatorium refrigeratur, omnésque spiritus vegetales & balsamici, reuertuntur in suum chaos siue matricem. Ser-

pentes & viperæ, quæ in terræ ſinu & domicilio commorantur, naturali quodam inſtinctu vt diximus, exugunt, & in alimentum alliciunt cibum æthereum, qui tam inſigni, viuificâ & ſpecificâ facultate pollet, aduerſus venenatam & deleteriam illorum naturam: vt ſi eo ſatis reficiantur & inſtaurentur, non ſolùm vim acquirant, & virtutem, ſpolia ſua vtroque tempore ſtato exuendi, ſéque renouandi: ſed ob exuberans illud balſamum, quo abundè vigent, inſtar medicinæ inſuper vniuerſalis ſunt, ad corpus quauis ex parte vitioſum, putidum, & in fruſta mox collapſurum, ita emundandum, vt in purum, floridum, & ſanum euadat; ita quoque fiunt, eiuſdemmet balſami virtute, quâ abundant, alexiterium ſummum, contra omnia lethifera & præſentiſſima venena. Hinc ipſis facultas illa deponendi cutem, tempore videlicet, vt jam diximus, vernali & autumnali, quando ſpiritus iſti ſulphurei, ſunt in ſua exaltatiōe: quibus temporibus (ac in ipſo præſertim Vere) videmus etiam arborum cortices balſamicis ſuccis, tum maximè abundantes, truncis ſuis, & ligno ſolidiori nō adhæreſcere, ſed facilimo momento, ab ipſis auelli & ſeparari: non ſecus ac

Viperarũ vires.

ſer-

serpentes, qui circa idem tempus, & ab ijsdem causis, veterem dimittunt cutem.

Solis autem viperis & colubris inter ceteros serpentes & animantia, in interioribus terrę domicilijs habitantia, à natura hæc proprietas indita est; vt cum delectu, in alimentum sibi attrahant hoc radicale naturę balsamum, eodémque perfundantur. Vti inter fucos, vespas, & huius generis infinitas alias muscas, quæ licet dulcissimum omnis generis flosculorum, herbarum, ac fructuum succum, in alimentum exugant, inter illas tamen omnes, vnica tantùm apis, naturalem illam scientiam obtinuit, cœlestem eiusmodi mannam, in ceram & mel conuertendi. Res certè summæ admirationis & mysterij plena! Quod autem in viperis & serpentibus, per imbibitionem balsami illius radicalis & vegetabilis, non eâdem operâ tollatur venenum proprium: pro hoc pariter contemplandæ sunt apes, quæ nihilominus aculeum suum retinent pungentem ac venenatum: licet totum illarum corpus abundè diffluat, cœlesti, dulci, & balsamico liquore, qui proprij veneni aptissimum est remedium. Idem de serpentibus esto judicium.

Solis Viperis facultas inest prolongandi Vitam.

Cur viperis per vegetabile balsamum non tollatur proprium venenum.

Venenum viperarũ illarum veneno pellitur.

Venenum quoq; viperarum, earundem veneno pelli & curari, docet P. Athanasius Kircher in lib: suo miraculoso de Magnete. 3. part. 7. cap. 4. paragr: 1. Quòd nempe Erfurti pharmacopæum nouisset, à vipera ictum, cui diuersa quidem remedia, sed sine effectu, adhibita fuerunt: eundem itaque tam diu in extremo vitæ periculo perseuerasse, donec vipera, à qua ictus, enecata, cocta, & ab ipso comesta fuisset: vnde postea pristinam recepisset valetudinem.

Qualitates viperarum.

De qualitatibus autem viperarum, Medici non consentiunt. Arabes, calidam & siccam illis attribuêre naturam, quia carnium viperarum comestores, & qui à viperis icti sunt, indelebilem sitim acquirunt. Auicenna lib. 4. tr. 3. c. 2. Rhas. 20. continent. 2. Aeginet. lib. 7. Tit. de vipera; Aetius. Tetrab. 1. serm. 2. c. 170. & alij. Econtrà Galenus lib. 2. de loc. affect. c. vlt: viperas vult qualitatis esse frigidæ, vbi sic scribit. Animalia quæ frigidiora sunt naturâ, per hyemem ob frigoris vim, ac si mortua essent, latitare solent, atque tunc viperas quoque videres, si manibus tractantur, haud quaquam mordere. Quam sententiam ex junioribus etiam defendit Hieronymus Mercurialis, Medicus Patauinus insi-

gnis

gnis lib. 2. de venen. c. 3 & quidem his de causis, quia in æstate frigidissimæ sunt, virúsque illarum sanguinem grumescere facit, calorem naturalem extinguit, sudorem frigidum expellit, & mortiferum Carum causat, haud secus quam alia narcotica & soporifera in 4to gradu frigida venena. Conradi tamen Mutschleri viri doctissimi judicio, qui nuper pulcherrimum de Bezoartico animali, adeóque de vsu viperarum edidit libellum, cap. x. non abs re statuerit quispiam, si viperarum, vti in alijs animantibus & homine ipso sunt, partes similares siuè homogeneas, & dissimilares siuè heterogeneas, qualitatibus & naturâ inæquales dixerit. v. g. inter membrorum hominis partes, temperata est caro, calidæ tamen qualitatis cor, jecur, renes, venæ, &c. frigidæ verò, cerebrum, & medulla spinæ dorsi, ossa, & cartilagines. Et hæc differentia non solùm in viuis animalibus apparet, sed etiam in plantis, arbustis siuè fruticibus, & arboribus: in pomis Citri, vti notum est Medicis, externus cortex & semen calidæ, succus frigidę, caro verò temperatę naturæ & qualitatis est. Simili modo in viperis esse potest, dum venenum illarum (quod per duos ductus

Conradi Mutschleri opinio de qualitatibus viperarum.

à bilis veſicula dentibus inſeritur, & ictibus communicatur) calidiſſimæ, caro & aliæ ad hanc partes aptæ, temperatæ, exuuiæ verò vel tota vipera, ſecundùm externam ſpeciem, frigidiſſimæ naturæ ſit. Quandoquidem æſtatis calidiſſimæ tempore, vti commemoratur, vinum in vitreis vel ſtanneis vaſis, in cauernis aut paludibus ſerpentum, magis quàm per niues aut glacies refrigeſcat.

Opinio Raymundi Lullij de viperis.

Cui ſententiæ patrocinatur maximus Philoſophus Raymundus Lullius lib. de conſeruat: vitæ. cap. 2. cuius hæc ſunt verba. Vipera rectè præparata, eſt medicina Regis, quæ miraculum facit, quæ à 4. Elementis non corrumpitur, & eſt humanæ complexioni conueniens, nec calefacit, nec infrigidat, nec deſiccat, nec humectat, imò eſt temperata, temperamento excedens omnem rem huius mundi in temperantia & perennitate, quia temperata eſt in 4. gradu, & 4. habet gradus cuiuslibet quantitatis, nec eſt aliqua res, quæ huic rei aſſimiletur, nec loco eius ſtare poſſit: habet enim poteſtatem ſubueniendi defectibus ſtomachi, & timoroſos facit audaces, cardiacos confortat, curat melancholiam, alopeciam & tineam, & calorem na-

turalem temperat, & virtus eius, in sua manifestatur substantia, quia in ea est claritas, ideò clarificat, in ea est puritas, ideò purificat, in ea est magna temperantia, ideò multùm temperat viventem, cuius temperamentum transit omne temperamentum medicinale; omni quantocunque mortifero veneno mundi resistit; in eo est perennitas, ideò conseruat corpus humanum; in eo est assimilatio humanæ complexionis, ideò facit ad corpus humanum omne bonum; nam caro earum præparata, confortat virtutes ex proprietate: sed virtutes aliarum rerum & herbarum, variantur secundùm diuersitatem locorum. Hæc Lullius. Sunt autem hæ vires, in viperis, apertis qualitatibus non attribuendæ, sed occultis & incognitis, totíque substantiæ illarum, ad modum Lapidis Magnetis ferrum attrahentis, & lapidis Theamedis ferrũ repellentis. Ex singulari quoque (vti ex Baldo supra narratũ) prouidentia & benignitate Dei erga genus humanum, natura & vis indita est viperis, vt sanitatem præseruent, & contra quæuis venena sint antidota.

Vipera occultis qualitatibus prædita.

Quandoquidem verò, propter seductionem, inter serpentes & homines perpetua antipathia

Præparatio Viperarum ad v-

&

sum medicinalem. & nausea vigeat, præstabit modos indicare, quibus sine omni nausea & periculo, securè & suauiter vti, & vires earum corporibus nostris applicare possimus. Iohannes Baptista de Porta & Solinander cons: medic: sect. 1, consil. 25. pag. 100. sequenti vtitur præparationis modo. Hic duas aut tres capit viperas (vel in defectu viperarũ, cõmunes serpentes) viuas dissecat, postea coquit in aqua fontana cum s. q. hordei ad fissuram vsque: cum hoc hordeo & viperis coctis, postmodum cibat pullos gallinaceos, nihil aliud in illorum cibum admittendo. Cibati sic per aliquot dies, pennarum, siuè plumarum defluuium patiuntur, quæ tamen paulò post de nouo recrescunt: mactatorum deinde carnes coctæ & iuscula, exhibentur illis ad certũ tempus, qui simili indigent curâ, non sine maximo ægrorum commodo, & miraculosa præsertim leprosorum & melancholicorum salute. Post Solenãdrum, quidam celebris Medicus magnæ Ducissæ senioris Florentiæ, nomine Carolus Panicelli, in tractatulo suo, quem italicè de mirabilibus viribus carnis viperinæ scripsit cap. x. sequentem modum docet, gallinas, gallos & capones, cum carne viperina, ad prædictas intentio-

Solinandri præparatio.

Caroli Panicelli modus præparationis.

tentio-

tentiones saginandi. Hic viperas capit tempore illo quo omnium maximè vigent, quo plenæ sunt salis sulphurei & liquoris balsamici, plures vel pauciores, pro vt multas vel paucas gallinas saginare placet, abscissis capitibus & caudis, pellem detrahit, interaneáque abijcit, carnes minutim dissecat, cúmque quatuor partibus farinæ panis similacei vel triticei, subigit in bolos, quibus gallinas, gallos, & capones tamdiu saginat & cibat, donec viperarum vires balsamicas imbiberint, quod secundùm Forestum lib. 4. chyrurg: obseru. 7. inde colligere licet, quando saginatis, plumæ antiquæ cadunt, & nouæ renascuntut. Quòd si verò, recentes & viuæ haberi non possent, loco illarum exiccatus & præparatus viperarum puluis, viginti partibus farinæ admisceri, & in bolos siue pastas formari, inque vsum saginationis accomodari potest. Hæ gallinarum & caponum carnes, vti quoque oua ab illis exclusa, vim & virtutem habent, humidum radicale, naturaléque balsamum, in quo vita consistit, restaurandi, corroborandi, & renouandi, haud aliter, ac si lampas ob defectum olei obscurè ardens & parum lucens, per additionem olei recentis, lumen maius & flammam

lucidiorem, recipiat. Ne autem hanc operationem, & effectum bonum, remorentur maligni & vitiosi humores, fortè in corpore delitescentes, ante omnia necesse erit, ad aliquot dies præmittere purgationes, per assumptionem clareti aut vini alicuius laxatiui; curam hanc viperinam, post pascha, verno tempore, instituere, eámque per vnum, duos, aut tres menses, secundùm ægri constitutionem & necessitatem continuare: nempe singulis diebus, mane, vel in principio prandij, capiendum vnum par recentium ouorum, ex gallinis, carnibus viperarum saginatis, quibus superbibendum vitrum vnum clari vini, cui infusa sit integra vel media drachma ambræ, tamdiu, quamdiu ambra gratum suum odorem seruauerit. Ad prandiũ, assumat optimum similis gallinæ jusculum, cũ medietate vel quarta parte gallinæ; similem pullum, vel particulam ex tali capone asso. Pari modo ad cœnam, auiculas montanas vel syluaticas; vitulinas, hædinas, & ouiles carnes, alios quoque facilis digestionis cibos, benè nutrientes, sanguinémq; laudabilem generantes, cum moderamine tamen, nunquam excludes. Potus sit vinum album, clarum, cui, vti supra mo-

nui-

muimus, in figulino, aut ex maiolica facto nitido vase, infusum sit frustulum ambræ. Cœnam & Prandium, claudat Tragea ex speciebus Trypheræ Saracenicæ facta. Nocturnus somnus longior parum sit, sepositis grauioribus curis: nam cura facit canos, licet non habeant annos: curæ enim, melancholia & tristitia, vitales spiritus in ordinarijs suis motibus impediunt, circa cor congregant, sanguinem immutant & inquinant, sensus omnes & sensoria obnubilant, intellectum obfuscant, pedes, omnésque articulos debilitant & aggrauant, somnum impediunt, appetitum ad cibum & potum prosternunt, coctionem impediunt, naturalem calorem paulatim debilitant & refrigerant, innatámque humiditatem exiccant, naturale Balsamum consumendo. Ex quibus omnibus necessariò præmaturum senium exoriri debet; nec durantibus similibus melancholicis ac tristibus curis, optima aliâs remedia, quidquam operari, aut optatum effectũ habere possunt, quia medicamenta per naturalem calorem in actum deduci, & ad vires suas exerendas, incitari debent. Vnde, licet ægerrimo, apud quem calor naturalis propemodum extinctus est, fortissima exhi-

hibeatur purgatio, tamen ſine coadiumẽto caloris naturalis nihil operabitur, fruſtráque exhibebitur.

Salis Viperini præparatio.

Sal viperatus, à multis ſequenti modo præparatur. Verno tempore, circa feſtum S. Gregorij, accipiunt recenter captas viperas, ſecundùm placitum, pauciores aut plures, funiculo circa collum cõſtricto claui appendunt, cutim cultro à collo circumcidendo ſeparant, poſtea eandem detrahunt, ventrem aperiunt, inteſtina ſiuè interiora extrahendo; carnes primò aquâ pluuiali recenti, tum vino, aut aquâ deſtillatâ, vel ſucco cuique morbo appropriato optimè lauant, his peractis, in furno piſtorio vna cum jecore corde & lingua exiccant, & in puluerem purũ redigunt. Huius pulueris capiunt drachmam vnam, ſalis cõmunis ſequenti modo præparati & calcinati portionem: nempe vnciam vnam ſalis, in pixide ex ligno Tiliæ elaborata, impone ollę benè tectę & cuſtoditę, relinq; in furno piſtorio calido tam diu, donec pixis in cinerem combuſta ſit: ſal iſte, permiſcetur cũ drachma ſuperioris pulueris viperarum, locóque alterius ſalis, ad menſam vtimur. Vel ſecundùm affectus conſtitutionem, per viginti quinque,

vſque in triginta dies, exhibetur mane & veſperi huius viperini pulueris, aut ſalis, ſcrupulus vnus, in appropriatis aquis, ſuccis, aut ſyrupis. Proponit Quercetanus in libro ſupra citato, diuerſas correctiones & reformationes viperatarum compoſitionum: vt confectionem viperinam aromaticam, ſaccharinam, & Iuniperinam: habet quoque de hoc propoſito, rationes, experientias & authoritates. Proponit modos conficiendi ſales theriacales ſecundùm antiquos & neotericos: docet compoſitionem trochiſcorum de viperis: ex Aëtio quoque, recenſet eorum virtutes. Præparationem deniq; Eſſentiæ viperarum, Magiſterij Bezoartici animalis, Tincturę è magiſterio, Pulueris Vulnerarij alexipharmaci, &c. recenſet. Vbi quiſque qui vult, legere poterit.

Quercetani compoſitiones & confectiones ex viperis.

Ex quorum omnium itaq; conſideratione, facilè concludendum, viperarum vſum, in affectu hypochondriaco, ſaltem prophylacticè, optimè conuenire: ſapientiæ enim ſymbolum cum nobis referant, vt ſimus prudentes ſicut ſerpentes, longæuam quoque indicent vitam, per id, quòd calorem & humidum primigeniũ, occulta virtute, quam ſingulariter præ alijs ani-

An in affectu hypochondriaco vſus viperarum, & quomodo admittendus.

malibus beneficio balſami & ſpiritus vegetabilis, ex terræ viſceribus attracti, in ſe cōtinent, reſtaurare valeant: inſuper quòd temperatis ſuis qualitatibus, corpus noſtrum minimè offendant: cruditates & excrementa cōſumant, euaporationes malignas & melancholicas ad partes principes, impediant, corporique optimum nutrimentum concilient, ſpiritus depurent & clariores reddant, temperiem bonam inducant, exhilarent, totúmq; hominem reſtituant & vigoroſum faciant. Quis ſanæ mentis, tot firmiſſimis rationibus nixus, præclariſſimis tàm veterum quàm recentiorum authoritatibus confirmatus, & denique experientijs quotidianis & viuis ſecurus & certus, nō recommendabit hanc panacæam, & plenis vlnis excipiet. Verùm cùm ſumptuoſum, ſolis ditioribus & magnatibus reſeruatum ſit remedium, & ob id minus commune, ideò tamen hic prætererire nolui.



CAPVT

CAPVT XXX.

De Curatione Melancholiæ Hypochondrio-Hystericæ in fœminis cum mensium obstructione, & in Vtroque sexu ex seminis redundantia & retentione cum stimulis amorosis & venereis.

CONSTITVIMVS in Capite sexto, Melancholiæ huius Hypochondrio-histericæ tres gradus, nempe incipientem, progressam, & confirmatam siuè idiopathicam: quibus singulis, si præsidium accomodarit Medicus, ex arte faciet. Primus igitur gradus est, cùm morbus incipit, nec signa eius manifesta prorsùs apparent. Cui sapienter occurretur, si virgo matura viro nubat: nam si conceperit inquit Hipp: lib. de virg. pristinam valetudinem statim recuperabit. Quod si virginis conditio id fieri vetet, primùm vtraque basilica, deinde si menses retineantur, vel fluant parciùs, præmisso balneo, saphena pertundetur; interea frequenti enemate hysterico aluus colluetur; prima regio blãdis catharticis expurgabitur, menses apozematis aperientibus, & fomentis hystericis mouebuntur. Victus ratio parcior & refrigerans insti-

Curatio primi gradus melanlancholiæ hypochondrio-histericæ.

instituatur; corporis superflua, frequenti exercitio absumantur; rebus denique jucundis & diuersis, animus distrahatur. Alter gradus est, cùm sanguis crassior factus & melancholicus, mores consuetos jam immutauit, metúsque, mœroris, atque delirij signa, sese proferunt manifesta: quo tempore, Medicus accersitus, morbum oppugnabit, quatuor remediorũ generibus. Primò euacuantibus, nimirum frequentibus enematis emollientibus, simúlq; flatus discutientibus; sanguinis missione ex vtroq; cubito & malleolo, tantò largiore & frequentiore, quantò sanguinis exuperantis & feruidi, plura signa apparuerint: purgantibus etiam medicamentis, crebriùs & per epicrasim exhibendis: quibus noñulla semper hysterica admiscebuntur, propter causam affectûs primariam, quæ ab ipso pendet vtero, & propaginibus venarum, ipsum circumdantibus. In hunc vsum possunt exhiberi lenitiua, in forma boli, electuarij, syrupi, in præcedentibus capitibus descripta, aut sequens apozema; quod partim præparans, partim catharticum. Vt *Rec: rad: Cichor. Aspar. fænic. eryng. angel. pæoniæ, bugloss. ana unc. j. Fol: adianti. scolop. beton. agrimon. fumar. artemis.*

Secundi gradus cura.

Apozema præparans & catharticum.

Flor:

Flor: anthos. stœch. bugl. borrag. an. Pj. sem: fœnic. ocymi. citri. cardui. ana Dr. j. Cort: Citri cond. Dr. ij: Ligni aloes. sant: citr. Cinam. ana Dr. j. fiat decoct. In colat. ad ℔ j. dissol. syr: de Byzantijs vnc. ij. syr: de Pomis, & de epithymo. ana vnc. j. fiat Apozema clarum in 4. doses, sumendas 4. diebus continuis manè; duabus horis ante pastum. Rec: Prædictæ decoctionis q. s. pro dosi: in qua infunde per diem & noctem Rhab: opt. Dr. jß. Cort. Elleb: nigri florem purpureum ferentis scr: iiij. rad: Zedoariæ sem: pæoniæ ana scr. j. vini maluatici vnc. ß. In express: dissolu. syr: saporis vnc. j. Elect. lenit. vnc. ß. Confect: Hamech. Dr. ij. f. Potio. Si tamen mediocria non sufficiant, cùm ne mouere quidem humorem tam crassum, fixum ac stabilem possint; ad fortiora, Elleborum nigrum, & Lapidem Lazuli ascendendum. Ideóque Helleborismus Matthioli, & alia medicamenta purgantia, capitibus præcedentibus proposita, vsurpanda. Vel cùm ægra, fortiora purgantia non ferat, humor verò contumax sit, mitiora medicamenta, sed frequentiùs vsurpanda. Commendatur quoque hic puluis. *Rec. Epithymi vnc. ß. Lap: Lazuli præparat: Agar: troch. ana Dr. ij. ß. Diagryd: vel Extr. scammon. gr. xv. Caryophyll: n. xx. Fol: sen. Dr. vj. sacch: albiss. vnc. iij. f. Puluis.* *Puluis purgans.* Vbi semel atq; iterum pur-

 gatum

gatum eſt, antequam denuò ad purgationem accedatur, medio tempore, medicamenta humorem melancholicum alterantia vſurpanda ſunt, vt ſupra. Secundò morbus oppugnabitur flatus diſcutientibus, tum enematis, tum fomentis & hypnoticis. Tertiò vtero proſpiciendum, & danda opera, vt menſes ſi ſubſiſtant prouocentur. Ideò hæc potio parari poteſt. *Rec: vini albi ℔ vj. Aq: matricar. ℔ jß. Herb: Dictam: cret. Puleg. Calaminth. ana P j. ſabin. Rad: Rubiæ. ana vnc. j. Galang. Cinamomi. Macis. ſem: dauci. ana Dr. iij. ſtent in infuſione per diem integrum, poſtea colentur, & addatur Limaturæ chalybis præparat. ℔ ß. atque in loco calido in vaſe vitreo benè clauſo aſſeruentur per dies decem. Doſis ab vnc. iij. ad ℔ ß.* Comendatur etiam valdè hæc aqua in vteri affectionibus, è menſium & ſeminis retentione & melancholia inde nata. *Rec: ſucci borrag. depurati. meliſſæ ana ℔ ij. Croci opt. vnc. ß. infundantur & poſtea deſtillentur in balneo. Doſis cochlear vnum manè cum juſculo.* Quartò, cor & cerebrum roborandum: quæ omnia ex capitibus ſuperioribus repetenda: quibus additur victus ratio humectans, quæ ſimul vim habeat incidendi & attenuandi.

Potio menſes mouens

Aqua vterina.

Tertij gradus cura.

Tertius gradus eſt, cùm res eo deuenit, vt planè

nè fœmina deliret, nec amicis aut familiaribus ampliùs delectetur. Quod genus mali iiſdem prorsùs remedijs oppugnabitur, ſed longè efficacioribus. Imprimis toti corpori & capiti ita proſpiciatur, vt nec ſicca nec frigida intemperies contrahatur; quod fiet, ſi minus ſanguinis detrahatur, & purgatio frequentior validiórque inſtituatur: non ex catapotijs, quæ nimiùm deſiccant; ſed ſyrupis, opiatis, & potionibus ſupra commemoratis: à quibus totum corpus omni arte humectandum erit, tum victûs ratione humectante, tum balneis vniuerſalibus, ſemicupijs, fomentis, & pedum lotionibus: non omiſſis interim aquis naturalibus, præſertim ſpadenſibus, & apozematis menſes cientibus. Quæ ſi non ſuccedant, mirificè proderit hæmorrhoides per hirudines prouocare, quòd per eas, ſanguis melancholicus, natura grauis & terreſtris, magno mulierum commodo, deorsùm reuocetur, ex aph. 11. lib. 6. & ſi malum neq; his ceſſerit, vt à capite & corde materia auertatur, fonticuli in cruribus excitentur.

Non raró quoque in viris, ex ſeminis retentione, fouetur & excitatur melancholia hypochondriaca, præſertim ad illam jam diſpoſitis, *Melancholia hypochōdriaca ex ſemi*

nis reten-tione. vocatúrque affectus ille *Erosis*, qui solitudo quædam est melancholica, mentísq; anxietas, spei, timoris, tristitiæ & lætitiæ plena, vtrique sexui quidem communis, sed viris sæpiùs contingit, quòd sint mulieribus calidiores. Cuius causa non est alia, quàm amor ab aspectu mulieris pulchræ exortus, primùm sentientem & animalem appetitum allicit, à quo vim concupiscibilem sitam in jecore impellit, quæ tandem vitali calore incensa, rationem ipsam ita perturbat, vt sibi eam subijciat, & mancipatam detineat. Vnde tanta illius vis, vt spe fruitionis tantillæ voluptatis, nihil asperum judicet aut formidandum, résque suas negligat atque dissipet. Vnde facies illorum pallescit, & totum corpus emaciatur, neque cibus in ventriculo, neque sanguis in hepate ritè coquitur, oculi quoque excauantur, propter vigiliarum assiduitatem. Pulsus talis, qualis in animi conflictationibus, hoc est inordinatus & inæqualis, si res amata in mentem amantis vel aspectu vel auditu repentè venerit: aliâs languidus & paruus. Curatur autem duobus modis: fruitione rei amatæ, & Medici industriâ. Quod ad priorem attinet, certum est, ægrum nullâ re citiùs leuari posse,

Duplex cura huius Affectus.

quàm

quàm si eo potiatur, quod tantoperè concupiuit. Quod si jus diuinum vel humanum fieri vetet, ad industriam Medici recurrendum, quæ in eo potissimùm versabitur, vt mens ad alias curas & cogitationes abducatur: quod fiet sequentibus modis.

Primò, si ęger amans, virtutis, religiõis, & sanctimonię, per viros doctos, sibíq; familiares admoneatur, propositis eorum exemplis, qui cum opibus vitã vnâ profuderunt, nec solùm honore, sed etiam æternâ fœlicitate sese prorsùs abdicarunt. Secundò, si post neglecta consilia, increpetur acerbiùs, flagellis cædatur, aut trudatur in carcerem, pane famem, & sitim aquâ sedaturus. Tertiò, si coram ęgro, amatæ vitia & turpitudines recitentur, simúlq; pulchrior alia vel dignitate superior & moribus elegantior proponatur: sic enim plerumque accidit, vt nouus amor veterem explodat. Quartò, si detur vacuæ menti, quo teneatur, opus: nullum enim fomitem habet amor desidiâ potiorem: otia enim si tollas, periere Cupidinis arcus. Quarè, multis & grauibus negotijs, amantis animum applicãdum esse, suadet Ficinus in Platonem, in conuiuio; vt tot curis implicitus, sensim ab a-

more distrahatur. Quintò, si jucundis spectaculis, choreis, ludis, colloquijs, sermonibus, venatione, deambulatione per loca amœna pratáque virentia, musicâ, vel armis, cæterísque exercitiorum generibus detineatur. Quam ob causam, Poëtæ fabulantur, Palladem, Dianam, & Vestam nunquam Veneri succubuisse. Pallas bellicum apparatum: Diana venationem: Vesta denique victum frugalem designat. Scitum est autem, sine Cerere & Baccho frigere Venerem. Sextò, si amans mutet regionem, variásque suscipiat peregrinationes: nihil enim æquè amorem dissoluit, quàm locorum frequens mutatio. Siquidem in peregrinatione vitam agentibus, hoc euenit, vt multa habeant hospitia, nullas amicitias ex Seneca 1. epist. Quòd, si affectus amantis, adeò sit pertinax, vt his artibus & consilijs minimè reprimatur, more melancholicorum curabitur: nimirum enematis remollientibus & refrigerantibus: purgatione per melanagoga, ex præcedentibus repetenda: sanguinis missione liberali, nisi corpus morbi longitudine & grauitate jam sit extenuatum: apozematis refrigerantibus, & siccando, semẽ absumentibus, interdictis aromatis, eruca, & cunctis acri-

cribus, quæ Veneri corpora nostra parant: vino interdùm largiore, soluendis curis grauioribus valdè idoneo: quo alioquin prorsus abstinendum, quòd stimulum addat Veneri: seri lactis vsu per æstatem, & eorum præsidiorum, quæ nymphæam & camphoram recipiunt: multa frictione & exercitatione ad sudorem vsque. vt corporis meatus ad fuliginis excretionem aperiantur: licitâ Venere, quæ compescit œstrum libidinis: potionibus & catapotijs somniferis, vt cerebrum tot curis & cogitationibus expeditum humectetur & conquiescat: balneis denique aquæ dulcis frequentibus, quæ per se corpus totum humectant, & reseratis cutis meatibus, impensè refrigerant. Non exiguam meretur laudem sequens aqua composita, quã Aquam Castitatis vocant, vt *Rec: Terræ sigillatæ vnc. iij. sem: Agni casti. vnc. jß. sem: rutæ. nymphææ. lactucæ. papau: albi. ana vnc. j. canabis. acetosæ. portulac. endiuiæ. milij solis. ameos. coriandr: præparat. ana Dr. vj. rad: diptam. albi. Cynogloss. bistortæ. ireos flor. ana vnc. ß. santalor: omnium. magist: Saturni. camphoræ ana Dr. iij. Herb: absynth: pont. Mentæ crisp. Bursæ pastor. Taraxac. verbenæ. fol: salicis ana Dr. ij. Incidantur; contundantur & infundantur in vini rub. stiptici* *Aqua Castitatis.*

lib.

lib. x. permittantur in digestione per octiduum, postea B. M. destillentur. Hæc Aqua ideò casta vocatur, quia omnium illorum qui in cœlibatu viuere constituerunt, ignitum & prolificum semen ita compescit, vt inde libidinosi omnes eâ vtentes, in castitatis & modestiæ amantes, sine sanitatis periculo facillimè euadant: suâ enim frigiditate, & occultâ quadam proprietate, rem veneream dissoluit. Præterea, præmissis vniuersalibus, vnamquamque Gonorrhæam, seminísque profluuium, absque vllâ molestiâ curat. Dosis manè & vesperi, vel tempore necessitatis, ab vnc. j. ad vnc. ij. & vnc. iij.

CAPVT XXXI.

De Hypochondriacorum & Hystericarum Ecstasi siue Melancholia attonita.

Hypochondriacorũ Ecstasis.

NOn rarò quoq;, Hypochondriacis & Hystericis accidit melãcholia attonita, à Medicis Ecstasis vocata morbosa, quæ apud Hippocratem duobus modis sumitur. Interdùm quidem generaliter, pro qualibet vehementi & repentina mentis emotione, qualis est perturbatio, quæ crisim antecedit, pugnámque natu-

ræ oſtendit, vnde ſanitas, vel mutatio in melius conſequitur aph. 5. lib. 7. & 2. prorrhet. ex quibus locis patet, Ecſtaſim nonnunquam eſſe ſalutarem. Sæpiùs verò affectum ipſum ſignificat, cuius triplex eſt diſtinctio; vna ſtuporis; altera ſilentij; tertia furoris. Prima, in ſtuporis exceſſu conſiſtit, quo affecti, manent immoti, adeóque ſtupent, vt transfixi non ſentiant, vt Hipp: in aph. 14. lib. 7. intelligendus; propter plagam in capite acceptam; vel Gal. in com: cùm quis ex morbo, nec loquitur, nec quicquam agit, ſed apertis oculis quietus manet, veluti præ timore attonitus; quæ accidit affecto cerebro, ſenſus motúſque principio, perculſis ſpiritibus, & in cordis ſinus receptis: ſed cauſam huius præcipuam, eſſe refrigerationem, teſtatur Aretæus cap. 6. lib. 1. Chronion, cùm ait, ſenſus & rationis marcorem, ex refrigeratione provenire; cui idcircò, ſi febris ſuperueniat, ſalutiferum. Hæc autem inducitur, vel à cauſis externis, maximè verò ſolano, manico, hyoſcyamo, ephemero & ſimilibus, quæ vim habent ecſtaticam, vel ab internis, vt craſſis vaporibus, ab vtero & liene ſurſùm elatis, aut atrâ bile jam refrigeratâ cerebrum occupante, vnde ſpiritus a-

nimales incrassantur & sopiuntur, sicq; totum corpus quasi frigore obrigescit. Quod hypochondriacis & hystericis, sæpè vidi contingere. Secunda, Hipp. sigosa nominatur, propter adiunctum silentium, cuius causa non alia est, quàm animi pertinacia superstes melancholiæ: non enim accidit impotentiâ facultatis, vel culpâ instrumentorum vocem efformantium, sed defectu voluntatis, quæ animo pertinaci morē gerit. Hæc facilè in Ecstasim furiosam phreniticam euadit, auctâ humoris feritate: à qua Tertia species Ecstasis, furoris nempe, prodit, vehemens & ferina mentis alienatio, quâ cerebrum peius afficitur, propter atram bilem, cuius morsus sunt acriores quàm melancholiæ. Qualiscunque verò ea sit, minatur exitium, si in febres acutas inciderit, ob causæ magnitudinem, vel translationem humoris vsti à venis ad cerebrum. Nec verò minus portendit periculi, si desinat in tremorem & conuulsionem, propter neruos ab incendio resiccatos, vel totius corporis perfrigerationem adferat, quæ caloris extinctionem indicat, vnde releuari æger non potest.

Non paucos tales ægros quasi stupidos, & loco-

locomotiuâ, sed apparenter solùm, destitutos, in mea praxi habui: certo loco affixi & immobiles quasi hærebant, jacentes, se nō erexerunt, sedentes, non assurrexerunt, stantes, substiterunt, nec spontè pedes promouerunt, nisi vel ab amicis & adstantibus impulsi, & ad locum mutandum manuum operâ sollicitati fuerint. Homines quidem non fugiebant: loquentibus tamen, licet attendere viderentur, nihil respondebant, surdis veluti auribus, quidquid monitum fuisset, prætermiserunt, & quasi cogitabundi, & contemplatione aliarum rerum occupati, obiectis visui, auditui, & tactui oblatis, non attendebant. Interim & dormiuerunt & vigilarunt per interualla: cibum ori admotum comederunt, potum hauserunt, inque his & similibus satis tractabiles, vel non multum reluctantes exstiterunt. Quanquam ècontra etiam refractarios quosdam habuerim, quibus vi potum, & juscula nutrientia, per os infundere opus fuerit, sibi stupidè imaginantes, se entia rationis Logica solummodò esse, ore carere & dentibus, atque adeò cibum aut potum assumere, eundémque masticare & deglutire non posse: in hac pertinacissima phantasia fame po-

Descriptio talium & staticorum

tiùs perire quàm cibum admittere volentes. Multi in simili melancholia, quasi tentationibus vexantur, propter peccata non atrocia, sed leuia planè, quę olim commiserant, se cum Deo in gratiam redire non posse, adeóque æternùm damnatos esse, sibi persuasum habẽt, indignósque se reputant, qui viuant, aut gerant honestius aliquod munus. Itaque desperabundorum instar, longum tempus, quo aliquoties sibi ipsis, vt & alijs, violentas manus inferre tentant, miserè transigunt. Feruore autem illo in actionibus remittente, tristiores præter modum fiunt, sempérque tacentes crebra solùm suspiria ingeminant. Amicis pręsentibus, & varijs consolationibus ægri miseriam lenientibus, interdùm à melancholia & tristitia seriò dehortantibus, lubentes quidem auscultare videntur: ad responsum tamen dandum, licet varijs propositis interrogationibus continuò instigentur, permoueri non possunt. Hanc tamen vocem aliquandò edunt: Ah DEVS! Quâ exceptâ aliquot septimanis non verbum vllum ex illis, licet sæpiùs interrogatis, & vt loquerentur monitis, extorqueri potest. Interim nocturno tempore dormiunt, summo mane euigilantes, cogitabun-

tabundorum inſtar in lecto immobiles jacent: è lecto operâ miniſtri eleuati, & veſtibus induti, ſtant inſtar ſtatuarum, manu capiti & temporibus ſponte admotâ, quod præter modum triſtes facere ſolent, ſuſpirant, impulſi & manu deducti incedunt, ad ſcamnum vel ſellam adducti ſedent: inſtigati menſæ aſſident, cibum ab adſtantibus in os inſertum edunt, & cantharo ori applicato, quem moniti arripiunt & tenent, bibunt. Hic affectus, cùm tempore veris incipit, æſtate exaſperatur, durat toto autumno, media hyeme poſt ſolſtitium hybernum minuitur, ita vt tandem reſtituti, ſi rectè curentur, munera ſua iterum obire poſſint.

Cauſa verò eſt, quòd melancholici vapores cerebro cōmunicati, ſpiritus animales ita reddant fixos, & quodamodo immobiles, vt præter illa firmiter concepta & impreſſa phantaſmata, nulli fermè ſpeciei phantaſticæ efformandæ, & rationi repræſentandæ apti & idonei ſint. Vnde phantaſia & ratio, ſpeciebus illis firmiter inhærentibus occupata, obiectis alijs attendere, vel illa ſatis cognoſcere non poteſt. Hinc per conſequens nullus rerum obiectarum appetitus, & voluntarius ad illa motus, ſed *Cauſa huius ſtuporis Ecſtatici.*

mera apparens ſtupiditas. Æſtatis verò tempore, humor melancholicus nonnihil caloris pręternaturalis acquirens, & ſic quodammodò aduſtus exiſtens, delirium vehemens excitat, & quaſi maniacum. Abſumptis autem tractu temporis partibus calidioribus, vel fixioribus redditis, ſegniùs animum irritare, tandémque ſpiritus planè torpidos reddere incipit. Cura eſt eadem, quæ aliorum melancholicorum; niſi quod ob cauſam vehementiorem fortiora medicamenta requirantur.

Cura huius melancholiæ Ecſtaticæ.

Quandoquidem verò D. Thomas, animæ abſtractionem ſiue Ecſtaſim 2. 2. qu. 175. art. 1. ex triplici cauſa contingere ſtatuat. Nempe ex virtute diuina, ex virtute dæmonis, & ex cauſa corporali, ſiue humorum vitio. De vltima cùm jam dixerimus, per occaſionem non videbor ab inſtituto meo valdè recedere, ſi tàm breuiter, quàm obiter docuero, quomodo priores duæ contingant. Ecſtaſis igitur ex virtute diuina contingit, cùm quis ad rerum cæleſtium contemplationem per ſpiritum ſanctum euehitur, cum abſtractione mentis à ſenſibilibus. Qualis fuit raptus D. Pauli, Prophetarum, & Sanctorum hominum. Cuius raptus ſubiectū

Tres ſpecies Ecſtaſis ſiue animæ abſtractionis.

Ecſtaſis ex virtute Diuina.

non est aliud, quàm anima humana, ratione intellectûs passibilis: formalis, est ipsa actio, quâ quis eleuatur, & rebus cælestibus quasi vnitur: finalis, est coniunctio animi cum Deo, qui requies tranquilla pijs existit. Agens duplex, instrumentalis, est intellectus agens: principalis, Deus ipse, qui cùm se menti nostræ per raptum insinuat, ea quæ vult nos tum videre, diuinâ quâdam repræsentatione ostendit. Quæ dum percipit noster intellectus, ope intellectus agentis, rerum visarum quoddam simulachrum efficitur, qui raptus verus & metaphysicus est. Ex virtute dæmonis autem ligantis sensus exteriores, Ecstasis bifariam accidit, nempe obstructis tramitibus, per quos spiritus animalis à cerebro ad sensoria ipsa permeat, & retracto eodem spiritu ad sensum communem, ibíque retento, ne ad sensuum externorum instrumenta possit remeare. Quo fit, vt sensuum externorum munia, ita impediantur, vt corpus viuum, cadaueris speciem præ se ferat. Talis est magorum, vt Lappiorum & Finnorum, sagarum quoque (de quibus consule Olaum) Ecstasis. Qui cùm certo in loco maneant soporati, varia tamen se peragrasse falsò arbitrantur: dum se per

Ecstasis ex virtute Dæmonis.

aërem

aërem ferri, lautè epulari, choreas ducere, cum dæmone congredi putant. Verùm, quæcunque huius rei caussa sit, de eo disquirere, Medici proprium non est. Siuè enim reuera transferantur sagæ, & vnguentis, nescio quibus, delibutæ, ceremoniísque nonnullis adhibitis, ad loca conuentúsque nocturnos à dæmone transportentur, quod verissimè fieri interdùm, historiæ testantur: de eo differere, Medici non interest, siuè etiam corpore non transferantur, sed domi suæ sopitæ, grauiore somno oppressæ, se choreis & conuiuijs illis interesse somnient, & vigilantes postea in eodem errore permaneant (quod etiam accidisse ex historijs patet) itidem causam rimari, Medici non est. Neque enim somnia illa naturalia sunt, fieríque non potest, vt tanta sit loco, temperamento, ætate, sexu, & studijs differentium in somnijs consensio, vt vnâ nocte, vnâ horâ, de vno tali conuentu somnient, atque planè de loco, numero & conditione personarum, similibúsq; circumstantijs cōueniant: sed à causa supernaturali, diabolo videlicet, Deo permittente, confœderatis talia somnia suggeruntur. Vnde etiam sagis illis seriò conuersis, & conuentibus illis ampliùs in-

teresse:

tereſſe nolentibus, talia ſomnia ampliùs non contingunt, quod indicio eſt, ea antea à naturali cauſa profecta non fuiſſe.

Sed queritur, vtrum in Ecſtaſi corpus ab anima deſeratur. Quod affirmat Bodinus lib. 2. Dæmonomaniȩ, multis ad huius opinionis cõfirmationem adductis authoritatibus & exemplis. Quibus omnibus vnó verbo reſponderi poteſt, in huiuſmodi raptibus vim magicam intercedere, ſed nunquam à corpore animam recedere, quod citra mortem fieri nequit, quæ nihil aliud eſt, quàm animæ ſeparatio à corpore. Atqui ſi mors interuenit, quis animam iterum in corpus inducit? ſola Dei virtus eſt, quæ per raptum animam ſeparare poteſt, confirmatis in ipſo corpore diſpoſitionibus, huic iterum recipiendȩ idoneis. Quod, an ſibi contigerit, dubitare ſe D. Paulus profitetur Corinth. 12. Falluntur ergò, qui falſam & magicam Ecſtaſim, à verâ, eadémq; diuinâ, minimè nôrunt diſtinguere, & in illa putant animam extra corpus peregrinari. Omnia inquit Tertullianus lib. de Anima, ſunt potiùs confectanda, quàm hæc animæ licentia ſine morte fugitiuæ. Alioquin Ecſtaſis cum aphȩreſia confunderetur, in qua verè corpus exanimum dicitur, cùm in illa ſit

Vtrum in Ecſtaſi corpus ab anima deſeratur.

tantùm priuatum animę functionibus, propter ſpiritus animalis impedimentum.

CAPVT XXXII.

De ſymptomatum correctione in Melancholia Hypochondriaca.

PRÆSIDIA omnia modo narrata, prophylactica & curatiua ſunt, quæ morbo intermittente & infeſtante, à Medicis pręſcribuntur. In ipſo autem paroxiſmo, dum ſæuit morbus, cauſa eiuſdem ad tempus relinquenda eſt, vt ſymptomatis magis vrgentibus ſuccurratur. Primum igitur, ſi venter flatibus diſtendatur, adeo vt æger veluti ſuffocetur à craſſis vaporibus, diaphragma & pulmones prementibus: clyſter inijciatur, ex remollientibus, ſplenicis, & flatus diſcutientibus: fotus ex ijſdem inſtituatur ad lienem, cum ſpongia: aut ſacculi parabuntur, ex chamæmelo, meliloto, anetho, cum ſeminibus aniſi, fœniculi: cucurbitula magna, vmbilico applicabitur: aliquid mithridatij cum vino exhibebitur, vel aqua cinnamomi, aut clareta ex cochleari, vel tantillum eſſentiæ aniſi cum juſculo. Si vires proſternantur,

Præſidia contra flatus.

cardia-

cardiacis omnibus ſumptis & admotis, inſtaurabuntur, præſertim vino generoſo, in quo panis toſtus intingatur: cortice Citri condito, confectione Alkermes, odore grato, vt panis toſti: non omiſſis interim ſuccis carnium expreſſis vel concretis, cæteríſque rebus, quæ vel ſucco tenui & alibili, vel odore jucundo, langueſcentes ſpiritus citò refocillare poſſunt. *Si vires proſternãtur.*

Multa ſunt alia ſymptomata, pro corporum diverſitate: vt vẽtris ſegnities, quę malactico enemate corrigatur: æſtus igneus totius corporis, præſertim abdominis, cui venæ ſectio medebitur, præmiſſo clyſtere ex ſero lactis: crudeliſſimum quoque ſymptoma eſt agrypnia ſiuè vigilia: cui propter periculum, quod inde imminet, modis omnibus incumbendum. Ad ſomnum igitur conciliandum, pręſcribuntur, hordeatum cum ſemine papaueris albi: maſſa panis ex amygdalis infuſis in aqua roſarum, & tritis cum eodem ſemine & ſaccharo: Syrupi de nenuphare & papauere, per ſe, ex cochleari, vel cũ aquis & decocto lactucæ & endiuię: opiata ex cõſeruis radicis lactucæ & florum roſarum, violarum & nymphęę cum puluere diamargar: frig: & ſyrupis prædictis: Bolus ex conſerua *Æſtus corporis.* *Vigiliæ.*

papau: & theriaca recenti: Chymiſtarum laudanum, vel pilulæ de cynogloſſa ad gr: v. Requies Nicolai. Quibus per os ſumendis multa topica ſuccenturiantur, vt ſimplex oxyrhodinum: olea, roſatum, violatum, & nenupharinum, cum ſuccis vel aquis lactucæ, ſolani, papaueris; pro litu frontis & temporum, frontalia, ex vnguento populeo, conſeruis, aut floribus violarum, roſarum, nymphææ, papaueris, cum ſeminibus, lactucæ, portulacæ, papaueris albi, coriandri, & ſantalo rubro: puluis ex iiſdem, additâ maioranâ, capiti inſpergendus: Irrigatio eiuſdem capitis, ex aquis lactucæ, roſarum, oxalidis, nymphææ, cum pulu. roſar: ſantali rubri, & diamarg: frig. Emplaſtrum temporibus admouēdum, ex maſtiche, gummi elemi cum gr. iij. opij. Lotiones tibiarum & pedum, ex decocto lactucę, maioranæ, papaueris, roſarum, flor: chamomillę & nenuph: in aqua & vino: granum opij admotum puncturæ hirudinis, pone aures admotæ. Quibus adduntur ſacculi ex roſis, violis, folijs & floribus nenuph: papau: & hyoſcyami, capiti per noctem ſupponendi: ſerta odorifera ex violis, roſis, & maiorana conſerta: quæ perfunduntur aquâ roſarū,

in

in qua opij aliquid cum camphora infusum fuerit: vel spongiola ijsdem immersa: pila denique odorata, ex cortice rad: mandragoræ, semine hyoscyami & papau: scr: ß. opii cum styrace, ladano, & cera, vel carbone salicis. Quibus tamen omnibus, parcè & prudenter vtendum est, ne calorem innatum jam debilem, suo frigore narcotico magis cōsopiant, vel extinguant. Quod ne accidat, dies aliquot interponantur, quibus ægro cardiacum offeratur, ad vires fulciendas, & cor, ipsum fontem caloris, roborandum. Corporis totius lassitudines, & vibrationes, palmi, & veluti punctiones, pruritus, ephidrosis, macies vniuersalis, tolli possunt per balnea aquæ dulcis tepida: quibus tantum tribuit Gal: lib. 3. locor. aff. vt solo eorum vsu, citra purgationem, multos se curasse profiteatur. Quòd si corpus valdè sit aridum, quædam adijciantur remollientia, vt malua & althæa, cum floribus violarum. Item sacculi, ex amygdalis dulcibus, cum semine citruli & melonum contusis, pro frictione corporis: à Balneo, illinetur oleis violato, & amygdalino cum butyro recenti: sudores quoque, sed non sumptis hidroticis, vel in hypocaustis (quia morbus hic, potiùs in-

Corporis lassitudo, vibratio, palmus, punctio, pruritus, Ephidrosis, Macies.

diget humectantibus quàm desiccantibus) sed exercitio, labore, & balneo, aut in lecto tantùm moderatè excitentur, ad dissipandas morbi reliquias. Sonitus aurium, capitis grauitas, & vertigo, ascensus euaporationum ad superiores partes, rubores & calores vultûs, vnde postea varia prodeunt phantasmata melancholica, metus & mœstitia, inhiberi possunt auertentibus, quæ vel humores à capite deorsùm reuellunt, vel in partes vicinas deriuant. Cuiusmodi sunt primò clysteres paulò acriores: secundò, sectio venæ internæ vtriusque malleoli, præsertim si menses vel hæmorrhoides suppressæ fuerint: tertiò, cucurbitulę, omoplatis, vtriq; hypochōdrio, natibus, & internis femoribus, pro ratione causarum & symptomatū affigēdæ: quartò, hirudines fronti, temporibus, pone aures, collo, ano, & locis varicosis appositæ: quintò frictiones colli, dorsi, & partium extremarum, cū crebris pedum & tibiarū lotionibus ex aqua tepida: sextò, pyrotica, quæ collo, humeris, & tibijs internis admouentur: interdùm etiam supra suturam coronalem, vbi paulò diutiùs sinuntur remanere, donec cranium vstionem sentiat. Quibus nihil proficientibus, Recentiores

Sonitus aurium capitis grauitas & vertigo, euaporatiões, rubor & calor vultus, metus & mœstitia.

res

res, trepanum capiti adhibent, vt vapor ater exhalet, & si quid aliud est prẹter naturam in cerebro, vacuetur: septimò, quæ collectos in capite humores, post exactam purgationem eliciunt, vt masticatoria, errhina, & sternutatoria. Interea si varices dilatentur, secandi; si menses in mulieribus supprimantur, mouendi; denique si in viris tumeant hæmorrhoides, admotis sanguisugis sunt aperiendæ. Quòd si ne quidem appareant in hypochondriacis, sunt tamen excitandæ, si fieri possit, per remedia conuenientia, vt clysteres, & balanos acres, sumptam aloën, fomẽtum ani, litum & frictionem, & eiusmodi: quòd nullum præsidium, melancholiæ tùm præcauendæ, tùm curandæ, sit efficaciâ huic comparandum. Ad æstum & calorem alterãdum, & siccam intemperiem humoris melancholici corrigendam, alia sumuntur, alia foris adhibentur. Inter illa, præter humidam victûs rationem, magnam vim habent, huiusmodi syrupi, Iulepi, & Apozemata, aquæ spadenses siue acidulæ, lac caprillum, asininum, & serum lactis, vti in præcedentibus fusiùs dictum. Externorum alia sunt vniuersalia, quædam particularia. Vniuersale, est balneum aquæ tepidæ dul-

Ad æstum & calorem alterandum.

dulcis, cum frictione & illitione, de quibus modò dictum. Particularia remedia, sunt epithemata, quæ cordi admouentur, oxyrhodinum, quod regioni hepatis: fomentum ex splenicis & malacticis, quod lieni: litus frontis & temporum, ex oleis, violato, rosaceo, & nenupharino, vel amygdalino: embroche sincipitis rasi, cum filtro vel panno, ex decocto betonicæ, melissę, rosarum, violarum, florum buglossi, borraginis, anthos: denique lotiones tibiarum & pedum ex aqua tepida, de quibus ante dictum est.

Nausea, Cardiogmos, vomitus, dyspepsia, anorexia, bulimia, ructus, rugitus, tensio & grauitas abdominis, frequens sputatio, dyspnæa, ven-

Nausea, cardiogmos, vomitus, dyspepsia, anorexia, & in quibusdam bulimia, ructus, ventris rugitus & borborygmos, tensio & grauitas abdominis, frequens sputatio, dyspnæa, ventriculi dolor & inflatio: hæc omnia, medicamentis purgantibus, vomitorijs & ventriculum roborantibus pelluntur. Purgationi incumbendum per melanagoga, quibus interdùm adijciantur, quæ bilem vel pituitam simul cum melancholia reduntantem euacuent. Purgationis autem initium sumatur à mitioribus, vt aliâs dictum est, adiectis nonnunquam valentioribus, quia chymus melancholicus, sua siccitate & crassitie medicamentis purgantibus reluctatur. Sic

Hipp.

Hipp: aph. 9. lib. 4. melancholicos per inferiora vehementiùs purgandos esse jubet. Quod tamen tentandum non est, nisi corpus ipsum & humor peccans antè pręparetur Iulepis & Apozematis conuenientibus: quorum copia superius quoque designata est. Aëtius cap. 10. serm. 2. tetrab. 2. purgationem frequentem instituit ex aloë & epithymo, vt quæ moderatè & paulatim aluum subducat. Idem probat hieram, quæ recipit epithymum. Auic. pręscribit pilulas de hiera, & de Lapide Lazuli, quę tamen, vt & cæterę omnes, non omnibus conueniunt, propter calorem & siccitatem. Itaque quandoquidem hypochondriacus morbus, sit chronicus, valdè contumax, & curatu difficillimus, tùm ratione humoris morbifici, qui cùm sit crassus, terrestris & frigidus, neque citò à naturâ coqui, neque facilè ab arte edomari possit: tùm ratione ipsius ęgri, qui sępè adeo est pertinax, vt leges sibi præscriptas non facilè admittat. Quamobrem, vel imminenti malo confestim occurrendum, vel jam nascēti, priusquam inualescat, promptè subueniendum consulit Aëtius loco citato. Si verò morbus inualuerit, & symptomata vrgeant, Gręci omnes & Arabes

triculi dolor & inflatio.

Vsus veratri nigri.

bes, vnanimi consensu, recurrendum putant ad Veratrum nigrum, tanquam ad sacram anchoram, sed ea cautione, vt nec in substantia, sed decoctum vel infusum, & cum corrigentibus aromaticis, aut alijs, nec pueris, senibus, aut naturis infirmioribus, sed tantùm robustis atra bile vexatis exhibeatur. Matthiolus commen. in lib. 4. Diosc. cap. 146. affirmat, se illud sexcentis hominibus citrà damnum præbuisse. Deligetur autem cortex radicis, & in vmbra siccatus, à scr. j. ad. Dr. j. infundetur in jure pingui, vel hydromelite, sicque dilutum propinabitur. Cauendum interim, ne vel myrobalanis, vel alijs astringentibus admisceatur, quia sic diutiùs

Vomitus. hæreret in corpore. Vomitus, sit moderatus, isque si materia turgeat, mitioribus excitetur; licet Arabes eum probent, minus tamen conuenit melancholicis, quia humorem sursùm reuocat, qui potiùs per inferiora educendus, quòd si verò quis assuetus sit, & facilè ferat, indéque se alleuatum senserit, non omnino cauendus erit. Sed vomitu fortiore abstinẽdum, qualem pręscribit Ægineta, cap. 14. lib. 3. ex Veratro albo, aut Recentiores, ex stibio pręparato: quòd multi, Aëtio teste, cap. 10. loco cit: efficacioribus vomi-

vomitorijs primùm in melancholiam fortiorem inciderint. Purgationis vice, clysteres toto morbi decursu, & symptomatibus vrgentibus, frequenter inijciantur, ex malacticis & flatus discutientibus, coctis in sero lactis, vel iure omasorum. Dissoluentur diacassia, lenitiuum, catholicum, confect: Hamech, mel violatum, aut mercuriale, saccharum rubrum cum butyro recenti, vel oleis nunc calidis, nunc refrigerãtibus, pro humoris peccantis qualitate. Ventriculo roborando, præter vsum absynthiacorum, & conditorum, conueniet partim puluis digestiuus, ex anisi & fœniculi conditi an. vnc. ß. cort: citri conditi Dr. ij. Cinamomi D. j. Coralli rubri & Vnionum præparat: ana Dr. ß. cum vnc, iiij. sacchari rosati, post pastum sumendus ex cochleari: partim scutum ex melissa, mentha, absinthio, maiorana, rosis, caryophyllis, macere, fœniculo. Aut litus fiet ex oleis, mastich: de mentha, & absinthite: sed ne iecur eorũ vsu incalescat, eius regioni applicetur oxyrhodinum, cum cerato santalino, vel epithema, quod vim refrigerandi obtineat. Cordis palpitatio & lipothymia, insomnia turbulenta & peregrina, plerumque cessant, si euaporationes mali-

Vsus Clysterum.

Roboratio ventriculi

Cordis palpitatio & Lipothymia.

 mali-

malignæ impediantur, aut per corroborantia ſiſtantur. Quibus autem cor, jecur, cerebrum roboranda, ſpiritúſque animales recreandi ſint, tàm per illa quæ ſumuntur, quàm per alia quæ admouentur, ex prioribus repetenda ſunt.

Curatio per ſalutares admonitiones & rationes plauſibiles à Medico illatas.

Tandem deprauatio imaginatricis, vnde mira prodeunt phantaſmata melancholica: quibus adduntur metus & mœſtitia, quæ melancholicis omnibus communia exiſtunt, ſi jam ad longum enarratis medijs prophylacticis & curatiuis cedere nolint, in viſitatione ægrorum, non ſolùm plauſibilibus ac fidem etiam facientibus rationibus vtendum, quæ vagum alioquin judicium, & inconſtantem animum ſiſtant ac roborent, quæquè certiſſimis documentis auertant & leniant eiuſmodi perturbationem, æger ſolandus, eidémque bona futuræ ſuæ priſtinæ valetudinis ſpes concitanda: verùm etiam varijs ſubinde exemplis eadem confirmanda, quanta videlicet commoda, ex varijs curationibus, in hoc affectûs genere feliciter adhibitis, orta ſint. Hinc enim fiet, vt in temperatum ac firmiorem ſtatum, animus eorum perturbatus reuocetur: vbi inſuper notandum, juxta malorum varietatem, varias etiam

am rationes, diuersáque exempla accomodanda, singuláque ad singulas causas (præsertim si cum literatis nobis res sit) reuocanda esse.

CAPVT XXXIII.

De ingeniosissimis quorundam Medicorum curis, in deprauata, imaginatione.

PLACEBIT & licebit hic, quorundam grauissimorum Medicorum verissima exempla seu obseruationes, de quibusdam hypochondriacis & melancholicis, varia, rara, & notatu digna, introducere: ex quorum lectione non modo Lector recreari, sed ex inuentione, ingeniosissimarum curarum, Doctorum ingenia quoque mirari poterit. Nam, velut non cuiusuis est, melancholicis mederi, sic difficulter quoque eradicantur clanculùm ex ipsorum animis imagines, ab atrâ bile, falsò impressæ: cuius tamen ingeniosi inuenti, nobile specimen olim editurus Philodotus Medicus, restituit plumbeo pileo, cuidam melancholico caput, quod putauerat sibi, jam diu, amputatum. Quo respiciens Cornelius Celsus, suadet lib. 3. cap. 18. insaniæ huic sæpiùs assentiendum,

Historiæ quorundã deprauata imaginatione laborantium, & eorum curationes

quàm repugnandum: & non euidenter, ab his, quæ ſtultè dicuntur, ad meliora, mentem ipſorum abducendam.

Hiſtoria I. Inſignis Pictor, vti commemorat Tulpius in ſuis obſeruationibus cap. XVIII. infeſtatus aliquandiu, ab atrâ bile, imaginabatur ſibi falsò, cuncta corporis oſſa, adeò mollia, ac flexibilia ſibi eſſe, vt inſtar ſequacis ceræ, facillimè in ſe complicarentur; ſi vel minimùm illis inniteretur. Quâ opinione menti penitiùs impreſsâ, continuit ſe integram hyemem in lecto: veritus inde ſi ſurgeret, aliquid ſiniſtri: & certò certiùs euenturam, quam hactenùs metuerat, deformem oſſium ſuorum, vel potiùs totius corporis conglobationem. Quo metu intellecto, noluit ipſi aduerſari: neque palàm, ſed clam ſurreptum ire, quam conceperat imaginationem. Aſſerens propterea, mollitiem hanc non latere Medicos: quin potiùs jam diu animaduerſam ab incluto Fernelio lib. II. de abd: rer: cauſſ: & ſicuti cera emollitur, ac induratur: ſic plurimùm in oſſibus etiam poſſe artem medicam, modò morigeros ſe præbeant ægri. Ipſius autem oſſibus, intra triduum, reſtitutum iri priſtinum ſtabilimentum. Et ante diem ſextum, po-

tentiam quocunque ambulandi; dummodò fuerit dicto audiens. Quæ promissa, dici vix potest, quantam excitauerint spem recuperandæ sanitatis: & quàm morigerum reddiderint ipsum, in admittendis remedijs, atræ bili destinatis. Quâ conuenienter ex corpore depulsâ, exsoluimus & nos facilè fidem nostram: jubẽtes ipsum surgere, ex cubili: in quo integram hyemem decubuerat. Verùm cum eâ lege, vt duntaxat insisteret pedibus: neque procederet vel latum vnguem. Secùs si faceret, penes se culpam futuram. Sexto verò die, me veniam ipsi daturum, quocunque deambulandi: modò ritè obtemperaret arti. Quæ certè monita, eò fuêre rigidiora, quò minùs expedijt ipsi dolum hunc rescisсere. Qui quò magis lateret, continuauimus tectè in medicamentis catharticis. Sed appropinquante jam secundo triduo; ostendimus coràm promissi veritatem. Factâ non tantùm veniâ, ambulandi per conclaue, sed etiam in publicum prodeundi, & obeundi jugiter, qualiacunque, sani hominis, munia. Quâ libertate tantoperè gauisus fuit; vt ignorauerit, quibus encomijs extolleret sanitatis suæ Præsidem. Admiratus hinc artis potentiam;

tiam; illinc detestatus suam diffidentiam: quod tam diu denegasset fidem, à quâ tam salutare recepisset consilium. Vidit quidem hic æger robur ossibus suis restitutum: vidit rediuiua crurum officia: vidit expeditum incessum: vidit alia: sed stultam hanc, totius hyemis imaginationem, clanculùm sibi eripi, nec vidit, nec sensit, homo cæteroquin minimè stupidus, sed in arte suâ abundè sagax, & vix vlli secundus.

Historia III. Quod ipsum inuentum, non minùs feliciter quoque cessit mulieri. Quæ credebat, in vtero suo, contineri molam viuam, interimendam à Medico. Quam operam siquidem ipsi denegasses, satagens rationibus potiùs, quàm sagaci aliquo stratagemate, sententiam illam euellere, operam perdidisses, neque vel tantulùm profuisses ægræ, quam præstitit clam circumuenire, quàm palàm conuincere. Monita itaq; fuit, haberet exactam excretorum rationem: & si quæ conspiceret atra, vel nigræ fuligini simillima, crederet firmiter, jam tum expelli molam sibi ingratissimam. Quibus verbis fidem habens, admisit haud grauatè, modò Veratrum nigrum, modò Confectionem hamech, aliaue expellendæ eiusmodi insaniæ apta. Quorum

ope,

ope, atrâ bile excretâ, non dubitauit amplius de molæ suæ internecione: certa (vti credebat) ex eius occisæ colliquatione, sequi nigram illam deiectionem, in quam prædixeram dissolutum iri, viuum illud monstrum, quod imaginabatur vtero suo inclusum: à quo, licet id temporis feliciter euaserit, incidit tamen haud diu post, in simillimam insaniam, sed priore multo grauiorem; credens firmiter, se fato functam, eâ conditione, à Deo in mundum remissam, vt viueret deinceps excors. Corde enim suo, à Deo retento, doluit impensè, aliam esse sibi, quàm aliorum mortalium vitam: quam tamen imaginationem, nulla cùm auferrent stratagemata; afflixit quidem ipsam aliquandiu hæc tristitia: sed tandem quoque, licet tardiùs, discessit: juxta illud elegantissimi Iusti Lipsij. *Illos ab atrâ bile, curat dies & quies.* Quidam se Deos, Imperatores, Reges, Cardinales, Principes, Vates, Augures, Sacerdotes, homines Moniales & Sanctos; quidam se dæmones, damnatos; quidam cuculos, catos. canes, lupos sese existimant, harúmque aut similium bestiarum mores & gesticulationes imitantur; quidam grana tritici gallinis deuoranda, se esse autumant, proindé-

que verentur, ne à talibus animalibus deglutiantur, vnde illa fugiunt; alij se fame confici putant, séque propterea continuis escis ingurgitant; nonnulli cibum recusant, sibi jam jam migraturam in labris sessitare animam autumantes; sunt præterea, qui à latronibus continuò putant se circumueniri & spoliari; alij verò, qui à lictoribus se colligari, & mox in carcerem conijciendos credunt.

Historia III. Burgundus quidam, Lutetiæ ad ædem S. Iuliani, multis clarissimis Medicis adstantibus, mortuum se affirmabat, simul fratre ibidem decumbente, posteà phantasiâ mutatâ, declamabat, precabatúrque Medicos, ne ampliùs animæ impedimento essent, quò minus è purgatorio euolaret ad Deum, aliquando imitabatur moribundum, quasi efflaret animam, monebat, vt spectarent exspiratum, postea summo timore, & omnium desperatione corripiebatur. Tandem opportunis adhibitis remedijs, & hæmorrhoidum profluuio, liberatus est. Scholiograph. ad cap. 17. Holler. lib. 1. de morb. intern.

Historia IV. Sic Vir quidam illustris, in eum mentis errorem incidit, vt mente & animo conceperit, se jam è viuis excessisse, adeò, vt licet illum amici & familia-

miliares, ad instaurandas vires jam collapsas, precibus, blandimentis, obiurgatione adhortarentur atque vrgerent, omnia tamen respueret, quòd causaretur mortuum esse se, ac nihil ita constituto opus esse alimenti. Cùm autem fame propemodùm enecandus videretur, instante scilicet septimo die (qui famelicis atque inediâ laborantibus plerumque lethalis esse dicitur) comminisci cæperunt, excogitaréque rationem aliquam, quâ posset hic mentis error eximi aut curari. Itaque inducti sunt in conclaue, arte atque industriâ obscuratum, personati quidam histriões, linteo obuelati, ac fascijs obuincti, quibus mortui sepulchris inferri solent, instructáque mensâ ferculorum apparatu, liberaliùs largiúsque se cibo ac potu reficiunt. Æger autem hęc cõspicatus, sciscitatur, quid moliantur, & quod sit genus hominum? responsum est, mortuos esse se; tum is: mortuine edunt? illi: maximè; si libeat accumbere, id non vanum experturum. Confestim mente captus exilijt, lectóque se subduxit, atq; vnà cum mortuis commentitijs, cibo vsus est affluentiùs. Postea à cœna somnus illi obrepsit, & sanatus est. Lemn. lib. 2. de complex. cap. 6.

Historia V. Insignis aliquis Medicus, agnatum quẽdam habuit virum doctum & celebrem, qui sibi imaginatus fuerat,& credebat certò,sibi à quodam amico ex Italia reuerso,ingestos in corpus duos Spiritus, qui in colloquiũ cũ ipso sępè veniebant: à quibus multa audiebat,sed qui,præsertim mortem,sępè interminabantur, aut graue aliquod malum, quo torqueretur. Is cùm Medico rem patefecisset,& morbum suum exposuisset, agnouit ille statim,phantasiæ elusæ esse morbum. Cúmque juuandi consanguinei studio teneretur,consilium inijt, quî morbo illius mederi posset: communicato itaque cum alijs consilio,sic in curam processum est. Confingendi fuerunt in libello characteres,& Spirituum nomina, nec non persuadendum, committendos esse fortiores Spiritus, cum ijs,qui corpus torquebant, vt in hac pugna,potentiores,ex corpore debiliores eijcerent. Arrisit hoc medicandi genus ægrotanti: interim dum tempus opportunum expectabatur administrandi huius remedij, alia præscribebantur remedia, quibus indies vtebatur æger, ad atram bilem fugandam: atque id per aliquod tempus continua-

tinuatum est, dum canicula occideret, & feliciores dies orirentur. Tandem Medici, vt rem suam peragerent, magnam aulam quandam selegerunt, vt illic & characteribus suis, & inuocatione Spirituum, ac aliorum cõiuratione cõfictis, phantasticam illam imaginationem exploderent. Ad hoc institutum, delectus est honestus & prudens quidam Chirurgus, qui inuocati Spiritus personam ageret, quique optimè calleret, quid sibi dicendum & faciendum esset. In quo loco, horáque electâ, delineatus tandem est quidam circulus, aliæque adhibitæ ceremoniæ, quibus Spirituum Cõiuratores & Necromantici vti solent, quas attentè obseruant. In medio circulo, collocatus est æger, monitus ne quid reformidaret. Deindè post insusurrationes quasdam, & cœca murmura, conuocatus primò orientalis Spiritus, vt accederet: eadem & meridionali Spiritui facta est coniuratio, sed frustrà. Tertio demùm loco, conuocatus ille Spiritus, qui opportunus videbatur. Assurgit tunc prudens ille Chirurgus, latitans in quodam obscuro illius aulæ loco: qui sese in laruâ spiritûs dat conspiciendum. Monetur

rursùs æger ne quid metuat, qui ob spem & expectationem valetudinis, quam ex huiusmodi præstigijs certò præsagiebat futuram, respondit, nihil se reformidare. Tandem res ita peracta est, tamque dextrè, ac artificiosè ducta, vt sibi prorsùs æger persuaserit, à se suos Spiritus prorsùs exclusos, & integræ valetudini se restitutum. Atque hac ratione & industriâ imaginatrix eius facultas prorsùs deprauata, ad sanā mentem reuocata est. Nec tamē desierunt Medici, promouere confirmationem valetudinis ęgri, remedijs atram bilem purgantibus, vt reliquias omnes morbi excuterent, quibus etiam æger totaliter restitutus est. Quercetanus in fine Diætet: cap. 33.

Historia VI.

Hyppochondriacus quidam, persuasum habebat, ranas ac rubetas, quas Bufones vocant, intestina perterebrare, nec vlla ratione, isthęc opinio, illi eximi potuit. Medicus quò illū haberet obsequentem (nam Melancholici ægrè ab opinione dimouentur) tale quiddam corpori inhærere pronunciauit. Itaque exhibitâ purgante potione, applicatóque clystere, procuratum est, vt aliquot eius generis reptilia, in subiectam peluim conijcerentur. Vbi autem phar-

macum

macum vires suas explicuit, aluus affatim inanita est, conspectisque excrementis, & quæ illis innatabant animalculis, vana illa opinio, animo excussa est. Lemn. lib. 2. de complex. cap. 6.

Senensis quidam, nullo modo persuaderi poterat, vt vrinam redderet: aiebat enim si mingeret, totam vrbem diluuio perituram, quem ad lotium excernendum, eleganti commento perduxerunt: nam pulsantibus campanis ad melancholicum accurrunt, magno incendio vrbem conflagrare nunciantes, obnixéque rogantes, vt redditâ vrinâ, ciuitati ob incendium periclitanti opem ferret. Quod & factum. Marcell. Donat. de hist. med. mir. lib. 2. cap. 1. *Historia VII.*

Cuidam persuasũ erat, nasum sibi excreuisse in im̃ensam atque prodigiosam longitudinem, exporrectum sic, vt Elephantis proboscidem circumferre visus sit, qui nusquam nõ esset impedimento, adeò vt subinde patinis, vt illi creditum est, innataret. Accitus Medicus, atque affectum melancholicum subesse ratus suspicatusuè, dexteritate quadam, ac latenti habilitate, longum farcimen naribus admouit, arreptáq; nouaculâ seu cultro tonsorio, apprehensâ nonnullâ carnis parte, imaginarium nasum auulsit, *Historia VIII.*

con-

confestim exhibitâ homini parũ sobriæ mentis soporiferâ potione, præscriptâque salubri diætâ, omnis mali metus ademtus est. Lemn. lib. 2. dẽ complex. cap. 6.

Historia IX. Quidam, se cornua gestare putabat, sed tandem, adhibitis prius idoneis medicamentis, ceruinis cornibus capiti alligatis & impositis, serrâque resectis & ostensis, ab insania liberatus est. Alex. Benedict. lib. 1. de cur. morb. cap. 28. & ex hoc, Schenckl. 1. obseru. 253. *Historia X.* Quidã, in capite se passeres habere dicebat, Medico verò per nares eos extrahere simulante, & ægrotanti, quem in manica absconderat, passerculũ monstrante, sanatus fuit. Sennertus lib. 2. instit. part. 3. sect. 1. cap. 7. *Historia XI.* Sic mulier quædam putauit, serpentem se deuorasse, Medicus itaq; medicamento vomitum ciens, atque in id quod deiectum fuerat, anguillam seu paruam bestiam per omnia imaginationi illius ferè similem imponens, à concepta opinione liberauit. Trall. lib. 1. cap. 17. *Obseruatio I.* Melãcholicus, dum noctu vagaretur per vias, fortè vulneratus est in crure, & multo effuso sanguine, melancholiâ est liberatus. Holler. comment. ad aph. 21. lib. 6. Hipp. *Obseruatio II.* Visa est mulier melancholica, cui ob casum apertum est

cra-

cranium, vnde effluxit aqua, & curata est. Rondelet. lib. 1. de curand. morb. cap. 41.

Plurimi ex plebeis & paganis, vtriusque sexus hominibus, sæpissimè me conueniunt, consilium, remediúmque expetunt, contra murmura & motus in corpore continuos & extraordinarios, sibi pertinacissimè persuadentes, quòd fortè spermata ranarum aut aliarū bestiarum, in aquæ potu assumpsissent, ex quibus, in illorum corporibus, tales bestiæ postea generatæ & nutritæ essent, vnde has incommoditates paterentur; nec absque enecatione & expulsione per vim medicamentorum, ab ijs tam facilè liberari posse. Alij, & præcipuè crassioris ingenij viri, similes rugitus flatulentos, & subinde colicos, ex vteri motu (**von der Beermutter**) causari sibi imaginantur; ingnorantes, virilem sexum ad pariendum non destinatum, illo viscere (vtero scilicet) carere. His cùm nolens volens, propter tenacissimas melancholicas illorum impressiones assentiri debeam, medicamenta aut vomitoria, aut cathartica, prescribo, bestiásque has imaginarias, inter melancholica excrementa, non sine multis vocalibus, cum magno ægrorum leuamine euacuo & expello.

Obseruationes propriæ.

Præterito primùm anno, carpentarius quidam, juuenis adhuc, totus ſcrupuloſus & melancholicus, in eam phantaſiam incidit, quaſi à dæmone coram Deo accuſatus eſſet, quòd varia & obſcœna dæmoni impoſuiſſet nomina: propter quam phantaſiam contumaciſſimam, non ſolùm ipſi ſomnus interruptus eſt, ſed omnes quoque actiones impeditæ. Ad Adelphotrophium itaque ſuſceptus, dum ad debellandam hanc phantaſiam, debita inſtituitur cura, cultrum fraudulenter arripit, ſibíque maiorem pedis digitum, indolenter quaſi, circumcirca ad oſſis denudationem vſque reſcindit: deprehenſus ab ægrorum præfecto, non ſine terrore circumiacentium ægrorum, reprehenſus, & ab vlteriori ſciſſione inhibitus eſt. Interrogatus poſtea, cur hoc feciſſet? reſpondit, propter Deum & Angelum Tutelarem hoc feci, quô mihi contra dæmonis accuſationes magis patrocinarentur. Innumera ferè & incredibilia recenſenda eſſent phantaſmata, & melancholicorum deliria, in quæ, tetra hæc perturbatio, ſideratos ſemel flatu ſuo, ęgros præcipites agit atquè deducit, quæ etiam ſæpiùs tantam exercet tyrannidem, vt non tantùm ſpiritus obſidendi & crucian-

cian-

ciandi vires habeat; ſed corpus etiam tot inſultibus impetit, vt planè ipſum obruat, & prorsùs ſuis functionibus ineptum reddat ac inutile: quin & tantam interdùm ferociam exercet, vt mortem quandoquè acceleret, & in eam ęgros præcipitet.

CAPVT XXXIV.

De Curatione Melancholiæ Hypochondriacæ à cauſis externis quæ geruntur progenitæ.

INTER cauſas denique externas melancholiæ hypochondriacę, capite ſeptimo, poſuimus perſecutiones & inuidias, natas ob res benè geſtas & proſperè ſuccedentes: triſtitiam quoque & mœrorem, ex charorum pignorum obitu, vel fortunæ iactura ac detrimento: item ob alicuius rei potiundæ fruſtratam ſpem ac deſiderium contracta. Medici igitur ſunt partes, tam grauibus perturbationibus, ſalutaribus monitis ſuccurrere: plauſibiles quoque ac fidem facientes rationes producere, quę vagum, triſtem, & inconſtantem animum ſiſtant & roborent triſtis ac melancholici hominis. Quamdiu enim hoc vitæ ſalum nauigamus,

Persecutiones & Inuidiæ quàm possibilè est patienter ferendæ.

mus, tamdiu procellæ, tamdiu fluctus; & interdùm blandior aura si nobis affulget, ilicò se subducit, & ferè acrior tempestas ingruit. Nimirum homini Christiano, ista à Deo dicta lex est, *Premi, Turbari, Concuti.* Sed quid nisi feramus, tanquam Bonũ, quod à *Summo illo Bono?* Animis hic opus est, & armis, quę ratio subministrat, quæ sapientia, in quam malorum ingruentium agmen nihil potest. Ad omnem enim incursum sapiens inuictus, atque interritus est: nec si terra mari miscebitur, & mare cœlo, pedem referet. Turpis est nauigij rector, cui gubernacula fluctus eripit, qui fluctuantia vela deserit, permittit tempestati ratem: at ille, vel in naufragio laudandus, quem obruit mare, clauum tenentem, & obnixum. Vt enim strenuus & generosus miles, leuia & circum galeam, & aures, crepitantia tela contemnit: sic vir sapiens & altæ mentis, obtrectationes & conuitia: palmæ similis, quæ oneri non cedit, nec infrà flectitur, sed contrà pondus assurgit. Semper apud inuidos, & calumniantes persecutores, & benè & malè agendo, peccamus, nec vdus aut sudus Iupiter omnibus placet: in omni igitur via scrupi sunt, & cùm maximé Sol splendet, vrit. Domi

mi

mi forisque inueniemus, quod turbet tranquillitatem animi, quod torqueat, vexet; sed alia dissimulanda sunt, alia negligenda, quædam ferenda. Quemadmodum igitur ignis, paleam exurit, aurum nitidiùs reddit: sic calumniæ vanum, aut vacuum aliquem absumunt, verâ virtute grauem, illustrant. Sed hodie, emissitios omnes oculos habemus: curiosi ad cognoscẽdum vitam alienam, desidiosi ad corrigendum nostram: & vt Vultures, ad malè olentia cadauera, præteritis amœnis, ac odoriferis feruntur; muscæ sana corpora præteruolant, & ad vlcera properant: ita multi, sinistrâ & peruersâ sedulitate, omissis proximorũ virtutibus, vitiis eorũ, si tamen vitijs, obhærescunt, probósque, passim conuitiorum equis & quadrigis incurrunt. O tempora! Tu interim, erectus & alacer, per medium hoc agmen inuidentium & calumniantium incede, tectus virtutis & candoris scuto; ingeniti scopulo similis, cui fluctus assultat; sibi iniurius dum integer insurgit, fractus resilit, irásque sui bibit ipse furoris. Mutuo innectuntur, virtus & æmulatio, eruditio & obtrectatio. Sed crescunt laudanda aduersis; & clarior virtus est, quæ æmulum patitur. In publica fama,

publicam omnium beneuolentiam, & fauoris auram demereri, nulli vnquam homini datum, imò nec ipsi Deo: interueniunt semper hic Aquilones aliqui, aut Cauri, qui suauè spirantes Fauonios turbant. Voculas inuidentium, rectæ voluntatis conscientiâ, officiíque fiduciâ, contemne, & quid leues ineptíque homines, quid famæ prædunculi (vt cacoëthes est huius æui) de te sentiant, aut loquantur, non est quod tantopere cures. Nam vt capreæ, & coturnices, venenis saginantur: ita quidam conuitijs & maledictis; cúmque factis obstare nequeant, conantur linguis, & spargunt verborũ leuia ista tela, atque id eminùs, vt Parthi fugientes. Tu Illos, altior omnibus iniurijs, supernè despice, & indignatione tua indignos, infrà iræ tuę maiestatem pone, more magnæ feræ, quæ importunum catulum stolidè adlatrantem præterit, nec dente, aut pugnâ dignatur. Famæ satisfactum puta, si muneri tuo satisfeceris: ingens enim animus, & verus æstimator sui, non vindicat iniuriam, quia non sentit, & maledicta spreta exolescunt; si irascaris, agnita videntur. Nil igitur te moueant simultates & odia nouatorum, nil lingulacium susurri, nil partium frenden-

dentium iræ, turbæ, minæ. Inuulnerabilis eſt, non qui feritur, ſed qui non læditur. Quod ſi facis, magnificentiùs triumphas, quàm ſi victor redires ab Olympico certamine, aut Pythico, aut quadriiugo curru, & albentibus equis, per ſacram viam, lauro coronatus, in Capitolium inueħereris. Vti gubernator, irati maris fluctus vndique aſſilientes negligit, manum in clauo habet, oculos in aſtris: ſic te vitijs popularibus defœcatum, oportet hoc rerum, ac temporum articulo, quod benè agis, agere, & mentem ad Deum erigere: nec admota ſemel manu aratro, aut regredi turpiter, aut deficere in operis incepti curſu. Athletæ enim in hoc ſtadio currimus: palma in fine laborum poſita eſt, quæ triumphis omnibus potior, & Regum purpura, nos ad æternitatem natos, æternum aliquando eſt beatura apud eum, qui ſolus æternitas. Alia nobiſcum cadunt, labuntur, pereunt. Hęc ſola diurnant, & in ſecula eunt, quæ Reipublicę, quę Eccleſię, quæ Deo, & eius veritati militant, animus pius, religioſus, ſine fuco, & recta voluntatis cōſcientia, quæ vnum vouet, ſpirat, cogitat, finiū omniū, vt ita dicam, finem, Dei gloriā. Ab hoc ſcopo & fine, qui aberrat, aberrat ab alijs, &

à re-

à recto recedit, quidquid fit, quantumuis speciosa incrustatione obductum, nec Deo cordium inspectori placere potest. Securus itaque contra inuidias & persecutiones, ibit sapiens, plenus fiduciæ, plenus animi, ex vitæ anteactæ conscientia, & sensu illibatæ integritatis. Quid? Aureum illud Solis Iubar, deliquia pati non miramur, & pallidam Lunæ faciem, noctis colore tingi: & famæ nostræ lumen, calumniæ nebulis obfuscari, mirum nobis videbitur, & nouum? malè. Nam quidquid in hac vniuersitate pulchrum, quidquid eximium, defectus suos habet, & næuos, si non à se semper, à malorum saltem proteruia, quos qui contemnere didicit, jam fregit, deiecit, vicit.

Cõsolationes super obitus charorum Pignorum.

Ex obitu charorum pignorum, hoc est, amicorum, parentum, coniugis, aut filij, mœror, tristitia, & luctus, sequentibus rationibus moderandus. Gubernator in naui, non frangit impetu magnos illos & decumanos fluctus, sed vitat aut declinat: sic in tristi amicorum casu, errat quisquis obnititur, patientiâ superanda sunt, & magno excipienda animo, quæ vitari non possunt. Et vt musto tempus damus, quo despumet: sic mœsto animo, vt ęgritudinis fæces

ces eijciat, diésq; paulatim leniat & mora, quod sola ratio non potest. Vetus est hæc tragœdia: cuius Deus est choragus; histrio homo; argumentum calamitas; chorus viri, fœminæ; apparatus, purpura, aurum, vestes, omnia mutuata, omnia reddenda; theatrum mundus, in quo hominem natura collocauit, alium alio citiùs, huic scenę subducendum, & vt omnium finem facit, comediæ finis, sic mors nostri. Itaque absit dolor,

Absint inani funere næniæ,
Luctúsque turpes, & querimoniæ.

Æterna hæc, & à Deo lex est, *Nasci, Denasci, Oriri, Aboriri.* Quarè quod vult, velimus, quò ducit, eamus: necessitatis enim non aliud effugium est, quàm velle, quod ipsa petit. Obijt? ab exilio, ad patriam iuit, è carcere, ad libertatem. Abijt? à terrenis, ad cælestia, à fluxis his bonorum vmbris, ad æternas illas opes. Amissum doles? non amisisti, sed præmisisti, ex tenebris ad lucem, ab hominibus ad Deum. Nam viuere nostrum quid aliud, quàm punctum temporis, & puncto minus: in quo præsens instabile est, pręteritum nihil, futurum incertum: & in hoc instabili, casum excipit casus, dolorem dolor,

miſeriam miſeria. Vxorem amiſſam doles. Quid ni? ſine dolore non amittitur, quæ cum amore poſſidetur: neque tantum gaudij veniens tulit, quantum abiens doloris. Quid enim vel marito duriùs, vel familiæ grauius accidere poteſt, quàm ab eius conſortio diuelli, & œconomiæ curâ, quæ vtriuſque numeros implere nata erat, & facta ad coniugij felicitatem? verùm ratio quæ homini propria, & ſacra quaſi anchora, in his malorum procellis, quid dicit? melius eſſe diſceſſurā nobis bonā, quàm nullā contingere; ſatiùs non diu felicem eſſe, quàm nunquam. Quid abſtulit Deus, niſi quod dedit? quid recepit, niſi quod ad tempus tantum dederat? mihi crede, mens quæ ad iſta adſurgit, ad luctum non deijcitur, & ſcit mortem homini non tàm ſupplicium eſſe, quàm tributum. Filius autem cum diſceſſit, triſtéque ſui deſiderium patri reliquit: cogitandum, quòd jam curſum ſuum abſoluerit, & peruenerit ad metam, ad quam omnes tendimus; de quo certus es, illum è ſeruitute in libertatem, de ærumnis ad felicitatem, de caligine in lucem, de periculis in tutum portum, de morte ad vitam, de morbis ad immortalitatem, de tot malis ad ſummum bonum,
deni-

denique ab hominum colluuie, ad Angelorum contubernium esse traductum, vbi jam gaudio ineffabili, atque æuo fruitur sempiterno. Propone tibi exemplum (vt taceam reliqua) sapientissimi illius Regis ac Prophetæ, qui filiũ, quem ægrotum ac languentem fleuerat, non fleuit extinctum, cogitans, quòd irrecuperabilia lugere, superuacuæ dementiæ potiùs sit, quã sanæ sapientiæ, aut pietatis. Ideò robusto hoc solatio animum firmabat. Ego quidem ibo ad puerum, sed puer non reuertetur ad me. Cùm obuersatur tibi animo, quód filius tuus mortuus est, cogita quòd mortalem genueras: cùm succurrit, quòd optimum & pium adolescentem amiseris, gaude quòd talem habueris: cùm reputas, quòd tanto bono priuatus es, cogita, quòd reddidisti ei, qui gratis tibi dederat: quòd immaturâ morte occubuit, reputa, quòd nulla mors non matura est, benè morienti: quòd in ipso vitæ flore perijt, considera, tum optimum esse mori, cùm viuere est suauissimum.

Inque vices mors, vita fluunt, genuisse perijsse est;
Et rursus perijsse salus.

Nempe quid est homo? nisi spolium temporis, & vmbræ somnium. Quid vita? nisi jactatio-

nes & fluctus? in qua nihil firmum, nihil ſtabile. Nubes hic ferè ſemper, & procellę, & pro tenui mellis fauo, plena fellis dolia. Quid vita? niſi via à matre ad matrem; ab ea quę homo, ad illam quę humus? minor plantæ, quàm arboris interitus eſt. Optimè nati, quàm ſępè degenerant? quàm alieni à virtute patriâ? vt optares nunquam ex te genitos, aut in cunis extinctos. Quid, quòd incerta ſunt omnia rerum humanarum; qui nunc benè audit, cras malè; qui hodie Cręſus aliquis eſt, aut Craſſus; cras Irus; & nemo liberos vel optimos habet, vt nō cum gaudio, & metu aliquo aſpiciat. Et tuum illum adhuc reuoces? noli. Quid refert quandò finiant temporaria, cùm tranſeant in ęterna. Maneant quos Deus dedit, & viuant diu, habituri ſuam ſortem: alios verò ne reuocemus in hanc triſtitiæ & calamitatis ſcenam, imò gratulemur euocatis. Amiſſos natos, qui nimis deſiderat, iniurioſus in relictos eſt pater. Vt enim qui in naui ſunt, dormientes & vigilantes vehuntur, cum ſenſu, ſine ſenſu: ſic nos eò prouehimur, & aliquando abripimur, aut mergimur, velut tempeſtate. Nihil hic ad tutelam noſtri firmum. Præruptæ altitudinis caſtella, vel magnos exer-

citus difficultate aditûs morantur. A tempeſtate nos vindicant portus. Nimborum vim effuſam, & ſine fine cadentes aquas, tecta propulſant. Fugientes non ſequitur incendium. Aduersùs tonitrua, & minas cœli, ſubterraneæ domus, & defoſſi in altum ſpecus, remedia ſunt. In peſtilentia, ſedes mutare licet. Nullũ malum ſine effugio eſt. Sed malorum vltimum *Mortem* quis vnquam effugit? nemo. quin vis illa improuiſa lethi, ſine diſcrimine vllo aut mora, rapuit, rapiétque gentes. Effugies tamen ſi contempſeris. Et contemnes, ſi cogitaueris quàm imbecilla corpuſcula noſtra ſint, quàm fluida, & non magnâ molitione perdenda.

Poma vt in arboribus pendent: ſic corpora noſtra
Aut matura cadunt, aut citò acerba ruunt.

In hoc errore verſamur, vt non putemus ad mortem niſi ſenes, inclinatóſque jam, vergere, cùm illam infantia ſtatim, & juuenta, omníſq; ætas ferat. Prudens hic, qui omnes horas complectitur: ſic enim fiet, vt minus ex caſtrino pendeat, ſi hodierno manum injecerit. Itaque tales Pater ad Filium defunctum canat Næniás.

Quid lacrymis defuncte meis, tua funera Fili
Proſequor, & primi triſtia damna tori.

Hoc Musæ meruêre tuæ, pietásque fidésque,
Atque inculpatæ simplicitatis amor.
Te fulcrum, columénque meæ superesse senectæ,
Spes erat, & voti pars iterata mei.
Sed Fatis aliter visum, queîs velle reniti
Planctibus, & querulo murmure, religio est.
Illa suum repetunt, ego quid? compescere linguam
Et supero didici, subdere colla Deo.
O te felicem interea, qui gaudia cœli,
Terræ commutas, tristia, cum lacrymis.
Viue, vale, & mundi nunc immemor, alma capesse
Præmia Cælicolûm, deliciásque Poli.
Donec nos iterum, post hæc discrimina vitæ,
Arctior æterno fœdere jungat amor.

Filius verò Patrem, per Prosopopœiam tali modo consolabitur.

Ob mea fata Pater, lacrymas ne funde perennes,
His mihi facta quies, crux mea, mórsque fuit.
Corpus in hoc terræ gremio requiescit, Olympum
Mens tenet, & trini gaudet amore Dei.
Me, Pater ipse sua facie, me Filius ipse,
Alloquijs recreat, delicijsque suis.
Spiritus ipse fouet mea gaudia, Spiritus idem
Te lamentari nunc mea fata, vetat.

Huic pater ausculta, meritas, lacrymisque relictis
Solue tuas grates ob mea fata, DEO.

In Omnes qui fatalem vitæ Terminum exhorrent.

Te ne adeo vani recreant fallacia Mundi
Gaudia, vt impatiens spacij breuioris & æui,
Dulcia præteritæ reuoces dispendia vitæ,
Exactósque optes iterum juueniliter annos?
Non ita. Nascentes morimur: quem fixa dederunt
Fata diem, manet immotus: seu te aspera tandem
Parca necat, vitæ saturum, aut florente juuentâ
Incolumem stygias Erebi detrudit ad vmbras.
Cuncta vorant anni volucres, domat omnia tempus
Indomitum, pereúntque suis nascentia fatis:
Quósque sua Deus in mundo statione locauit
Temporis imparitas discriminat, exitus æquat.
O sapiens! qui fluxa perosus gaudia vitæ
Instabilésque vices rerum, breuis incola mundi
Cælestes meditatur opes, mortémque minantem
Spectat ouans; morbósque inter, casúsque, supremum
Præsentem ratus esse diem, submittere vota
Numinis obsequio didicit. Quid viuere longum
Fert homini? vixisse diu non judicat ætas,
Non spacium, non longa dies, sed candida morum

Cani-

Canities, annisque ipsis prudentia maior.
Frustra perobscuri sinuosa volumina FATI
Excuties, dubiósque aui scrutaberis annos.
Ante diem nemo moritur. Sic viue, futuri
Inscius, vt moriens, animam compage solutam
Corporis, excelsa cœlorum in sede reponas,
Æternum victure DEO, qui Terminus olim
Vnus erit nobis, pretiúmque & meta laborum.

Remedia consolatoria contra fortunæ jacturam.

Si ob fortunæ jacturam ac detrimentum, aut si ob alicuius rei potiundæ frustratam spem ac desiderium, contracta fuerit tristitia aut melancholia hypochondriaca, remedia quibus ratio vti debet, hæc sunt. Vt scilicet doceatur, ob rem nihili & nullius momenti, dolorem concipi: siquidem & bona hæc externa, & mundana gloria, si in sese attentè spectentur, tiuillitio sunt viliora: etsi ab hominibus, iniquis æstimatoribus, magni fiant, qui in hac sententia plurimùm hallucinantur: præsertim cùm satis notum sit, naturam paucis esse contentam. Ditior quoque est, qui diuitias spernit, quàm qui possidet; & verè ille magnus, quem nulla res minorem facit. Plurimum quoque ille possidet, & habet, qui desiderat minimum: habet autem quantum

tum vult, qui vult minimum, imò supra, quàm vult, si etiam dum habet, non habetur. Intueamur ipsa hominis rudimenta: cùm is in lucem editur, solo lacte contentus, fouetur & recreatur, commodéque hoc vno vesci potest, etiam toto vitæ cursu cum pane & aqua: at inexplebili appetitui, & famelico abdomini, multa alia præter naturam desiderantur: cùm huiusmodi homines naturæ legem violantes, caninam famem sibi ipsi vltrò contrahant, quæ nunquam expleri possit: at quò magis vorat, eò minus exsaturetur. Sic qui bonis & fortunis inhiant, nunquam tot opes sibi accumulare possunt, quibus acquiescant, sed aceruos aceruis, nullâ nec corporis intermissione & quiete adhibitâ, cumulant & superimponunt. Gurgites maris citiùs expleueris, & dolia Danaidum, quàm illos bonorum helluones: cani similes, qui quicquid excipit, protinùs integrum deuorat, & semper ad spem futuri hiat: aut renibus, qui adipe circumuoluti, sicci semper sunt, & aridi. Sic isti, dum stipantur vndique diuitijs, & opibus eorum scrinia restagnant, nunquam tamen, ac ne minimo rationis dictamine, honestíque sensu, ad fugiendam auaritiam, sordidósque quæstus,

muniuntur. Atq; id genus homines, cùm nunquam ſibi ſatisfaciant; in paupertate, quam fugere cupiunt, perpetuâ verſantur: nec felicem vnquam vitam degunt, etſi totum etiam mundum poſſederint: ſiquidem in eo poſita eſt bonorum felicitas, vt quiſque ſua ſorte ſit contentus. Vices has habet conditio mortalium, vt aduerſa ex ſecundis naſcantur; & iſta, quibus veheris in ſummum, neſcis vbi te relictura ſint; habebunt ſuum, non tuum finem. Si quis lætioris fortunæ radius affulget, ecce minantis, & nouercantis ſimul vmbra adeſt, & veſtigia premit, aut excipit. Vana, vana ſunt, quæ miramur, in hoc fluxu, ac refluxu rerum humanarum, & alimenta vitiorum, non remedia, niſi cæcum illum Plutum ſapientia regat, & moderetur. Caue tibi, in hoc ſereno indulgentis fortunæ, plus nimiò placeas: nam vitrea eſt, & quò magis ſplendet, eò citiùs frangitur. Hanc qui nimis auidè concupiſcit, neceſſe eſt, malè concoquat. Illæ nobis opes parandæ, quæ ſuprà omnem inconſtantiæ, & mutationis aleam poſitæ: quæ etiam nudos, naufragos, exules, vbique terrarum comitantur, vel ad extremos Garamantas, in quas cuneus,

ac cumulus nihil poteſt ingruentium malorũ: quæ nec eripi, nec ſurripi poſſunt vnquam; neque naufragio, neque incendio amitti, nec temporum iniuriâ mutari. Quid opes, quid honores? ſpolium temporis, & fortunæ ludibrium, ſtant, cadunt, veniunt, abeunt, creſcunt, decreſcunt, & cum affluxiſſe tibi credis æternùm manſura, refluunt. Feſtinant plerique (etiam literati hoc tempore) calidis votis, ad lucrium illum Deum: & vt tela in ſcopum directa, & emiſſa detorquere ſolet ventus: ſic meliores curas & literarum ſtudia, turbare, auri ſacra fames; nec quidquam illis ſapit, quod lucrum non ſapit. Scilicet in hanc felicitatis opinionem impelluntur, qui ex nullo alio liberali ſtudio voluptatem capiunt, & quorum mens juxta ac corpus humi repit: quaſi nihil in vita humana meliùs, quàm diteſcere, & aureo illo Iouis imbre rigari. Sed quàm in lubrico, totum hoc blandientis fortunæ opus! quàm fallax, & anceps alea ſplendentis luti! Et quid hæc omnia quę admiramur ſtulti, & ſuſpicimus? quæ repentina ſæpè calamitas, & miſeranda viciſſitudo conſequitur? opes etiam ſuprà omnium Craſſorum, niſi virtute partæ, & huic innixæ, leui momen-

to dissipantur, ac pereunt similes pomis Tantali, quæ placent vt fructus, fugiunt vt vmbræ. Fulciri debent, ornari debent, & quo alio fulcro, quo ornamento, quàm sapientiâ? quæ non in auro, & argento, vanitatis & auaritiæ elementis: sed in animo consistit. Sine quâ, opes qui habent, non tàm eas possident, quàm ab ijs possidentur. Alij itaque mentem, manúmque mancipent auaritiæ, auro, & pecunijs inhient, vt Midæ & Crassi: alij honores ambiant, vt Marij & Syllæ. Tu verò sorte tua contentus sis, & nunquam mœrore aut tristitiâ, & inde consequentibus morbis melancholicis turbaberis. Et hęc sunt vtique remedia, quæ animi Medicus, ijs proponere debet, qui huiusmodi perturbationibus, ex honorum & bonorum jactura, conflictari solent.



CAPVT

CAPVT XXXV.

In quo Appendicis loco secundùm Directorium Medico-Practicum Matthiæ Moroni, Authores enarrantur, qui de hac Affectione Hypochondriaca, mira & varia scripserunt, publicóque juri fecerunt.

PLVRIMA, benignissime Lector, de hoc intricatissimo affectu, qui raró distinctè, sæpissimè, imò communiter complicatè, Microcosmi occupat corpus, scripserunt grauissimi & expertissimi Viri, in Consultationibus, Epistolis, Responsorijs, Obseruationibus, Historijs, Controuersijs & Practicis doctrinis: quorum copiam, si fortè hoc meo tractatulo non sufficienter edoctus aut informatus, desideraueris; ex sequentibus intelligere, & comparatis eorum scriptis editis, ipsemet legere & colligere poteris.

Scripserunt itaque de Melancholia Hypochondriaca. Ballon, *tom. 1. cons. 9. fol. 15. & cons. 38. fol. 141. & tom. 2. cons. 5. fol. 101.* Bruner. *consil. 6. fol. 19. & sequentib. cons. 131. fol. 193. & cons. 234. fol. 264. & consil. 510. fol. 587.* Chifflet. *obseru. 37. fol. 28.* Claudin. *cons. 81. fol. 191. & cons. 98. fol 232.* Epiphan. *Hist. 29. fol. 88. & Hist. 36. fol. 111. &*

Authorũ nomina & scripta qui de Melancholia Hypochondriaca aliquid ediderunt.

111. & Hist. 55. fol. 168. Erast. *cons. 19. fol. 228.* Fernel. *cons. 43. fol. 83. & seqq.* Fonsec. *tom. 1. cons. 23. fol. 8. & tom. 2. cons. 82. fol. 243.* Fontan. *cons. 13. fol. 162.* Frambes. *cons. 3. fol. 68.* Guargant. *tract. 4. fol. 104.* Horst. *obs. fol. 108. & lib. 3. epist. fol. 247. & lib. 4. obs. 25. fol. 246. & epist. sect. 13. fol. 463. & lib. 4. obs. 26. fol. 249.* Læl. à Fonte. *cons. 23. fol. 77. cons. 77. fol. 222. & consil. 87. fol 244. & cons. 125. fol. 233. & consil. 141. fol. 375.* Manard. *epist. 4. fol. 238. & lib. 9. epist. 2. fol. 214.* Mercur. *tom. 1. cons. 39. fol. 87. & cons. 88. fol. 203. idem tom. 2. cons. 2. fol. 6. & consil. 9. fol. 26. & consil. 11. fol. 31. & consil. 20. fol. 52. & consil. 103. fol. 254. & consil. 106. fol. 261. Idem tom. 3. fol. 58. & 108. Idem tom. 4. cons. 53. fol. 115.* Montagn. *cons. 4. fol. 71.* Montan. *cons. 24. fol. 59. & cons. 229. fol. 550. & sequentib.* Plater. *l. 1. fol. 57.* Scholtz. *consil. 180. fol. 535. & seqq. & consil. 185. & 190. fol 562.* Solenand. *cons. 9. fol.* 36. *& cons. 7. fol. 121.* Tinell. *part. 1. consil. fol. 328.* Trinc. *lib* 1. *consil. 13. fol. 19. & cons. 15. fol. 21. & consil. 35. fol. 192. & cons. 37. fol. 196. & seq. & cons. 42. fol. 202. & cons. 44. fol. 206 & cons. 46. fol. 210.* Venust. *part 1. cons.* 91. *fol.* 247. *& seqq.* Vittich. *cons.* 38. *fol.* 298. Wolfg. *cent.* 1. *fol.* 113. 145. 195. *Idem cent.* 2. *fol.* 36. 103. *Idem cent. 4. fol.* 104. Zecch. *cons.* 84. *fol.* 368.

Tractârunt quoque de Melancholia Hypochondriaca, cum Vigilia Pertinaci. Claudin. *consil.* 92. *fol.* 218.

Eorum Authorū nomina qui specialius aliquid scripserunt.

De eadem, cum Vigilijs, & dolore Capitis. Zecch. *cons.* 81. *fol.* 359.

De eadem, cum Insaniæ principio. Guarin. *consil.* 41. *fol.* 59.

De eadem, cum Vertigine, Cephalalgia, Tinnitu Aurium, Catarrho, Palpitatione cordis, syncope, Dyspnœa, Cachexia, & alijs morbis. Fontan. *cons.* 4. *fol.* 437.

De eadem, cum Vertigine & Macie. Manard. *lib.* 17. *epist.* 1. *fol.* 370.

De eadem, cum Vertigine, obtuso Dolore Capitis, Bradypepsia, Hepatis & Lienis obstructione, egestione biliosa, liquida, chylosa. Merc. *tom.* 1. *consil.* 66. *fol.* 149.

De eadem, & conuulsionibus epilepticis in Grauida. Horst. *lib.* 2. *obs.* 8. *fol.* 95.

De eadem, cum Conuulsione & lachrymis. Trinc. *cons.* 40. *folio.* 200.

De eadem, cum Spasmo Ceruicis. Lotich. *obs. lib.* 4. *fol.* 241.

De eadem, cum Capitis, & Ventriculi debilitate. Lotich. *lib.* 4. *fol.* 336.

De eadem, cum Dolore Capitis. Mercur. *tom.* 1. *cons.* 110. *fol.* 254.

De eadem cum varijs Capitis Affectibus, & Podagra. Plater. *obs. lib.* 1. *fol.* 65.

De eadem cum distillatione salsa, & Capitis grauitate, Trincauell. *cons.* 48. *fol.* 213.

De eadem, cum Catarrho, & Podagra Idem. *cons.* 49. *fol.* 214.

De eadem, cum difficultate motus. Mercur. *tom.* 4. *cons.* 55. *fol.* 121.

De eadem cum Cerebri humiditate, suffusione, & Podagra. Scholtz. *cons.* 184. *fol.* 540.

De eadem, cum Raucedine intermittente sub Vesperas, intemperie calida Iecoris, Ventriculi imbecillitate, & obstructionibus multis. Font. *cons.* 9. *fol.* 151.

De eadem, cum Raucedine, Tussi, & mala coctione. Trincauel. *lib.* 1. *cons.* 43. *folio* 57.

De eadem, cum Orthopnæa, & Macie. Claudin. *cons.* 120. *folio.* 284.

De eadem, cum difficultate spirandi, loquendi, & deglutiendi Solenand. *lib.* 3. *cons.* 19. *fol.* 270.

De eadem cum Anhelitus difficultate, & Vrina sabulosa. Scholtz. *cons.* 189. *f.* 557. Venust. *cons.* 97. *f.* 265.

De eadem, cum Asthmate. Roderic à Fonsec. *tom.* 2. *cons.* 22. *fol.* 62.

De eadem, cũ Asthmate, Hæmoptœsi, & Macie. Claud. *cons.* 106. *fol.* 249.

De eadem, cum dolore ad scapulas, tumore scirrhoso ad os Humeri dextri, & macie totius, Claud. *cons.* 94. *f.* 222.

De

De eadem, cum Macie totius, Tenesmo, Psora, ac Ventris Stipticitate. Claud. *consf.* 65. *fol.* 152.

De eadem, cum Macie. & Priapismo. Mercur. *tom.* 1. *cons.* 6. *f.* 16.

De eadem, cum Macie, & Vomitu acidorum. Font. *cons.* 19. *fol.* 179.

De eadem, cum Tabe. Fontan. *cons.* 14. *fol.* 166. Guarin. *cons.* 17. *fol.* 194. Læl à Fonte. *cons.* 69. *fol.* 202. Manard. *lib.* 17. *epist.* 1. *fol.* 370. Mercur. *tom.* 2. *cons.* 87. *fol.* 213.

De eadem, cum Macie, Atrophia, Capitis grauitate, totius corporis laßitudine, & segnitie ad motum, inappetentia, coloris deturbatione, visus Hebetudine, & Ptyalismo. Mercur. *tom.* 2. *cons.* 86. *fol.* 210.

De eadem, cum Obesitate, Virium imbecillitate, Pruritu, Vlceribus, Serpigine, Labij superioris stupore, Manus sinistræ tremore. Idem. *tom.* 1. *cons.* 11. *fol.* 30.

De eadem, cum Febre, Verminatione, ac Tumore duplici in Abdomine, & Inguine. Claud. *cons.* 4. *fol.* 12.

De eadem, cũ Febre catarrhali, atque Hectica, Tußi, Vomitu &c. Claudin. *cons.* 61. *fol.* 140. Venust. 1. *part. cons.* 60. *fol.* 162.

De eadem, cum Catarrho dorsali, & alijs affectibus. Ballon. *lib* 2. *cons.* 33. *fol.* 264.

De eadem, cum sudore copioso, Febricula, & Lienis tensione. Claud. *cons.* 74. *fol.* 175.

De eadem, cum Ptyalismo. Idem. *cons.* 35. *fol.* 85.

De eadem, cum Tumore Abdominis, Idem. *cons.* 46. *fol.* 106.

De eadem, cum obstructione primorum Viscerum, Catarrho, & Ventriculi Imbecillitate, Solenand. *cons.* 10. *folio.* 39.

De eadem, cum Ventriculi frigiditate, ac Hepatis, & Renum calore. Idem. *cons.* 11. *fol.* 44.

De eadem, cum Febre lenta, distillatione, & Cachexia. Moccha. *cons.* 25. *fol.* 40 Zecch. *cons.* 21 *fol.* 105.

De eadem, cum dolore Abdominis, Tumore Hypochondriorum, Febre, & Melancholia. Venust. *part.* 1. *cons.* 90. *fol.* 244.

De eadem, cum Tympanitite, & Catarrho. Io. Colle. *fol.* 181.

De eadem, cum Abdominis Dolore, tarda coctione, & Ictero nigro. Claudin. *cons.* 136. *fol.* 335.

De eadem, cum Doloribus Ventriculi. Montan. *cons.* 232. *fol.* 557.

De eadem, cum Doloribus Ventriculi, & Lypothimia. Idem. *cons.* 234. *fol.* 570.

De eadem, cum Anxietate Ventriculi, respirationem lædente, Dolore mordicatiuo circa Cor, & inappetentia. Claudin. *cons.* 110. *fol.* 261.

De

De eadem, cum Ventriculi imbecillitate. Bruner. *conſ.* 45. *fol.* 267. Solenand. *conſ.* 31. *fol.* 217.

De eadem, cum Appetitu canino. Montan. *conſil.* 26. *fol.* 62.

De eadem, cum dolore inter Ventriculum, & Lienem, poſt cibum. Fontan. *conſ.* 3. *fol.* 135.

De eadem, cum Tumore prӕduro Lienis & Iecoris, Obſtructione partium Imi Ventris, Cordis Palpo, defluxione magna in Ventriculum, & Reſpirationis difficultate per interualla. Idem, *conſ.* 10. *fol.* 153.

De eadem, à Liene. Bruner. *conſ.* 59. *fol.* 313. Epiphan. *Hiſt.* 68. *fol.* 204. Moccha. *conſ.* 125. *fol.* 170.

De eadem, cum Tumore ſplenis. Bruner. *conſ.* 11. *f.* 75.

De eadem, cum cordis tremore, Guarin. *conſ.* 592. *fol.* 631.

De eadem, cum Palpitatione Cordis, Plater. *lib.* 2. *fol.* 61. Trincauell. *lib.* 3. *conſ.* 39. *fol.* 197.

De eadem, cum rudimento Nephritidis. Claudin. *conſ.* 116. *fol.* 272.

De eadem, cum Mictu Sanguinis. Læl à Fonte *conſ.* 106. *fol.* 286.

De eadem, cum Ignauia Partium Genitalium Claud. *conſ.* 103. *fol.* 243.

De eadem, ab Vtero: Claud. *conſ.* 128. *fol.* 308. Moccha. *conſil.* 134. *fol.* 183. Zecch. *conſ.* 80. *fol.* 354.

De eadem, cum affectionibus Vteri, inappetentia. Zecch: *ibidem.*

De eadem, cum Vteri Hydrope. Idem *consil. 39. f. 201.*

De eadem, cum profluuio Vteri. Bruner. *cons. 66. fol. 350.* Læl: à Fonte. *cons. 64. fol. 187.*

De eadem, cum Dolore Vago, & menstruis albis. Mercur. *tom. 3. fol. 109.*

De eadem, cum Tumore scirrhoso Vteri. Trincauel. *cons. 41. fol. 201.*

De eadem, cum Vteri suffocationibus, Cordis palpitatione, epilepsia. Mercur. *tom. 2. cons. 101. fol. 247.*

De eadem, cum falsa Grauidatione. Fontan. *cons. 1. fol. 131.*

De eadem, cum Hæmorrhoidum fluxu & procidentia, Alui stipticitate, Gonagra, atque Podagra. Claud. *cons. 89. fol. 211.*

De eadem, cum Morbo Gallico, Tumore circa Dextrum Vmbilici latus. Trincauel. *lib. 3. cons. 43. fol. 203.*

De eadem, cum Morbo Gallico, Tumore Ventriculi, & distillatione salsa. Idem *cons. 45. fol. 108.*

De eadem, cum scabie & Pruritu. Mercur. *tom. 2. cons. 14. fol. 39.*

De eadem, cum Arthritide, Calculo, & Obstructionibus splenis. Bruner. *cons. 71. fol. 363.*

De eadem, cum Ischiade. Venust. *part. 1. cons. 95. fol. 260.*

De

De eadem, cum Fistula sponte sanata, & suspicione aliorum malorum. Claud *cons. 62. fol. 143.*

De eadem, cum Diarrhœa, Viscerum obstructione, Vertigine, suffusione, & Dolore capitis. Merc. *tom. 1. cons. 66. fol. 149.*

De eadem, cum stupore. Montan. *cons. 23. fol. 56.*

De eadem, cum Febre lenta. Moccha. *cons. 25. fol. 40.*

De eadem, ex Terrore. Plater. *obs. fol. 68. & seqq.*

De eadem, cum læsione Visus. Læl. à Fonte. *cons. 80. folio. 235.*

De eadem, cum imaginibus, ac tenebris oculis obuersantibus. Mercur. *tom. 2. cons. 74. fol. 180.*

De eadem, cum Rubedine faciei. Scholtz. *cons. 187. folio. 554.*

De eadem, per consensum, quam Veteres ignorârunt. Augen. *tom 2. lib. 11. fol. 150.*

De eadem, cum Vertigine, distillatione, & alijs symptomatibus. Vittich. *cons. 7. fol. 48. & seqq.*

De eadem, cum nocturnis pollutionibus, & Vertigine. Mercur. *tom. 3. fol. 13.*

De *Melancholiæ Hypochondriacæ Dilucidatione.* Marcell. Donat. *Hist. lib. 4. fol. 205.*

Optimè de Melancholia, & Affectione Hypochondriaca scripsit Daniel Sennertus *in 1. lib. Practicæ. part: 2. cap. xij. fol. 380. & lib. 3. part. V. sect. 1. cap. 1. fol. 503.*

Non minus doctè quàm argutè descripsit hanc affectionem. Bartholomæus Perdulcis *in lib. de morbis animi. cap.* IX. *fol. 39.*

Nec malè delineauit Melancholiam hanc Hypochondriacam. Andreas Laurentius *quem ex gallico in latinum vertit idioma* Theodorus Schönlinus. *lib. de melancholia cap. xij. fol. 134.*

Typum Hypochondriaci affectus, ingeniosissimè quoque denotauit. Philipp. Hœchstetterus. *in part. 2. rarar. obseruat. in. 5. decad. cas. 1. fol. 251.*

Peculiarem etiam Tractatulum scripsit de hac re. Honorius Heringius. *fol. 89.*

Non paucas etiam doctissimas Consultationes proponit de hac materia. Julius Cęsar Benedictus Aguelfalion *recenter editus. fol. 78. à consult. 18. vsque ad 28.*

Denique, doctissima nuperrimè in lucem dedit Consulta, de Melancholicis similibus affectibus. Bernardus Schultetus. *Quorum omnium laudes & industriam, qui prædicare tentauerit, certè citiùs deficiet, quàm sufficiet.*



CON-

CONCLVSIO.

HÆc igitur ſunt, benigniſſime Lector, quæ tibi & omnibus de me benè ſentientibus, de hoc intricatiſſimo & pertinaciſſimo morbo hypochondriaco, maiorem mortalium partem hoc ſeculo infeſtante, com̃unicare volui: non dubitans, illis, quibus mens & ratio, ex atris & nubiloſis euaporationibus melancholicis, nondũ turbata aut abolita fuerit, laborem hunc meum acceptum & lectioni dignum futurum. Illos verò quos liuoris venenum in corde, & atra bilis in cerebro occupat, (inuidos puto & maledicos) quorum etiam judicium ſiniſtrum & peruerſum eſt, phantaſia & imaginatio diminuta; tanquam ſiniſtrè & malè ratiocinantes, judicantes, & loquentes, ad Elleborum mitto; ſilentium illis iniungens, ne in furorem aut maniam incidant, liuoriſq́ue ſpicula in ſemetipſos retorqueant: nam notum eſt, maledicos & maleuolos illos, verborum lenocinijs & venenis prægnantes, &

——————————*qui fronte politi*
Aſtutam vapido geſtant in pectore vulpem

quique aliud verbis oſtentant, aliud corde meditan-

ditantur, amicitiámque in ore & vultu, sed non in animo habent, plerumque proprijs suis machinis aliorum ruinæ destinatis, cadere. Quibus, si hæc cruda sunt, doctiores concocta & matura dent; adscribant mea huic morbo, qui cruditates alit, & phantasiam sæpè corrumpit.

Interim Deo ter optimo, ter maximo, & Beatissimæ Matri ipsius Admirabili, tanquam Medicinæ Præceptoribus, Armamentarijs Medicamentorum, omnium dolorum Refugijs, ægrotantium & languentium Consolationibus & Exultationibus, gratias immortales ago, pro cōcessa mihi in hisce enucleandis constantia, simúlque votis ac precibus ardenter exposco, vt omnis Salutis Fons Deus, & Archiater, intercedente Beatissima Patrona mea, Beata Maria Virgine, mihi quoque medicinam facienti, bonum nomen & famam, intentis curationibus, ad eius gloriam, & proximi beneficium, conseruare & augere dignetur.

Soli Supremo Saluatori
Gloria.

INDEX

INDEX RERVM.

ETymologia nominis Hypochondriaci. Fol. 1
Definitio Affectus Hypochondriaci. 2
Subiectum eiusdem. 3
Differentię Melancholię hypoc. 7
Proxima causa huius, humores adusti. 9
Flatus. 9
Epatis calor. 10
Quomodo vapores melancholici ad caput ferantur. 11
Chymicorum causa proxima. 11
Antecedens causa. 12
Ventriculus subiectum causæ antecedentis huius morbi. 13
Retentio & Distributio vitiosa in vasis concoctionis primæ. 15
Cruditas Chyli vnde fiat. 16
Coctio effectus caloris non frigoris est. 16
Quidam frigidam intemperiem adfingunt huic malo. 16
Calor causa flatuum. 17
Authores variant in assignatione loci affecti & cura. 19
Appetitus frigidorum, ventriculi caliditatem & siccitatem indicat. 21
Malum hypochondriacum à ventriculo calido & sicco primordia sumit. 23
Argumenta quorundam qui negant à calore fieri chylificationem. 25
Soluuntur argumenta. 26
Qualisnam sit humor ille acidus chylificationis artifex. 30
Humor acidus chylificationis minister est. 31
Saliuationes frequentes in hypochondriacis vnde. 31
Rondeletij opinio de Causis melancholiæ hypochondriacæ, & Hœchstetteri. 32
Dioclis opinio. 33
Pauli Æginetæ. 33
Auicennæ opinio. 34
Danielis Sennerti opinio. 34
Viduarum, Virginum, Sterilium & Puerperarum melancholia hypochondriaca. 35
Natura muliebris prima causa ad melancholiam. 37
Secunda causa, Sanguinis mẽstrui retẽtio & seminis cohibitio. 39
Semen cohibitum qualem noxam inuehat. 39
Tertia causa melancholiæ in fœminis, cacochymia corporis. 40
Causæ externæ, ex illis quæ assumuntur. 41
Causæ externę, ex illis quę geruntur. 44
Viri Religiosi. 45
Sensuum concursus in externa causa. 48
Pij non curant, etiamsi insaniæ insimulentur. 49
Externæ causæ melancholiæ hypochondriacæ, ex ijs quæ geruntur, continuatio. 51

Ira & mœror, quid non in hypochondriacis causare possint. 54
Bellum quam sit res immanis. 55
Causæ externæ, ab excretis & retentis. 57
Causæ externæ, ab illis quę forinsecùs accidunt. 58
Astrologorum causæ melancholiæ hypochondriacæ. 59
Quales ætates corripiantur melancholiâ hypochondriacâ. 61
De Annis Climactericis, Scalaribus, Criticis. 62
Qualis Sexus habilior sit ad affectum hypochondriacum. 63
Causa externa, à varijs mortalium tumultuosis moribus. 64
Signa melācholię hypochondriacę diagnostica seu cōmunia. 67
Signa pathognomonica siue propria affectionis hypochondriacæ. 69
Symptomatum causæ. 70
Sanguinis reiectio per vomitū. 71
Flatus vbi contineantur. 72
Ventriculi dolor ad dorsum & scapulas vsque. 72
Alui adstrictioris causa. 72
Æstus in hypochondrijs quomodo excitetur. 73
Satyriasis vnde excitetur. 73
Obseruatio hystorica mirabilis & rara de Satyriasi. 74
Vrinarum color qualis in affectu hypochondriaco. 78
Anxietas vnde. 79
Interceptio vocis vnde. 79
Cordis palpitatio vnde fiat. 80
Siccitas palatus, linguæ, & oris. 80
Sitis & respiratio difficilis. 80
Dolor capitis, Oculorum caligo, aurium tinnitus. 81
Vertigo, tristitia, metus, deliria. 81
Paralysis quasi & conuulsio. 81
Lassitudo in brachijs & cruribus, stupor quoque, & motus formicans. 82
Metus ne concidant ægri. 81
Vigiliæ ac insomnia. 82
Partium affectarum præcipuarum, signa. 83
Signa melancholiæ hypochondriacæ in fæminis. 93
Prognostica signa. 95
Periculosa huius morbi signa. 99
Hypochondriacorum duæ historiæ ex Andrea Laurentio. 101
Morbus melancholicus ex hypochondriaco speciem scorbuti referens, in Hungaria communis, Domini Doctoris Danielis Geigeri. 104
Quomodo Dæmon se huic morbo immiscere possit. 106
Bifariam hominem Dæmon oppugnat. 108
Quidam supernaturalium operationum causam ad naturam reducunt. 111
Confirmatur hæc opinio exemplis. 111
Solutio siuè responsio ad argumenta

menta & exempla. 113
Morbus dæmoniacus duobus remediorum generibus expugnandus. 114
Deus primarius autor medicinæ & sanitatis. 115
Calumnia mortalium de Medicis. 116
Circumforaneorum orationes ad populum circumstantem. 119
Paracelsistarum & Empiricorum Vniuersale siue Lapis philosophicus. 121
Hippocratis cura huius affectus ex triplici fonte desumitur. 125
Diæta fundamentum curationis morborum. 125
Diæta consistit in sex rebus non naturalibus. 127
Qualis Aer obseruandus in affectu hypochondriaco. 127
Quinque regulæ ad aëris artificialem vsurpationem obseruandæ. 129
De Cibo & cibatione in melancholia hypochondriaca. 132
Victus ratio moderatè refrigeret & humectet. 133
Pisces nō conueniunt hypochondriacis. 134
Pisces summè nociui. 134
Sal. 135
Pisces minùs nociui. 135
Quales carnes admittendæ. 135
Nociuæ carnes. 136
Acetum. 136
Nocent edulia ex pasta farinacea confecta. 136
Horrei fructus admittendi. 137
Non admittendi. 137
Quomodo in cibatione consuetudini indulgendum. 138
Quid hypochondriacis in assumptione ciborum obseruandum. 140
Iuscula gallorum & gallinarum. 141
Ptisana præstantissimum eduliorum. 141
Oua gallinarum recentia & tremula. 142
Lac & Lacticinia. 143
Aromatum vsus. 143
Panis qualis conueniat hypochōdriacis. 143
Regulæ duodecim cibationis rectè administrandæ. 143
Potus qualis esse debeat hypochondriacis. 146
Vini potus. 147
Triplex potus. 147
Cereuisiæ potus. 149
Notæ bonæ cereuisiæ. 150
Quam nociuus sit vini potentis potus. 151
Similia similibus conseruari à quibusdam negatur. 154
Quomodo simile possit conseruare simile. 156
Domini Antonij Comitis Cæsana & Colle supra hanc opinionem rationes. 158
Thomæ Mermanni defensio. 165

Vinum potens nocituros continet spiritus. 170
Vinum potum coctionem non expectat. 173
Vinum potens nõ semper pro potu ordinario conuenit. 174
Laus Reuerendi Patris Drexelij. 180
Qualis Motus & Quies conueniat in affectu hypochondriaco. 181
Tres species Exercitiorum. 182
Lusus paruæ Pilæ commendatur. 182
Deambulatio. 183
Venationis exercitium. 184
Exercitium jaculatorium. 185
Historia generosi facinoris Isabellæ Claræ Eugeniæ. 186
Musica. 190
Conuersatio cum viris eruditis. 190
Morionum vsus in exhilarando animo. 191
Quam perniciosa sit perpetua inquietudo. 192
Otium perpetuum nociuum. 193
Somnus in hypochondriacis. 194
Excreta & Retenta. 197
Ex alui constipatione qualia proueniant mala. 198
Clysteriorum vtilitas & beneficium in soluenda aluo. 199
Tria generalia animi vitia. 200
Quid sit perturbatio animi. 202
Variæ species perturbationum. 202
Tristitia carnificina corporis & animi. 203
Confidentia ægri in Medicum quantùm possit. 204
Ira moderanda. 205
Auaritia. 205
Inuidia. 207
Venus. 208
Quales venæ secandæ sint in hoc affectu. 214
Medicorum opinio de apertione Saluatellæ. 215
Quæ sint obseruanda in venæ sectione. 216
An in venæ sectione, ex calendarijs, cursus siderum & eorum influxus, cũ signis Zodiaci, sint obseruandi. 219
Opinio nostra. 221
In præseruatiua cura, possunt obseruari signa astrorum, siuè mutationes illorum. 222
Ludouici Septalij admonitio in venæ sectione. 223
Vicaria Phlebotomiæ remedia. 224
Applicatio cucurbitularum sine scarificatione, cõtra flatus. 225
Hirudinum applicatio, & selectio illarum. 226
Medicorum dissensio de hæmorrhoidalibus venis. 229
Hæmorrhoides nunquam scalpello, sed hirudinibus solùm aperiendæ. 232
Obseruationes ex hirudinum sinistra applicatione. 233

Fonticulorum inustio. 235
Locus aptus pro fonticulis. 238
Quomodo fiant fonticuli per cauterium potentiale. 238
Per cauterium actuale. 239
Pharmaciæ necessitas in curatione melancholię hypochondriacæ 249
Philosophatio contemptorum mortis. 250
Pharmaceutica cura, consistit in Galenicis & Chymicis medicamentis. 254
Chymica medicamenta constant ex tribus principijs. 256
Indicatiões curatiuæ affectus hypochondriaci. 258
Medicamenta lenientia. 260
Vomitus. 260
Clyster leniens. 261
Vomitorium. 261
Prædicatur Aloë insuccata pro laxatiuo. 261
Obiectio. Solutio. 262
Aloës vsus. 262
Formula Aloës nutritæ. 263
Non omnibus conuenit Aloë. 264
Electuarium lenitivum. 264
Aperientia, incidentia, & alterantia medicamenta. 264
Simplicia. 265
Composita. 265
Chymica. 266
De medicamentis ex Tartaro, an illa semper prosint. 266
Apozema. 267
Claretum. 268
Destillatum. 269
Leges in exhibitione medicamentorum purgantium obseruandæ. 270
Vomitorium vsuale. 276
Diureticorum vtilitas. 277
Diaphoretica & Physagoga cautè exhibenda. 278
Chalybs, Acidulæ, & Thermæ extrema remedia. 278
Medicamenta purgantia mitiora simplicia. 280
Composita mitiora Galenica. 280
Chymica. 281
Fortiora simplicia. 281
Composita Galenica. 281
Composita Chymica. 282
Historia de exhibitione Hellebori nigri. 282
Enemata. 286
Potiones purgãtes. 287
Syrupus purgans. 288
Decoctum Galli veteris. 291
Vsus jusculi gallinæ inter assumptionem medicamentorum purgantium. 292
Vina purgantia. 293
Experientia in vino medicato chalybeato. 294
Pulueres purgantes. 294
Pillulæ purgantes. 298
Aloës succotrinæ præparatio. 298
Gummorum & scammoneæ præparationem respicientia. 302
Pillulæ Domini D: Philippi Mülleri. 305
Acetum Bezoarticum. 306

Electuaria purgantia. 309
Vsus, præparatio, & electio seri lactis. 310
Electio. 313
Præparatio. 314
Quantitas. 316
Vsus Chalybis. 317
Quomodo & quibus viribus prosit chalybs. 319
Chalybs varijs modis exhibetur. 321
Experientia singularis de minera ferri. 321
Quomodo exhibeatur chalybs. 323
Formulæ diuersæ præparationum chalybis. 325
Chalybis præparatio ex Aceto. 325
Chalybis præparatio cum sulphure. 325
Crocus Martis aperitiuus. 326
Essentia Martis. 326
Tinctura Martis. 327
Vinum chalybeatum 327
Syrupus chalybeatus 327
Electuarium chalybeatum. 328
Electuarium chalybeatum Zacuti Lusitani. 328
Oxymel chalybeatum. 329
Acidularum vsus in affectu hypochondriaco. 331
Qua ratione acidulæ mineralibus imprægnentur. 331
Vires acidularum. 332
Quo anni tempore sint vsurpandæ, & quot annis repeti possint. 332
Quales acidulæ commendentur. 335
Chymici salino quodam puluere in pauca quantitate exhibito idem præstare promittunt. 333
Modus vtendi Acidulas. 334
Quantitas potus acidularũ continua. 335
Quantitas potus acidularum discreta. 337
Qualitas vtendi & bibendi acidulas. 337
Lotiones in affectu hypochondriaco. 342
Lotio dulci aqua. 341
Thermæ. 342
Obseruanda in quantitate lotionis. 344
Qualitas & modus lauandi. 349
Quid post vsum acidularum & thermarum faciendum. 353
Ventriculi roboratio. 354
Vapores eleuati ad superiores & principales partes auertendi, dissipandi. 355
Epar obseruandum. 355
Lieni prospiciendum. 356
Interna medicamenta roborantia & refrigerantia. 357
Medicamentis roborantibus etiã medicamenta præparantia & purgantia subiungenda. 358
Topica seu externa medicamenta. 358
Composita intrinsecea confortantia. 359

Morsu-

Morsuli. 359
Electuarium. 359
Liquor potabilis. 359
Mixtura. 359
Rotulæ. 359
Destillatum. 360
Puluis. 360
Confectio cordialis Bezoartica. 360
Electuarium liquidum. 361
Mixtura Antimelancholica. 361
Mixtura alia hypochondriaca. 362
Conserua magna. 363
Conditum ad formam opiatæ. 363
Aqua corroborans cordialis. 363
Aqua Carbunculi. 364
Experientiæ Zacuti Lusitani cum Ebore, Lapide Bezoartico, & Limatura Auri, & Auro potabili. 364
Aurum duobus modis exhiberi potest. 367
Solutio Auri siue Aurum potabile Sennerti. 368
Nobilissimũ confortans sequens. 370
Verum Aurum Potabile Glauberi. 370
Alius processus elaborandi Aurum potabile. 372
Menstruum ex sale & spiritu Vrinæ pro solutione Auri. 373
In quibus consistat præparatio auri potabilis 374
Calcinatio Auri. 375
Calcinatio per Humidum. 375
Aurum fulminans 376
Quomodo vis fulminans auri corrigenda. 376
Calcinatio auri per siccum. 376
Calcinatio auri per Mercurium Philosophicum. 378
Solutio auri quid? & modus solutionis. 378
Differentię Menstruorum pro auri solutione. 379
Coagulatio auri. 381
Quid sit Mercurius Philosophicus. 381
Mercurij Philosophici præparatio. 383
Vires auri potabilis, & quomodo verum à sophistico internoscendum sit. 387
Magisterium, Tinctura, Oleum, siue Quinta Essentia Perlarum. 388
Tinctura Smaragdi. 389
Tinctura Rubini. 390
Tinctura Corallorum. 390
Croci & Citri Tinctura. 391
Essentia Ambræ & Moschi. 391
Extractum Ligni Aloës. 393
Homo ternis Vitæ generibus destinatus. 394
Quis sapiens, & quid Sapiētia. 395
Homo tres habet partes. 396
Superius est sicut Inferius. 396
Tres Orbes seu Mundi. 397
Archetypus. 397
Mundus Intellectualis, siuè Angelorum. 399

Mundus cœleſtis & Elementaris. 401
Quartus Mundus Microcoſmus. 402
Medico cognitio Luminis Naturæ neceſſaria. 404
Planetarum & metallorum numerus. 404
Planetarum, Angelorum, & membrorum hominis principaliorũ conuenientia & analogia. 405
Humorum cum Elementis & menſibus correſpondentia, quibus etiam mineræ attribuuntur. 405
Ætatum cum Planetis comparatio. 406
Solis & Lunæ neceſſitas. 406
Solis & Lunæ vires. 407
Solis cum Auro analogia. 408
Solis character hyeroglyphicus. 410
Aurum Cordis corroborans. 410
Genealogia Tincturæ Auri. 411
Diſtinctio Mercurij, Sulphuris, & Salis. 412
Mercurij ſigna explicantur. 412
Ars Naturam imitatur. 413
Ignium quatuor genera. 413
Cur Ignis dicatur Draco. 414
Cur dicatur menſtruum. 414
Cur Aqua. 415
Cur ſulphur & Mercurius. 415
Allegoriæ & Ænigmata Chymicorum, ſolis Philoſophis cognita. 415
Ænigma Chymicum. 416
Operationes chymicæ in ſolutione auri potabilis. 417
Solutio. Coagulatio. Sublimatio. Aſcenſio. Deſcenſio. Diſtillatio. Calcinatio & Fixio. 417
Coniunctio Solis & Lunæ quàm ſit neceſſaria. 417
Conceptio & Deſponſatio Solis & Lunæ fit in putredine. 418
Nigredo ſignum ſolutionis. 418
Nigredinis fœtor vnde proueniat. 419
Leo viridis. 419
Leo ruber. 420
Concluſio Ænigmatica. 420
Quid Philoſophis ſignificet, Quadrangulus, Triangulus & Circulus. 420
Expoſitio compendioſa Quinti Emblematis. 421
Lapides precioſi è collo penduli. 423
Sacculi pro Corde & pulſibus. 423
Epithemata cordialia. 424
Linimentum cordiale. 424
Emplaſtrum pro ſcuto cordiali. 424
Nodulus odoriferus. 425
Balſamum cordiale & capitale. 425
Quot modis Medicina dicatur cardiaca. 425
Vnguentum ſpleneticum. 427
Emplaſtrum ſpleneticum 428
Vtrum conducat Nicotianæ ſiue Tabaci ſuffitus in melancholia hypochondriaca. 429

Tabaci fumus per se non est narcoticus. 430
Huius vsus non est valdè nocivus si sit moderatus. 431
Obseruanda in vsu suffitus Tabaci 432
Puluis Bezoarticus animalis, in varijs morbis, & melancholia hypochondriaca celebratur. 434
Ex quibus fiat Puluis Bezoarticus animalis. 435
Vipera symbolum Æsculapij & Hippocratis. 435
Viperæ vnde capiant suas vires. 436
Viperarum vires. 438
Solis Viperis facultas inest prolongandi vitam. 439
Cur viperis per vegetabile balsamum non tollatur proprium venenum. 439
Venenum viperarum, illarum veneno pellitur. 440
Qualitates viperarum. 440
Conradi Mutschleri opinio de qualitatibus viperarum. 441
Opinio Raymundi Lullij de viperis. 442
Viperæ occultis qualitatibus præditæ. 443
Præparatio viperarum ad vsum medicinalem. 443
Solinandri præparatio. 444
Caroli Panicelli modus præparationis 444
Salis viperini præparatio. 448
Quercetani compositiones & confectiones ex viperis. 449
An in affectu hypochondriaco vsus viperarum, & quomodo admittendus. 449
Curatio primi gradus melancholiæ hypochondrio-hystericæ. 451
Secundi gradus cura. 452
Apozema præparans & catharticum. 452
Puluis purgans. 453
Potio menses mouens. 454
Aqua vterina. 454
Tertij gradus cura. 454
Melancholia hypochondriaca ex seminis retentione. 455
Duplex cura huius affectus. 456
Aqua Castitatis 459
Hypochondriacorum Ecstasis. 460
Descriptio talium Ecstaticorum. 463
Causa huius stuporis Ecstatici. 465
Cura huius melancholiæ Ecstaticæ. 466
Tres species Ecstasis siuè animæ abstractionis. 466
Ecstasis ex virtute diuina. 466
Ecstasis ex virtute dæmonis. 467
Vtrum in Ecstasi corpus ab anima deseratur. 469
Præsidia contra flatus. 470
Si vires prosternantur. 471
Æstus corporis 471
Vigiliæ. 471

Corporis lassitudo, vibratio, palmus, punctio, pruritus, ephidrosis, macies, 473
Sonitus aurium, capitis grauitas & vertigo, euaporationes, rubor & calor vultus, metus & mœstitia. 474
Ad æstum & calorē, alterandum, 475
Nausea, cardiogmos, vomitus, dyspepsia, anorexia, bulimia, ructus, rugitus, tensio & grauitas abdominis, frequens sputatio, dyspnæa, ventriculi dolor & inflatio. 477
Vsus veratri nigri. 477
Vomitus. 478
Vsus Clysterum. 479
Roboratio ventriculi. 479
Cordis palpitatio & Lipothymia. 479
Curatio per salutares admonitiones & rationes plausibiles à Medico illatas, 480
Historiæ quorundam deprauatâ imaginatione laborantium, & eorum curationes. 481
Obseruationes propriæ. 493
Persecutiones & inuidiæ, quantùm possibilè est, patienter ferendæ, 496
Consolationes super obitus charorum pignorum. 500
Remedia cōsolatoria contra fortunæ jacturam. 508
Authorum nomina & scripta, qui de Melancholia Hypochondriaca aliquid ediderunt. 513
Eorum Authorum nomina, qui specialius aliquid scripserunt. 515
Conclusio. 523

FINIS.



ERRATA TYPOGRAPHICA.

Benignissime Lector, cùm in Tractatus huius editione, varij irrepse-rint typographici errores, quantùmuis in reuisione & correctione eorum diligens fuerim, præsertim in accentibus, aut omissis, aut superfluis. Leuiores itaque errores, te non offendent, grauiores autem, sic corriges.

Fol. 28. l. 19. leg. cibum. l. 20. leg. immorigerum. l. 22. leg. modum. l. 23. leg. præposterum. f. 54. l. 18. leg. hypochondriam. f. 61. l. 6. leg. figurâ. f. 68. l. 14. leg. varios. f. 106. l. 10. leg. pro axungiæ, laridi. l. 18. pro iste, leg: hypochondriacus. f. 253. l. 1. leg. sibi. fol. 261. l. 22. leg. Aloê. f. 263. l. 18. leg. aloê. l. 19. leg. aloë. lin. 22. iterum lege Aloë. f. 287. l. 12. leg. pro Vnc. Dr. f. 315. l. 16. leg. agaricus, f. 316. l. 23. leg. distensione. f. 341. l. 1. leg. suffocat. l. 2. leg. deijcit. decolorat. l. 3. leg. parit. f. 461. est in numero folij erratum, vbi pro 4. posuit. 1. f. 476. l. 21. leg. redundantem. f. 490. l. 16. leg. Hypochondriacus. fol. 513. in tit. Capitis. lin. 5. lege publicique juris fecerunt.